# CORPUS
## SCRIPTIONUM
# CRITICARUM
VEL RARIORUM VEL NON ANTE EDITARUM.

EDITIONEM CURAVIT ATQUE ANNOTATIONES ET INDICES ADIECIT

*FERDINANDUS HANDIUS.*

TOMUS PRIMUS

THOM. WOPKENSII LECTIONES TULLIANAE.

IENAE, MDCCCXXIX.
SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT
CHRISTIANUS HENRICUS WALZIUS
ACADEMIAE BIBLIOPOLA.

# THOMAE WOPKENS

# LECTIONUM TULLIANARUM

SIVE

IN OPERA QUAEDAM CICERONIS PHILOSOPHICA ANIMADVERSIONUM CRITICARUM LIBRI TRES.

---

ITERUM CUM ANNOTATIONIBUS EDIDIT

*FERDINANDUS HANDIUS.*



IENAE, MDCCCXXIX.
SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT
CHRISTIANUS HENRICUS WALZIUS
ACADEMIAE BIBLIOPOLA.

# AUGUSTO MATTHIAE

DUCI ALTENBURGENSI A CONSILIIS SACRIS GYMNASII FRIDERICIANI DIRECTORI

S. D.

FERDINANDUS HANDIUS.

---

Tibi, vir venerande et optime, libellum hunc mitto atque dedico, non eo nomine et consilio, ut munus tibi offeram, quod doctos et ingeniosos libros tuos ad me transmissos pensare possit, sed ut prima hac opportunitate commode utar ad animum erga te meum palam declarandum. Nam quanti te faciam, et quo studio per longum tempus favoris et amicitiae tuae ornamentum prosequutus sim, et tu ipse scis, et testem habeo Con-

ſtantinum, filium tuum: tamen, ut fert animi humani natura, amorem et pietatem, quam ſatius eſt in pectore recondere, adeo in hominum multitudine profiteri cupimus, ut omnes boni, qui audiant, in hac dulciſſima re nobiscum ſentiant, et communi veneratione atque officiis conſocientur. Atque in te, vir eximie, ſemper neſciebam, utrum magis doctrinae praeſtantiam et magnam eruditionis copiam admirarer, an animi candorem et humanitatis ſuavitatem diligerem. Et dum haeſito, utri plus tribuam, amor cum admiratione coniunctus in eum modum crevit, ut nova exſiſteret dubitatio, quo indicio ille tibi ſignificandus eſſet. At cuicumque pectori pleno deſunt, quae ſenſum clare exprimant, ſigna. Ita in profitendo amore mihi quoque acquieſcendum erit. Liber, quem tibi nunc trado, nec tibi incognitus eſt, nec novus, neque etiam meus. Aliquam eius partem tu iam legeras, quum conſtituiſſes doctas annotationes addere, quibus, quae vel a Wopkenſio vel a me peccata eſſent, corrigerentur, atque nova et ampliora argumenta ſubſtituerentur: quod ſi tibi per graviſſimi muneris negotia conceſſum eſſet efficere, ipſi libro non modo magnam utilitatem attuliſſes, ſed ſplendorem etiam, qui ei nunc deeſt, adieciſſes. Nec quidquam eſt, cuius laeta exſpectatio

me maiori dolore fefellerit. Nam ſperaveram, quae equidem non poſſem, te fore egregie praeſtiturum. Sed fortaſſe ii, qui omnia reprehendere hodie ſolent, totum conſilium meum improbabunt. Atqui id duplex erat, nec ſine diligenti rerum conſideratione conceptum. Et Wopkenſii Lectiones Tullianas, quas a criticis nonnullis adhibitas, ab aliis neglectas, deſiderari a multis video, iterum edere, et collectionem criticarum ſcriptionum praeſtantiſſimarum inſtituere volebam. Admodum laudabilis enim ſemper mihi viſa eſt opera, qua Ianus Gruterus elegantiorum virorum libros in unum corpus coniunxit, et quae critici iſtius aetatis de emendandis ſcriptoribus antiquis commentati erant, ut ipſe narrat, e librariorem latebris eruta cooptavit. Neque haec induſtria tantum ad illud tempus pertinebat. Nam ſeptem illa volumina theſaurum continent a noſtris hominibus ſaepe ignoratum, ſed magnum et pretioſum: quare diſcipulis meis, ubi occaſio ſe offert, prae ceteris hunc librum commendare ſoleo. Sed quod illis temporibus, in quibus nova ſtudia fervebant, perficere licuit, poſtea nemini contigit: nam ſyntagmata, quae Io. Herm. Schminckius et G. Henr. Schaeferus componere coeperunt, non tam paratos inveniebant emptores, neque ultra

primum volumen processit virorum doctissimorum opera, Nuper demum desideriis nostris subventum est collectis Bentleii, Valckenaerii, Ruhnkenii opusculis, nec parum consuluit his litteris indefessa Seebodii industria. At, siquidem multum refert ad maiores respicere, ne, quae nunc novis nominibus venduntur, illis incognita fuisse putemus, neu oblivione intercipiantur ea, quae hodiernae doctrinae fundamenta iacta erant superiore iam tempore, restant adhuc praestantissimorum criticorum opuscula, quae nimis raro in eruditorum hominum usum veniunt, et digna tamen sunt, quibus restituendis et commendandis diligentissima cura adhibeatur. In quibus librorum collectionibus conficiendis duae res mihi videntur maxime animadvertendae: ne tales libri eligantur, quorum auctores non tam doctrinae condendae et expoliendae caussa laborarunt, quam ingenio et verbis luserunt, et ut ea, quae ante multos annos a viris doctis in sui temporis usum haud male disputata sunt, nostris studiis accommodentur. Nam critica ars, nobilis quidem et severa, quae multa et varia fata experta est, tandem videtur eo pervenisse, ut coniecturis et hariolationibus, quibus olim multi adeo ob ingenii lusum delectabantur, poetarum et oratorum veterum libros

transformari et vexari amplius non ſinat, ſed ante omnia accuratam cognitionem grammaticam et circumſpectum iudicii uſum in explicandis ſcriptorum ſententiis requirat. Quare eas tantum criticorum ſcriptiones deligere oportet, e quibus etiamnunc aliquid diſci poteſt, ſive in iis fundamenta quaedam doctrinae grammaticae et criticae poſita apparent, ſive exempla exhibentur ſubtilitatis verae, non ſpecioſae. Sed, ut ſit in omnibus cognitionis humanae partibus, quum in his quoque litteris indies ad veritatem propius accedamus, antiquo errore exſoluti, et alia, quam quae maioribus noſtris aperta erat, via ingredientes, ubi illorum opera iterum in lucem proferuntur, neceſſarium eſſe videtur, ut nova recognitione facta et ea, quae falſa aut non bene expoſita videantur, non in ipſis auctorum verbis, ſed annotationibus ſubiectis corrigantur, et ea, quae ipſi, ſi viverent, auctores addituri eſſent, addantur. Atque haec duplex ratio animo meo obverſabatur, quum conſilium talem collectionem criticorum opuſculorum inſtituendi cepiſſem, eamque in omnibus huius generis reſtitutionibus tenendam eſſe arbitror. Periculum ipſe nunc faciam. Viri docti, et inprimis tu, vir venerande, cenſebis, utrum hac, quam ingreſſus ſum, via pergam,

an in hoc uno volumine, ut ceteri, ſubſiſtam. Wopkenſii Lectiones primum elegi et propterea, quod multos hoc rariore libro aegre carere cognoveram, et quod Wopkenſius non infimum locum mihi viſus erat inter eos obtinere, qui primarium critici officium in ſubtiliore univerſae rei grammaticae cognitione collocant, neque ad emendanda, quae ſuſpecta videntur, verba ante ſe accingunt, quam omnia, quae ad linguae latinae ingenium et ad ſcriptorum uſum pertinent, comprehenſa habeant, nec temere a certa obſervationis regula aberrant. Non ingenio ille excelluit, ſed ſtudio, quo id praeſertim conſequutus eſt, ut comparatis ſimilibus locis conſuetudinem Ciceronis multis in rebus bene perſpiceret, et quae ab aliis in ſuſpicionem vocata erant, non tam ratione, quam exemplis vindicaret. Multa docuit, quae poſthac ab omnibus probata ſunt, multa etiam, quae novo ſtudio non indigna videntur, neque ingenio incaute indulſit, ſed prudentiam adhibuit eam, quam in criticis noſtris ſaepenumero deſideramus. Ego in verbis auctoris nihil mutavi, niſi quae in Addendis mutata voluit: ſed ubi Wopkenſium aut iudicio abuſum eſſe, aut a recta via aberraſſe animadverteram, id in notis indicavi, atque alia, quae ad rem demonſtrandam aliquid conferre vi-

debantur, adieci, interdum etiam novam expositionem rei instituì, et per totum librum ad recentiorùm criticorum curas respexi, et quae vel probanda vel non probanda reperiebantur, propterea notavi, ut, quo superioris saeculi studia a nostris distarent, quo illa adeo his praestarent, facilius intelligi posset. In quibus annotationibus si forte non satis multa dedisse, ac saepe occasionem de aliorum scriptorum locis examinandis vel emendandis subtilius disputandi sponte oblatam omisisse videor, caussa, quae me in hac rerum copia cohibuit, in eo consilio posita erat, quod Pindarus sapientium auctoritate commendat: σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος αἴνησαν περισσῶς. Neque eorum exemplum imitandum videtur, qui lectores suos omnino ignaros et de qualibuscumque rebus monendos putant. Quare in hoc libro relicta sunt, quae alii me doctiores vel addant, vel corrigant, multa: sed sufficiant haec de singulis rebus ad Ciceronem pertinentibus per occasionem dicta: de universa ratione critica, qua praestantissimi oratoris scripta tractari debeant, neque a multis adhuc tractata sunt, alia mihi erit opportunitas disserendi. Quae ad commodum libri usum per additos indices et per correctos vel suppletos numeros in allatis scriptorum locis contulerim, ipsi

videbunt lectores. Tu vero, vir dilectiſſime atque optime, hoc munuſculum benevolo animo accipe ita, ut ab eo oblatum exiſtimes, qui, ut optimi cuiusque aſſenſum et approbationem mereatur, quantum quidem poſſit, laboret, magis tamen tuo amore tuaque benevolentia ſe ornatum et ſuſtentatum cupiat. Vale.

Scribebam Ienae ipſis Calendis Decembribus MDCCCXXVIII. anno poſt primam huius libri editionem undecenteſimo.

# DEDICATIO.

VIRIS ERUDITISSIMIS PLURIMUMQUE VENERANDIS, ADRIANO A CATTENBURG, S. THEOLOGIAE, ET IOANNI CLERICO, PHILOSOPHIAE HISTORIAEQUE SACRAE, INTER REMONSTRANTES PROFESSORIBUS CLARISSIMIS.

S. D. P.

THOMAS WOPKENS.

---

Si par Vobis in audiendis laudibus, atque in promerendis voluptas esset, Viri Eximii, quam longe lateque in illas exspatiari oratio mea posset! quum mihi campum patentissimum aperiant insignes, quibus Dei munere ornati estis ingenii, animique facultates, sempiternaque illa sapientiae, eruditionis, industriae assiduitatisque vestrae monumenta, quibus orbem literatum, arctissime vobis etiam atque etiam devinxistis. At non committam, ut harum rerum encomiis, quamvis meritissimis, summae modestiae illi, quam reverendae gravitati vestrae coniunctam habetis, molestus sim, cum praesertim propria luce sua ita satis abundeque exsplendescant, ut illas dum amplificare vellem, timendum

ſit, ne etiam minuerem. Venio igitur ad id, quod huic libelli mei dedicationi prora ac puppis eſt; ut praeter illam, quam hoc veluti τεκμηρίῳ cummaxime coram omnibus teſtificor, erga Vos reverentiam meam, gratias, quas ante hoc triennium Vobis privatas egi, nunc agam publicas, ac debiti mei partem, quamvis minimam, offerendo Vobis hoc, qualecunque illud eſt, munuſculo philologico, qua par eſt veſtri cum obſervantia perſolvam. Vos enim, Viri honoratiſſimi, annuente Deo O. M., fideliſſima veſtra, mihique ſaluberrima inſtitutione ad Theologiae literarumque humaniorum ſacraria optimi mihi duces fuiſtis. Vos ad amicitiam veſtram, qua mihi nihil potuit eſſe nec fructuoſius nec honorificentius, nullo plane merito meo provocati, introitum benigniſſime mihi patefeciſtis. Vos mihi ſupellectilem veſtram librariam, omnis generis codicibus inſtructam, ſponte plane veſtra recluſiſtis, meamque tenuitatem, quotiescunque uſus foret, humaniſſime ſuſtentaſtis. Verbo dicam: Vos et eo tempore, cum in me docendo bonorum praeceptorum vices perfecte obiretis, et poſtea etiam ad hunc usque diem, immeritam veſtram in me voluntatem ac benevolentiam tam re quam verbis ita declaraſtis, ut omnium forem duriſſimus, ſi tantis veſtris beneficiis ornatus, haec animo grato non agnoſcerem, et quavis uſus opportunitate, apud omnes non praedicarem. Date igitur veniam audaciae meae, ſingulari veſtra comitate innixae, ut quanta poſſim cum verecundia veſtrique veneratione libellum hunc Lectionum Tullianarum Vobis dedicem et conſecrem, tamquam ſubmiſſae in Vos obſervantiae, grataeque perceptorum beneficiorum memoriae meae veriſſimum pignus ac monumentum. Vos illud ſereno vultu blandoque animo, pro ſumma veſtra facilitate, accipite, quaeſo;

remque oblatam non ſuo pretio, ſed offerentis potiſſimum animo, quod facere ſoletis, aeſtimate; ut habeam, quod mihi gratuler, ſi hanc dedicationem, mihi ſane perhonorificam, Vobis intelligam non fuiſſe ingratam. Equidem ferventiſſimis precibus a Deo contendam, ut Vos, Divinarum atque humanarum literarum ſtrenuos vindices, ad rem Chriſtianam ac literariam promovendam, diu conſervet ſuperſtites, ac tandem in ſedem beatorum translatis ſupremam Vobis laborum laudatiſſimorum, eximiaeque pietatis veſtrae mercedem gratuitam, filii ſui Ieſu Chriſti cauſa, impertiat.

Dabam Amſtelodami,
X. Kal. Decembres,
MDCCXXIX.

## Lectori Salutem.

Quas tui nunc iuris facio, Lector Benevole, Lectiones Tullianas, hae partem longe maximam tunc temporis a me elucubratae ſunt, quum ſtudiorum Academicorum ſpatium, quod ante hoc triennium emenſus ſum, decurrerem. Libentiſſime tum prudenti praeceptorum inſignium, quos modo honoris cauſa compellavi, utebar conſilio, neque hoc tempore muto factum, ut operam meam quotidianam, quae quidem in Theologia praecipue verſabatur, auctoris cuiuspiam claſſici lectione interpungerem. Quos quum oculo fugiente nonnullos, alios paullo attentius pervolverem, duo maxime ſtili materiaeque genere me delectarunt, animumque ita ceperunt meum, ut lectionem eorum, quoad eius fieri per graviora ſtudia potuerit, aſſiduam mihi fecerim. Xenophontem dico et M. Tullium, quorum auctorum laudibus, per ſe quippe fulgentiſſimis, nil attinet immorari. Quemadmodum autem de Xenophonteis me inprimis tenebant, quae ille de Socrate *Memorabilia* conſcripſit; ita mihi potiſſimum iſta Tulliana placuerunt, quibus philoſophiam facit ſermone pere-

leganti argumenta talia persequentem, quae ad disciplinarum nostrarum rationem maxime videbantur accommodata.

Haec autem Ciceronis monumenta insignia longe, quam qua unquam antea, maiore cum voluptate lectitabam, postquam in editionem illorum comptissimam incideram; quam in Anglia accuravit vir eruditissimus ac celeberrimus *Io. Davisius*, qui libris hisce eximia luce collustrandis, pristinoque nitori felicissime restituendis, communi omnium opinioni, quam dudum compluribus aliis auctoribus laudatissima opera sua demerendis ingentem de se concitaverat, ita abunde satisfecit, nihil ut iis, qui salvam velint rempub. literariam, magis in vobis sit, quam ut quo pede instituerit, eodem in aliis tam Tullii, quam aliorum scriptis perpoliendis atque illuminandis, Θεοῦ σὺν παλάμᾳ pergat, Hae quidem me blandissime prolectabant deliciolae, ut quantumcunque suppeteret horarum subsicivarum, illud (praefiscine dixerim) indefessa cum industria atque assiduitate in Cicerone, veterioribusque illius et recentioribus interpretibus versandis consumerem. In quibus laboribus dum animo meo, a philologia iam diu haudquaquam alieno, indulgeo liberius, nata mihi sunt, benevole Lector, commentariola haec critica. Nam quum insignibus literatorum curis non sic nihil prorsus reliqui factum esse viderem, (quis enim tale quid, quod humanis facultatibus longe maius est, ab hominibus quamvis doctissimis ac sagacissimis, attamen hominibus ullo iure exspectet?) quin in usum si non publicum, omniumque communem; privatum certe meum spicam aliquam post messem opiparam colligi posse confiderem, ipsi mihi stimulus eram, ut si quid in Ciceronis verbis, doctorumque notis aurem vellicaret, hoc protinus domesticis adversariis consignarem, meum que de his rebus

iudicium in dies maiore argumentorum firmamento stabilirem.

Tela hac inchoata, vix unquam fore speraveram, ut huc usque pertextam publici iuris facerem; quippe cum gnarus ipse meae in his rebus mediocritatis, in tali campo mei potestatem facere, eruditorumque oculis acerrimis opellam hanc levidensem subiicere rem plane arduam existimarem; maximeque etiam contremiscerem, ne quam dirae meritissimas eruditorum laudes arrodendi pruriginem prae se latura esset haec ratio nostra, quam tamen pravissimam indolem cane peius et angue animo meo condemno atque detestor. Non tamen exhortantibus (quid enim caussam istam occultaverim?) amicis quibusdam doctissimis, quorum iudicio fideique plurimum tribuere consueveram, morem gerere nec volui nec potui, quod me rem facturum arbitrabantur Musarum cultoribus gratissimam, si quae domi hactenus clausa presseram, in dias luminis auras emitterem; nec posse inde quidquam detrimenti capere virorum honoratissimorum, quibuscum tam libere dissensi, existimationem, quod sit cum publico bono comparandum. Fidentiam quoque conscientia dabat non tantum adhibitae quam diligentissime prudentiae, sed observatae etiam in eximios huius seculi Varrones, sanctissimasque virorum illustrissimorum manes aequitatis summae atque reverentiae, quippe quorum hallucinationes cum vel per se doctissimas esse et acutas, tum quoque difficillimorum nodorum expeditionibus felicissimis abunde compensari, neminem fore putem qui inficias eat, modo ingenio possit moveri. Accedebat etiam, quod rem agi reputabam cum viris honestissimis, quorum eam confidere licebat esse humanitatem, ut quo iure legitimo ipsi essent usi, illud aliis non denegarent; aequique omnino consulerent, si veniam mihi sumerem,

quam damus petimusque vicissim, ut errores ipsorum salvis et inviolatis candoris modestiaeque legibus, coarguerem.

His quidem rationibus permoveri me passus sum, Lector Benevole, ut hunc observationum criticarum libellum de penu mea literaria expromerem; in quo iam porro paucis intellige, quid praestiterim. Scripta Tullii, quae his Lectionibus perlustrantur, sunt Academicae ac Tusculanae disputationes, librique de Natura Deorum, de Divinatione ac Fato; reliqua auctoris opera philosophica, quae de lima editoris laudati accuratissima prodierunt, animo aeque intento pervolutare hactenus mihi per temporis angustias non fuit integrum. Iam vero in hanc rem curam praecipue converti meam, ut eorum locorum integritatem ostenderem, quae emendationibus suis necquicquam labefactare, suspicionibusque parum iustis vexare viderentur interpretes; quod aut mentem scriptoris minus dextre adsequerentur, aut ad analogiam grammaticam, communioremve vocum aut formularum usum superstitiosius adhaerescentes, istiusmodi *ἀκυρολογίας* ac *σολοικίας* obelo confoderent, quibus si non prorsus similes atque geminas, at non minus certe duras aut insuetas modo silentio suo, modo etiam planissimis verbis alibi agnoverint esse tolerabiles. Magnae omnino variantium codicum ad emendandam lectionem vulgatam est auctoritas; attamen quo possint plura exempla proferri, loco sollicitato ad istam loquendi formulam, ob quam sollicitetur, similia; eo quoque proclivior est graviorque suspicio, dicendi genus quamvis sit minus commodum aut consuetum, esse tamen auctori adsignandum, aut illo saltem non indignum. Neque enim grammaticorum scitis ita penitus addicti fuerunt veteres, ut nunquam se vel la-

tum unguem inde transversos abripi paterentur; neque elegantissimorum quispiam sic semper cogitata sua expressit, ut verbis aptioribus uti non potuisset, modo tam ad sermonem suum, quam ad rem animo obversantem, attentus fuisset. Hoc sane statuisse videntur critici illi nobilissimi, quorum in Ciceronem adnotationes hic examini meo subiectae conspiciuntur; qui locum unum haud rarenter, alterius suppetiis adhibitis, a mendae suspicione tuiti sunt, eoque graviore pondere lancem suam deprimi iudicarunt, quo pluries in analogiam grammaticam loquendique rationem consuetam eodem plane modo committere Tullium animadverterent. Qua igitur ratione aliorum emendationes trutinarunt ac repulerunt ipsi illi viri, eadem quoque suas habent Lectionibus his Tullianis oppugnatas; in quibus, nisi me vehementer fallit animus, nulli uspiam duritiei patrocinatus sum tantae, quantam non ab ipsis saepenumero adscitam fuisse deprehendas. Quod autem in coacervandis exemplis, quibus causam meam probare conatus sum, prolixior fui, hoc neminem puto aegre laturum, qui modo reputet flagitasse hoc saepissime phrasiologiam quamdam usumve vocis notabiliorem, flagitasse etiam non tantum summorum virorum, sed etiam conspirantium aliquando complurium *κόμματος οὐ πονηροῦ* apographorum auctoritatem.

Iam porro ad vindicias hasce meas, quae quidem utramque fere paginam faciunt, accedunt etiam nonnullae emendationes, quas vel proprio Marte, vel succenturiantibus libris, in istiusmodi locis institui, quorum vitium aut sicco pede praeteriissent interpretes, aut medela parum idonea tollere tentassent. Potuissem longe plures coniecturas proferre, nisi infaustissima exempla virorum, me quidem immensis parasangis et acu-

mine et eruditione ſuperiorum, hariolandi libidinem temperaviſſent, ut ſupprimenda ſtatuerem, quae fundamento debiliori inniterentur, aut immaturiora adhuc aliquid a tempore cocturae poſtularent. Tenebricoſa ſane atque offendiculis obſita via eſt ineunda, ſi quis veterum monumenta emaculare aggrediatur, praeſertim ubi non praeſto ſint libri, qui facem praeferant; quam ob cauſam viam ſecutus ſum longe faciliorem, quae mihi parata erat ad diluendas virorum optimorum emendationes minus neceſſarias. Porro etiam dicam, me nonnunquam iſtiusmodi loca quaedam, in quibus nondum quidquam tentatum fuerat, aliquo locorum parallelorum praeſidio muniiſſe; ne forte poſthac retinerent moroſiorem, novandique cacoëthes alicui commoverent.

Dum ſic in libros Tullii memoratos commentarer, viſum eſt quoque faciendum, ut cum huiuſce ſcriptoris, tum aliorum etiam tam Latinorum quam Graecorum loca quaedam obiter illuſtrarem, defenderem aut emendarem; idque non tantum cum res, quae tractaretur, talem aliquam digrediendi copiam mihi faceret, ac veluti manu eo deduceret, ſed interdum etiam quaeſita per viam quandam obliquiorem opportunitate, qua talia aut levi tantum brachio attingerem, aut ſic diffuſe excuterem, ut ex uno diverticulo in alterum inciderem. Cum enim mihi perſuadeo, non ingratam lectoribus meis fore iſtam varietatem; tum quoque hanc extra limites exſpatiandi libertatem mihi ſumere non dubitavi, quod me in hiſce animadverſionibus, quas ſeorſim ab auctore ederem, non tam anguſtis terminis conſtrictum arbitrabar, quam ſi illas Ciceronis diſputationibus ſubiunctas darem, aut totidem verbis aliquando ſubiungendas.

De reliquo, quum homo ſim, nihilque humani a me alienum putem, non facile equidem mihi imperaverim ut credam, in his curis philologicis nusquam me fuiſſe lapſum; proptereaque ſic praefationem meam abſolvam, ut errorum veniam abs te, candide Lector, ingenue expetam, meque aequitati tuae commendem atque committam, non minori, uti confido, quam qua in aliorum hallucinationes ipſemet uſus fuerim. Vale, Lector Benevole, hisque meis primitiis literariis utere ac fave.

THOMAE WOPKENS

LECTIONUM

# TULLIANARUM

LIBER PRIMUS,

*complectens animadversiones in Ciceronis Academica, et Disputationes Tusculanas.*

## CAPUT I.

*Vulgata lectio Ciceronis in Acad. I. quinquies aut sexies a maculae suspicione liberatur. Ellipsis pron.* id *adstruitur. Tertiae personae usus singularis observatur. Cicero obiter juxta cum Arriano vindicatur. Pronomen* is *demonstrativum. Ellipsis praep.* ἀπὸ κοινοῦ *repetendae. Cicero bis terve vindicatur.*

Cicero Epist. ad Varr. Acad. praefixa *meque sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quam aliquid accepissem, ut possem te remunerari quam simillimo munere. Sed cum tu tardius faceres,* etc. Quod vir eruditissimus Io. Davisius legendum coniicit *quod cum tu tardius faceres*, ne indigne ferat, si cum saepius alibi, tum heic etiam in diversam ab illo sententiam abiero. Est enim hic ellipsis pronominis demonstrativi pervulgaris. [1]) Sic Plaut. Asin. III. 3, 88. *Furcifer,*

1) Triplex est usus, cujus exempla Wopkensius non satis distinxit. Omittitur enim interdum pronomen, quod ex antecedentibus verbis facile intelligitur. Atque id non

a etiam me delusisti? LE. *Nunquam hercle facerem*, etc. Noster ad Fam. lib. III, 7, 3. *querebare quod eos tributa exigere vetarem*, etc. *quid habuit iniquitatis, me scribere ne facerent antequam* etc.? Tusc. V, 32, 90. *An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere? nostrates philosophi facere non potuerunt?* ubi, ut hoc obiter, τὸ *facere* vix ego cum viris doct. pro glossa habuerim, quod reclamare videntur talia loca: de Divin. I, 39... *cur. Cassandra furens futura prospiciat, Priamus sapiens hoc idem facere nequeat?* Acad. II, 33. *Quod si is facere potest de his rebus, cur id sapiens de reliquis rebus facere non possit?* 2)

tantum in verbo *facere* fit: nam sicuti Plautus in Asinar. 5, 3, 88 loquutus est, ita Cic. p. Flacc. 15, 35. *non deduxi, inquit, Sextilium. Cedo tabulas. Non deportavi. Fratres saltem exhibe. Non denuntiavi.* Tum v. *facere* componitur cum adverbiis ita, ut ipsum propius ad neutralem significationem accedat, idemque fere exprimat quod *agere*. Ita dixit Cic. l. l. *tardius facere:* ita illud *bene facere*, de quo Cortius ad Sallust. Cat. 3, 1. Cic. Acad. 1, 7, 25 *bene sane facis*, quod p. Quint. 25, 79. *bene agis.* cf. de Fin. 3, 4, 15. ad Att. 12. 24. Quis vero umquam dixerit *cogitatius facere*, quod Goerenzius affert, equidem nescio. Denique *facere* ponitur pro efficere, seu curare ut fiat, de eo, qui rei perficiendae particeps fit. Et in hac dictione omittitur pronomen. Tacit. Ann. 1, 10 *proscriptionem civium, divisiones agrorum ne ipsis quidem, qui fecere, laudatas.* Cornel. N. Paus. 2, 5. *si fecerit, nullius rei a se repulsam laturum.*

2) Verbum *facere* cuiuscumque verbi, quod antecedat, loco positum illustraverunt Wopkens. cap. 3. Heusing. ad Cic. de Off. 1, 1, 1. Brem. ad Cornel. Chabr. 3, 4. Lennep. ad Ovid. Her. 1, 103. De graeco usu Heindorf. ad Plat. Charm. 16. In Cic. Tusc. 5, 31. *facere* etiam Ernestio suspectum erat. Quod vero Wopkensius scripsit *potuerunt*, ut exhibent aliquot codices, non *poterunt*, probari nequit. In hac enim formula aut futurum ponitur, aut praesens. Vid. librum de Particulis s. v. *an.*

Academ. Lib. I. cap. 1, 2. *Intemperantis enim eſſe arbitror ſcribere quod occultari velit.* Non videtur *velit* Hieronymi auctoritate in *velis* convertendum, quamvis perſona tertia nomen non habeat unde pendeat. Similis plane ratio eſt *τοῦ nesciat*, infra c. 4. *quod haec eſſet una omnis ſapientia, non arbitrari ſe ſcire quod neſciat.* ubi neceſſe non arbitror, pro *omnis* reſcribi *hominis*, quod volebant viri eximii. ita enim porro Tuſc. IV, 20. *ipſum illud aemulari, obtrectare non eſſe inutile, cum aut ſe non idem videat conſecutum* etc. cap. 26. *cum ſit aemulantis angi alieno bono, quod ipſe non habeat.* cap. 11. *Haec autem opinatio eſt, iudicare ſe ſcire quod neſciat.* de Fin. IV, 23. *Nihil igitur adiuvat procedere et progredi in virtute, quo minus miſerrimus ſit, antequam ad eam pervenerit.* lib. V, 9. *Ita finis bonorum exiſtit, ſecundum naturam vivere ſic adfectum ut optime adfici poſſit.* de Leg. I, 21. . . *naturam ſequi, id eſt, nihil quantum in ipſo ſit, praetermittere, quo minus ea, quae natura poſtulet, conſequatur, quod inter haec velit virtute tamquam lege vivere.* Seneca epiſt. 83. *Dic quam turpe ſit, plus ſibi ingerere quam capiat.* de Clem. II, 3 5. *Miſericordia eſt triſtitia ex alienis malis contracta, quae accidere immerentibus credit.* de Benef. I, 2. *Beneficiorum ſimplex ratio eſt; tantum erogatur, ſi reddet aliquid, lucrum eſt; ſi non reddet, damnum non eſt.* ubi vide Gronovium *τὸν πάνυ*.[3]) Antea vero quam

3) Vid. Heuſinger. ad Cic. de Offic. Praef. p. 45. Goerenz. ad Acad. loc. Apertum eſt, nomen ſubiecti non omitti poſſe, niſi aut ipſum facile ex antecedentibus, praeſertim ex obliquis nominibus nominativus rectus intelligatur, aut per formam verbi (ſecundam perſonam ſingularis et tertiam pluralis dico) exprimatur. Quare Matthiae nuper in Gramm. graec. p. 590 docuit, excepto uno Homero, in

de tabula manum, idem mihi videri dicam exiſtimandum de verbo *ἐστὶν* apud Arrian. Diſſ. Epict. lib. I. cap. 9. *τί ἄλλο ἀπολείπεται τοῖς ἀνθρώποις, ἢ τὸ τοῦ Σωκράτους; μηδέποτε πρὸς τὸν πυθόμενον ποδαπὸς ΕΣΤΙΝ, εἰπεῖν ὅτι Ἀθηναῖος ἢ Κορίνθιος, ἀλλ' ὅτι κόσμιος. quid ſupereſt aliud hominibus praeter illud Socratis? numquam perconctanti cuias ſit*, i. e.

reliquis ſcriptoribus vel ad ſuperiora, quae antecedant, reſpiciendum, vel ſcripturam eſſe emendandam. At in iis, quae illo modo defendantur, vereor, ne exempla ſint, in quibus grammaticum ſupplementum cogitationi magis quam orationi explendae inſerviat. Veluti in Plat. Men. p. 97. A. ὅτι δ' οὐκ ἔστιν ὀρθῶς ἡγεῖσθαι, ἐὰν μὴ φρόνιμος ᾖ, τοῦτο ὅμοιοί ἐσμεν οὐκ ὀρθῶς ὡμολογηκόσιν. Illud enim in utriusque linguae uſu obſervatur, in ſententia, quae non ad unum aliquem, ſed ad omnes pertinet, qualis eſt definitio, ſive infinitivo, ſive ſubſtantivo poſito, intelligi debere *aliquem*, ad quem etiam altera ſententiae pars referatur. Ita in exemplis a Wopkenſio collatis, ſed non accurate diſtinctis. Nam in illis: *intemperantis enim eſſe arbitror ſcribere, quod occultari velit*, habemus certum *intemperantis* nomen. In Senecae verbis: *miſericordia eſt triſtitia ex alienis malis contracta, quae accidere immerentibus credit,* non dubitabimus ſupplere *aliquis.* Nec praeſtat in Eur. Oreſt 308 ſcribere cum Calliſtrato κἂν μὴ νοσῇς γὰρ, ἀλλὰ δοξάζῃς νοσεῖν, κάματος βροτοῖσιν ἀπορία τε γίγνεται· pro νοσῇ — δοξάζῃ. In Sophocl. Trach. 2. tantum abeſt, ut mutationem ἐκμάθοις probemus, ut per reliquam verborum ſtructuram doceamur, quae ſit in his locis communibus ratio: λόγος μὲν ἔστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς, ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοι βροτῶν, πρὶν ἂν θάνοι τις. Ceterum in loco Senecae de Benef. 1, 2, non opus eſt cum Eraſmo ſcribamus: *ſi redit aliquid, lucrum eſt, ſi non redit, damnum non eſt.* In Cic. Brut. 58, 209. *quum autem difficile ſit, in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut ſibi ipſe non conveniat: quanto difficilius, cavere, ne quid dicas, quod non conveniat eius orationi, qui ante te dixerit?* Erneſtii emendationem *ipſa* elegantiſſimam eſſe ego non affirmaverim: nam intereſt aliquid inter orationem non convenientem et oratorem, qui ſibi ipſe non conveniat.

cujas ſis, *dicere Athenienſem eſſe aut Corinthium, ſed mundanum.* Cl. Meibomius tentabat, *εἰπόντος ὅτι Ἀθηναῖος*. ut ita haec conſtrueret cum antecedd. *τοῦ Σωκράτους*, etc.

Eodem cap. 2. *quod iam pridem ad hunc eum ipſum (me autem dicebat) quaedam inſtitui* etc. An vocula *eum* delenda ſit, quod voluerunt viri inſignes, ego quidem vehementer dubito; quoniam demonſtrationis *ἐπισημασία* validior cum huic loco ſatis quadrat, tum ſaepius quoque hoc modo accumulandis pronominibus exprimitur; ut docuit Auſ. Popma, lib. II. de Uſu Ant. Locut. cap. 10. ubi hunc quoque locum Tullii allegat, ut ſibi ſatis ſuperque probatum. Addamus iſta ex Orat. poſt red. in ſen. cap. penult. *nec mihi ille ipſe animus idem meus, vobis non incognitus, defuit.* ad Att. II. ep. 1. extr. *me illum ipſum vindicem aeris alieni.* de Fin. V, 8. *iſta animi tranquillitas ea ipſa eſt beata vita*: ubi vix auſim cum editore cl. pro *ea ipſa* reponere *re ipſa*. vide enim, ſis, harum literarum virum ſcientiſſimum G. Cortium ad Saluſt. Cat. 57, 1. 4)

Cap. II, 7 *Totum igitur illud philoſophiae ſtudium mihi quidem ipſe ſumo et ad vitae conſtantiam quantam poſſum, et ad delectationem animi.* Non video 4
cur illud *quantam* ſic diſplicuerit doctiſſimis literatoribus, ut mallent *quantum:* idem eſt enim, ac ſi dixiſſet

4) His quae Goerenzius addit loca de Off. 2, 3, 9. ad Att. 2, 1. aliena ſunt: neque conveniunt illa ex Orat. poſt red. et Tuſc. 5, 9, 26. ubi *idem* vim habet adjectivam. Reſtant igitur duo loca Acad. et de Fin. 5, 8, 23. Sed ibi codices exhibent: *quia iſta animi tranquillitas ipſa eſt vita beata.* Nec dubitari poteſt, quin alter locus Academ. corruptus ſit. Scripſiſſe videtur Cicero *ad huncce ipſum*: id quod probant addita verba *me autem dicebat.* Alia eſt res in his p. Flacc. 22, 52. *huic illi legato.* de Fin. 4, 16, 43. *hi autem ponunt illi quidem prima naturae etc.*

Cicero, .. *ad vitae constantiam, ad quantam possum,* etc. Fit autem saepius, ut sic membro posteriore omittatur praepositio, quae in antecedente fuerat expressa. ad Att. VIII. ep. 11. p. 793. *in eadem opinione fui, qua reliqui omnes:* i. e. in qua. Tusc. I, 46. *esse cum aliquo sensu in his malis, quibus vulgo opinantur.* et cap. 39. *in eadem propemodum brevitate, qua illae bestiolae, reperiemur.* de Fin. 1, 15. *in eadem causa sunt, qua antequam nati.* Minucius Felix Oct. cap. 34. *si ista moles ab eo, quo exstructa est, destruatur.* Quintil. apud Lactant. Instit. V, 7. *ut odium, cupiditas, ira in id, quod incubuerint, agant caecos.* Vellejus Pat. I, 7. *ne in id, quod Homerus, incideret:* ubi consule celeb. Burmannum. 5) Hinc quoque stabiliri lectio ista potest, de Leg. lib. III, 15. *nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio.* ubi coniicit V. Cl. *in qua te* etc. 6) de Fin. I, 10. *qui in ea voluptate velit*

5) Bona observatio, non tamen apta loco Academicorum. Vid. Heindorf ad Plat. Gorg. p. 240 ad Phaedon. p. 91. Matthiae Gramm. 596. p. 1192, Sed quaeritur, an Cicero per attractionem dixerit *quantam possum*, ut esset *quantamcumque.* Pro Planc. 19, 48. *quam tibi commodum est, unam tribumdelige tu.* ubi non sufficit supplere *deligere.*

6) Bene defendit Wopkensius hunc locum ista, quam antea exposuit, ratione. Quod etiam dicitur *aliqua sententia esse* ad Fam. 6, 22, 4. non huc pertinet. De loco ex libr. de Fin. 1, 10, 32. Matthiae, qui aliquando defenderat *qua*, nunc in Prolusione 1804. edita, haec: „Ante Lamb. edebatur *qua nihil m. c.* pro *in qua.* Sic infra c. 13. *morte qui affecti sunt, in eadem caussa sunt, qua antequam nati.* de Leg. 3, 15. de Fin. 4, 20. *Zeno negat Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in caussa, qua tyrannum Dionysium.* Nec tamen his aliisque, quae suppeditat Wopkens. p. 4. antiquam lectionem revocaverim, etsi *consequi* absolute eadem constructione occurrit infra 4, 12.“ Rationis explicationem desidero: nam cur voluptas dici non

*eſſe, qua nihil moleſtiae conſequatur:* ubi non audiendus erat Lambinus, qui reſcripſit *quam nihil* etc. nam verbum *conſequi* paſſim ſic venit ſine accuſativo.

Cap. ſeq. [1, 3, 10.] *Cauſam autem probabilem tu quidem adfers... ſed da mihi nunc, ſatiſne probas?* Ut ultima vox ad *cauſam* referretur, legere malebat Cl. Daviſius *ſatiſne probam?* At citra iſtiuſmodi emendationem, apta plane eſt ultimae voci cum illa antecedente neceſſitudo, quando quidem *cauſam probare* phraſis eſt Latiniſſima. vide ad Att. I. ep. 1. extr. ad Fam. XIII. ep. 7. et alibi. Eodem cap. *ſic philoſophiam Latinis literis perſequitur, nihil ut iisdem de rebus Grae-* 5 *cia deſideret.* Haec, quamvis ingenia interpretum in omnes formas verterint, ſenſum tamen tolerabilem haud aegre fundere videntur, modo intelligatur auctor dixiſſe, Bruti ſcripta tam exacta atque perfecta eſſe, nihil ut in his vel Graeci requirant, quod non ſatis elaboratum ſit. [7]).

---

poſſit, in qua nihil moleſtiae conſequatur, equidem non video: eſt enim, in qua poſt voluptatem nulla moleſtia ſequatur. Sic ponitur praepoſitio *in* apud Cic. ad Fam. 2, 16, 4. *noſti — oculorum in hominum inſolentium indignitate faſtidium.* Sed dura exſiſtit oratio, ſi, veluti in loco iſto Minucii Felicis, in hac praepoſitionis omiſſione non continuatur una ratio, ſed mutatur. Hoc offendit in Cicerone, qui quidem non auſus eſſet ſcribere: *qui in ea voluptate velit eſſe, qua nihil moleſtiae ſentiat.* Tamen ipſe etiam in hunc modum ad Fam. 4, 13, 16. *reſpublica, quascunque vires habebit ab iis ipſis, quibus tenetur, de te propediem, mihi crede, impetrabit.* Igitur res amplianda eſſe videtur.

7) Atque ita Goerenzius quoque, non nominato Wopkenſio. Ne quis tamen in Ciceronis verbis requirat illam particulam *vel*, monendum eſt, tale quid nimium videri in hac ſententia, quae Graecis non concedat praeſtantiam.

## CAPUT II.

*Cicero in Acad. I. aliquoties defenditur: semel emendatur. Genitivi usus notabilis illustratur. Servius refellitur.* Omnium sapientissimus. *Duo Ciceronis loca* ὡς ἐν παρόδῳ *vindicantur.* Autem *pro item, insuper. Aliqua Ciceronis loca stabiliuntur, iuxta cum Hirtio et* Novatiano. Multa vitae commoda, *pro omnibus v. c. Cicero et Min. Felix vindicantur.*

Eodem Acad. lib. I. cap. 4, 13. *Sed ignorare te non arbitror, quae contra Philonis Antiochus scripserit.* Elegantiam habet genitivus ille *Philonis*, quae quidem latuit illis, qui edere maluerunt, *quae contra Philonem A. s.* Dicitur *Philonis* Antiochus, quod illius fuit discipulus, vel quod illius dogmata amplexus fuit. 8) Sic de Fin. V, 31. *Et quidem Arcesilas tuus . . noster fuit: erat enim Polemonis.* et cap. 5. *Primum Theophrasti Strato Physicum se voluit . . Huius Lyco est oratione locuples . . Concinnus . . huius Aristo.* lib. IV. 22. *Quid si reviviscant Platonis illi, et deinceps qui*

8) Goerenzius animadvertit, Antiochum inepte nominari discipulum Philonis, qui paullo antea dicatur magister Antiochi. At haec Cicero, ista Varro loquitur, nec possunt, nisi affectatorem Philonis intelligas, reliqua verba construi. Nam quod Goerenzius intelligit, *contra Philonis sententiam*, id abhorret ab omni usu atque ratione. Madvigius qui nuper de hac re disputavit in Emendat. Hafniae 1826. editis p. 115. „omnes sciunt, inquit, fieri non posse, ut casus a praepositione rectus ita subaudiatur." Scilicet omnes sciunt formulas: *ad Dianae*, εἰς ᾅδου, *in praesentiarum* et alia. Ipse ille coniecit *contra Philonia*, quod probari nullo pacto potest. Recte vero dicitur *Philonis Antiochus* cum sarcasmo quodam, quasi dicatur Antiochus ille Philonius, quem tu discipulum Philonis nominasti. Noluit enim Varro affirmare Antiochum contra Philonem scripsisse, sed contraria. Infra 2, 22, 69. de Antiocho: *numquam a Philone discessit, nisi posteaquam ipse coepit, qui se audirent, habere.* cf. Goerenz. ad Cic. de Fin. 4, 2. 3. 4, 22, 61.

*eorum auditores fuerunt:* sic enim ego iuxta mſ. J. F.
Gronovii lego, non *Platonici illi*, aut quod voluit vir
cl. *Platonis alumni.* Eodem autem modo *alienum* eum
dicunt Latini, qui alterius decretis se totum addixit;
contraque *suum*, qui suo in rebus iudicio utitur. Iidem 6
libri de Finibus sedes mihi argumentorum sunto. lib. I,
6. *Principio, inquam, in physicis, quibus maxime glo-
riatur, primum totus est alienus.* lib. IV, 4. *Nam
qui sciet* etc. *poterit eruere, semperque esse in dispu-
tando suus.* lib. V, 5. *Hic quoque suus est, de summo-
que bono dissentiens, dici vere Peripateticus non potest.*
Nimium igitur, quod etiam observat cl. Davisius, ge-
nitivi istiusmodi usum coarctat Servius ad Aen. I, 45.
cum hanc figuram circa patres tantum et maritos usi-
tatam esse docet.

Ibidem 16. Hic (Socrates) . . *ita disputat, ut . .
nihil se scire dicat, nisi id ipsum . . . ob eamque rem se
arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse di-
ctum, quod* etc. Festinabat vir vere doctus, cum *homi-
num sapientissimum*, pro *omnium sapientissimum*, le-
gendum coniiceret; neque enim oraculum, unde ille
argumentari videtur, sonabat *ἀνδρῶν σοφώτατον,*
ut allegat, sed *ἀνδρῶν ἁπάντων σοφώτατον.* Et sic
praeterea Min. Felix Oct. cap. 13. de Socrate, *idcirco
universis esse praepositum, non quod omnia comperis-
set, sed* etc. Salvianus Gub. l. VII. pag. 159. *numquid
non sapientissimus omnium Socrates semper existima-
tus est?* Tertull. Apol. cap. 46., *quia Socratem Apollo
sapientissimum omnium cecinit.* Parilis usus vocis
*omnium* est de N. Deor. lib. III, 32. *Cur omnium per-
fidiosissimus C. Marius* etc. ubi cave, cum ampl. Boh-
rio faxis, *cur hominum perfidiosissimus*, aeque enim
late *τοῦ omnium* significatio patet. Ita et pro Marc.

cap. 7. *nam quis eſt omnium, tam ignarus rerum* etc.? ubi Patricius tentabat, *nam quis eſt omnino tam i. r.?* Sed tu vide cl. Daviſ. ad haec N. Deor. I, 27. *Omnium quis tam caecus* etc.? et doct. Waſſeum et Cortium ad
7 haec Saluſt. Catil. cap. 51, 1. *neque quisquam omnium libidini ſimul et uſui paruit.* Adde, ſi placet, de Fin. Lib. II, 18. *omnium vir optimus et iuſtiſſimus.* de Nat. Deor. II, 4. *Vir ſapientiſſimus, atque haud ſcio an omnium praeſtantiſſimus.* et plura talia. 9)

Paucis interiectis, ſic pergit Cicero: *Nam cum Speuſippum ſororis filium Plato Philoſophiae quaſi heredem reliquiſſet; duos autem praeſtantiſſimos ſtudio atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium et Ariſtotelem Stagiritem,* etc. Hic locus criticam quoque manum hominum doctorum expertus eſt; ſed quantamcunque depravationis ſpeciem prae ſe ferat, mihi tamen omni ex parte ſincerus videtur. Vult enim Cicero, praeter Speuſippum fuiſſe quoque Xenocratem et Ariſtotelem Philoſophiae quaſi heredes a Platone relictos. Hoc dum dicit, primo attende elegantem vocis *duo* cum adiectivo ſyntaxin, quae nihil differt ab iſta. lib. III. Fam. ep. 4. *duos enim duarum aetatum plurimi facio Cn. Pompeium .. et M. Brutum.* vide quoque Sen. Nat. Quaeſt. VII, 3. Min. Fel. Oct. cap. 18. Tacit. Hiſt. I, 50. et alibi. Sed ratio coniecturarum unica, ſi quid ego video, iſta fuit, quod coniunctionem *autem* hic, ut ſaepius alibi, denotare *item, etiam, praeterea* non reputabant Critici nobiliſſimi. 10) Quem quidem ad la-

9) De voc. *omnium* vid. Gronov. ad Liv. 9, 8, 11.

10) Eſt tamen in Academic. loco aliqua oppoſitio, neque *autem* pro *item* ponitur. Speuſippo, quem ſororis filium quaſi heredem philoſophiae reliquerat Plato opponuntur Xenocrates et Ariſtoteles, qui non haereditate beati, ſed

pidem ſaepius lapſi videntur homines, cetera et cati et eruditi. Sic Tuſc. I, 33. *Iam ſimilitudo magis apparet in beſtiis, quarum animi ſunt rationis expertes. Hominum autem ſimilitudo in corporum figura magis exſtat.* Lambin. vult *item* legi pro *autem.* et Lib. IV, 29. *Eſt autem utilis ad perſuadendum, ea* etc. ὁ πάνυ Bentl. *Eſt item utilis* etc. de N. Deor. II, 23. *Itaque tum illud quod erat a deo natum, nomine ipſius dei nuncupabant.. Tum autem res ipſa, in qua vis ineſt maior aliqua, ſic appellatur, ut ea ipſa res nominetur* 8
*deus.* cl. Walker, *Tum etiam res ipſa* etc. et lib. III, 30. *Iidem autem Dii fraudem dederunt* etc. cl. Daviſ. ex duobus editis, totidemque ſcriptis, *Iidem etiam Dii* etc. Offic. I, 4. *Principio* etc. *Commune autem animantium omnium eſt conjunctionis appetitus.* idem V. D. ad Divin. II, 1. *Commune item animantium* etc. Hirtius de B. Afr. cap. 72. *Sollicitabatur autem his rebus.* ille rurſum, in curis ſecundis, *item* pro *autem* ſubſtituit. Novatian. de Reg. Fidei cap. 18. *quippe cum magni conſilii Angelus factus ſit; Angelus autem ſit, dum exponit* etc. et cap. 20... *Quae autem, malum, ratio eſt ut* etc. utrobique pro *autem* doct. Jackſon vult *item*, ut iam non dicam in priore immerito pro *quippe cum*, tentare eundem V. Cl. *quippe qui.* Nobis vero per tot viros eximios, quorum iudicio plurimum libentiſſime tribuimus, diſſentire liceat; non tantum quia loca haec, tam multa, mutuo ſibi invicem firmamento eſſe videntur, ſed quia mihi praeter iſta, etiam innumerabilia paene alia obſervata ſunt; quorum proinde copia immenſa nos de uſu iſto conjunctionis, quem modo dixi, plane certos eſſe cogit. Omnia ne

multo magis ſtudio atque doctrina inſignes fuere." Et ſimiliter in reliquis locis.

proferam, ecce pauca. de N. Deor. I, 8. *quae machina? qui miniſtri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire et parere voluntati architecti.. potuerunt?* lib. II, 57. *quas* (oculorum membranas) *primum perlucidas fecit, ut per eas cerni poſſet; firmas autem, ut continerentur.* utrobique conticent intt. lib. XII. Fam. ep. 27. *Sex. Anfidius et obſervantia.. accedit ad proximos, et ſplendore equiti Romano nemini cedit. Eſt autem ita temperatis moribus* etc. vide quoque lib. XIII. ep. 13. et Fabri Theſaurum.[11])

9 Cap. V, 18. *Quid me, inquam, putas, qui philoſophiam jam profeſſus ſim populo noſtro exhibiturum.* Fruſtra plane eſt Lambinus, qui *me* ante vocem *populo* excidiſſe ſuſpicatur: quemadmodum etiam *ſe* iniicit in his ſupra c. 2. *Q. b. q. ſ. negat omnino Epicurus ſine voluptatibus ſenſum moventibus nec ſuſpicari.* Tu noli contemnere quae ad locum, quem iam prae manibus habemus, adnotavit P. Faber, quaeque Cl. Daviſius ad Lib. II, 15. et Cortius ad Saluſt. Cat. 31, 7. adde Tuſc. II, 16. *ferre non poſſe clamabit.* Divin. I, 24. *dixit.. ſibi in ſomnis viſum eſſe.. occidere cum magna gloria.* vide lib. II, 40. de Fin. V, 11. de N. D. I, 39. Senecam de Clem. I, 1. Min. Felic. cap. 4.

11) Vid. Beierus ad Cic. de Off. 1, 4, 11. Is bene comparat graecum δέ, ſed huic particulae tribuit alienam vim verborum *eadem ratione.* Gernhardus cum Heuſingero ad 1, 28 obſervavit, poni *autem* de rebus ordine quodam enumerandis. Id iam Schwartzius in Turſellino docuerat. Particula, quae indicat rem ex adverſo poſitam, nectere poteſt et res contrarias et ſimiles, nec tamen ipſam ſimilitudinem ſignificat. Inſervit enim deſignationi, non ratiocinationi. Ita ſequitur in locis de Off. 1, 4, 11. de Nat. D. 2, 57. poſt verba *primum, principio.*

Virgil. Georg. II, 243. Horat. I. epist. 2, 10. 12) Sequitur autem eodem cap. 19. *Animi autem* (bona po-

12) Vid. Ruhnken ad Rutil. Lup. p. 42. Garaton. ad Cic. in Verr. Act. 1, 8, 23. ad or. pr. Mil. 24. Spalding ad Quinctil. 7, 1, 60. Matthiae ad Cic. pr. Rosc. Am. 22, 61 et in Wolfii Analect. 2, 3. p. 2. Beier. ad Cic. de Off. 3, 26, 98. Elberling. in Emendat. p. 111. quamquam alios, qui varia exempla miscuissent, acerba vociferatione castigat, ipse tamen non curam adhibet in distinguendis diversis locis, nec rationem exponit. Agitur de omisso pronomine, quod cum infinitivo coniungatur. Omitti enim potest pronomen, ubi idem subiectum ex antecedente verbo traducitur, neque ei propria aliqua vis inhaeret. Id fit in verbis dicendi, scribendi, existimandi, negandi, confitendi, quorum exempla hic repetere in re satis cognita non operae pretium est. Huc pertinent etiam Cic. Acad. 2, 41, 128. *non mihi videntur considerare, quum physica ista valde affirmant, earumetiam rerum auctoritatem, si quae illustriores videantur, amittere.* Tuscul. 2, 17, 40. *Iovem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit, ferre non posse clamabit.* Ubi haud probabiliter Wolfius scripsit *posse se.* Fortasse etiam Cluent 45, 127. *aut illud afferant, quod de iis duobus habuerint compertum, de ceteris comperisse.* Atque id in formulam abit ita, ut omittatur etiam, si attractionis nulla sit copia. Cic. ad Att. 1, 11. *quod in epistola tua scriptum erat* (pro *scripsisti*), *me iam arbitrari designatum esse.* Ab his vero primum distinguenda sunt, in quibus ne desideratur quidem pronomen, infinitivo cum verbo simpliciter coniuncto: Sic dicunt *desperare, sperare, confiteri, negare, putare,* quod ponitur pro sentire seu conscium esse, et alia. Cic. de Orat. 3, 36, 147. *vel me licet existimes desperare ista posse perdiscere.* ad Fam. 11, 20, 4. *sperare eos, te pertimefacto, adolescente impulso posse magna consequi praemia.* Acad. 2, 20, 64. *non tamen ut ei respondere posse diffiderem*: ubi non ex superioribus petendum est *me.* ad Fam. 4, 13. *certe omnes vias persequar, quibus putabo ad id, quod volumus, pervenire, posse.* pro Mil. 14, 65. *servos Milonis — sibi confessos esse de interficiendo Cn. Pompeio coniurasse.* i. e. ut articulo graeco utar, confessos esse τὸ coniurasse. ad Fam. 3, 8, 2. *nihil enim habent, quod aut definitum aut certum: nisi*

nebant) *quae essent ad comprehendendam ingeniis virtutem idonea.* Vocem *ingeniis*, tamquam spuriam et adulterinam, furcillis eiiciunt viri doctissimi. At salvo quidem eorum iudicio, ego potius, mutatione quippe leviore, rescripserim.. *ad comprehendendam INGENUITATEM idonea. Ingenuitas* aliquando idem Ciceroni est, quod *virtus, probitas, honestas:* ut infra c. 10. *Theophrastus..ita moratus, ut prae se probitatem quandam et ingenuitatem ferat,.. spoliavit virtutem suo decore* etc. ἐπέχω tamen. [15])

Cap. VI, 23. *Unde et amicitia existebat, et iustitia atque aequitas: haecque et voluptatibus, et multis*

*me vultu et taciturnitate significasse tibi non esse amicum* i. e. τὸ tibi non esse amicum. Deinde alia sunt exempla, in quibus contracta oratio aliud simul verbum recipit. Veluti Cic. de Fin. 5, 11, 31. *in parvis enim saepe, qui nihil eorum cogitant, si quando his ludentes minamur praecipitaturos alicunde extimescunt.* Illud *praecipitaturos* enim magis pertinet ad *extimescant* quam ad *minamur*, nec debebant haec interpunctione distrahi. Non desideratur *nos*, et ne verbum quidem *esse*: quod recte animadvertit Spaldingius l. l. distinguens locos, in quibus participia per se constant. Ubi autem in pronomine propria inest vis maior, aut ubi ambiguitas qualiscumque removenda est, necessario ponitur pronomen. Graevius igitur recte emendavit Cic. ad Att. 16, 16. Planco: *qua quidem voluntate te esse erga Atticum, saepe praesens et illi ostendisti.* Nec deesse facile potest ob hanc vim in Orat. 12, 38. *in Panathenaico autem Isocrates ea studiose consectatum fatetur.* sive scribamus cum Aldo *ea se* sive cum Ernestio *studiose se.* Id, quod Meyerus e cap. 69, 230 affert ipsum habet *se: Quod se L. Coelius Antipater in prooemio belli Punici nisi necessario facturum negat.*

15) *Ingenia* differunt ab *ingenio*, cui paullo post celeritas ad discendum et memoria tribuitur. Sunt enim facultates, in quibus animi virtutes apparent, unicuique homini propriae, ipsiusque animi ingenita forma.

*vitae commodis anteponebantur.* Quid ergo? an tam abiecte de virtutibus ſentiebant Platonis et Ariſtotelis diſcipuli, ut eas multis tantum vitae commodis, ſive magnae illorum commodorum parti, et non plane omnibus et univerſis anteponerent? Si quidem non aliter enarrari haec verba poſſent, omnino accederem ego Viro Cl. qui legebat *et cunctis vitae commodis* etc. Sed in- 1)
telliguntur heic omnia vitae commoda, eaque omnia ideo dicuntur *multa*, quod ingentem multitudinem conſtituunt. Nos, omnem ambiguitatem tollentes, dicimus *de menigvuldige gerieſſelykheden van dit leven.* 14) Hanc formam egregie dilucidavit praeceptor meus ſapientiſſimus, mihique in aeternum colendus I. Clericus A. Crit. P. II. S. 2. cap. VI. §. 7. 8. 9. adi quoque D. Glaſſ. Rhet. Sac. Tract. I. c. 15. init. Itaque nec lis movenda fuit de his N. Deor. II, 58. *Omnisque ſenſus hominum multo antecellit ſenſibus beſtiarum. Primum enim oculi in his artibus, quarum iudicium eſt oculorum, .. multa cernunt ſubtilius.* ubi homines docti *multo* vel *cuncta* ſubſtituunt. Et apprime bene M. Felix Oct. cap. 13. dixit, *Academicorum plurimorum in ſummis quaeſtionibus tuta dubitatio:* quamvis coniiceret cl. Daviſius, *Academicorum, Pyrrhoniorum in ſummis q. t. d.* quod non plurimi de Academicis, ſed plane omnes ſic dubitarent. At vero omnem Academicorum nationem intelligit auctor; quae cum valde numeroſa eſſet, ideo Academicos *plurimos* dixit Minucius.

14) Ita ſaepe *multi* dicuntur pro quam multis, πολλοὶ pro παμπολλοῖς. vid. Demoſth. pro Coron. 18, 4. p. 245.

## CAPUT III.

*Cicero Acad. I. ſexies iuxta capitum ſeriem vindicatur. Phraſis* **bene facis**, *et uſus verbi* **facere** *notabilis illuſtratur. Xenoph. defenditur.* **Reiicere** *i. e. minoris facere. Enallage numeri comprobatur, terque vulgata Ciceronis ſcriptio in tranſitu adſeritur.*

Pergimus in eodem lib. I. Acad. ubi cap. 6, 24. *Dabitis enim profecto*, ait Varro, *ut .. utamur verbis*
11 *interdum inauditis. Nos vero*, *inquit*, *Atticus; quin etiam Graecis licebit utare*, *cum voles*, *ſi te Latina forte deficient. Bene ſane facis; ſed enitar*, etc. *Bene facis* eſt formula approbandi et laudandi, de qua vide ill. Grotium et Pricaeum ad Luc. Act. Apoſt. 10, 33. nec non quae ex Xenoph. et Terentio contulit cl. Raphelius: unde etiam facile liquebit non Graecis tantum, verum etiam Latinis uſitatam fuiſſe; ut memoria omnino fefellerit magnum Caſaubonum, qui in notis ad lib. I. ad Att. ep. 1. extr. „Apud Laert. in epiſt., inquit, „καλῶς ποιεῖς verti debet *Bene eſt*, uſu linguae Lati„nae .. nam vulgo ineptiſſime vertitur *recte facis*." Duriuſculum autem hoc loco noſtro Ciceronis videtur eſſe verbum *facis*, ſi in praecedentibus quaeramus, quo illud ſuppleri ἀπὸ κοινοῦ et explicari poſſit: eamque etiam rationem eſſe arbitror, cur Lambinus legerit *Bene ſane mecum agis.* Omnis abeſſet difficultas, ſi ita ſcriptum legeremus, *quin etiam cum voles*, *ſi te Latina deficient*, *Graecis ut utare*, *meo tibi et Ciceronis nomine concedo. Bene ſane facis*, ſcil. qui hoc ita concedas etc. Sed in iſta huius verbi duritie, quamvis palato noſtro parum grata, neſcio tamen quomodo ſibi indulſerunt veteres. Supra epiſt. ad Varr. *Exſpectabam omnino iam diu*, *meque ſuſtinebam ne ad te prius ipſe quid ſcriberem*, *quam aliquid accepiſſem*, *ut poſſem te*

*remunerari quam ſimillimo munere. Sed cum tu tar-
dius faceres, id eſt, ut ego interpretor, diligentius,
teneri non potui* etc. ubi loquitur Cicero, ut ſi in
antecedentibus dixiſſet, ... *ſcriberem, quam tu ad me
aliquid dediſſes, ut poſſem te r. q. ſ. m.* de Divin. I,
24. *Tum ei ducem illum praecepiſſe ne reſpiceret: illum
autem id diutius facere non potuiſſe, elatumque cu-
piditate reſpexiſſe. facere*, i. e. non reſpicere. Corn.
Nepos Epam. c. 4. *Hunc Diomedon cum rogaret ut* 12
*tuto exiret, ſuaque quae attuliſſet liceret efferre;
iſtud, inquit, faciam* etc. h. e. tibi concedam. Seneca
epiſt. 94. *ſcis ut illi nil cum adultero, ſic nihil tibi
eſſe debere cum pellice; et non facis.* i. e. et eſt tibi
cum pellice res. Lactant. Inſtit. VI, 5, 13. *Utrumque
indiget definitione, quia* etc. *Verum nos faciamus
quod ille debuit. Virtus eſt* etc. i. e. utamur defini-
tione, ut ille debuit etc. Similiter quoque Graeci lo-
quuntur. Xenoph. *Κυρουπ.* I. p. 9. E. [1, 4, 10.]
*Ibi Cyrum tradunt inter avi miniſtros acceptas car-
nes diſtribuiſſe, cum hunc ſimul in modum quemque
alloqueretur: hoc quidem tibi do, quia me acriter
equitare docuiſti; tibi vero, quod mihi peltum dedi-
ſti* etc. *Haec eum feciſſe, donec omnes, quas acce-
piſſet carnes, diſtribuiſſet: Τοιαῦτα ΠΟΙΕΙΝ, ἕως
διεδίδου πάντα ἃ ἔλαβε κρέα* h. e. ſic ſingulis aliquid
cum tali alloquio dediſſe. Coniicit Muretus, *τοιαῦτα
ἐπειπεῖν ἕως* etc. ingenioſe magis, opinor, quam ſoli-
de ac vere. Et cur ſilebat ille V. D. ad iſta lib. III.
p. 76. D. [3, 3, 4.] *Armenius autem Cyrum proſeque-
batur, et reliqui homines univerſi, clamantes et ap-
pellantes benefactorem ſuum virum optimum.* **Καὶ
ταῦτα ἘΠΟΙΟΥΝ, ἕως ἐκ τῆς χώρας ἐξέπεμψαν.**

i. e. *Et ſic clamando proſequebantur, usque dum ipſum extra regionem deduxiſſent.* [15])

Cap. 8. 32. *Poſt argumentis, et quaſi rerum notis ducibus, utebantur.* Conſtructio haec ita concipiatur, *Poſt ducibus utebantur argumentis, et quaſi rerum notis.* Quamobrem ſic interpungendum eſt, *Poſt argumentis, et quaſi rerum notis, ducibus utebantur.* Non autem intelligo, cur viri docti legi maluerint, *Poſt argumentis et rerum notis, quaſi ducibus utebantur:* aut hoc modo, *Poſt argumentis quaſi rerum notis utebantur:* vel etiam *Poſt argumentis et quaſi*
13 *rerum nodis ducibus utebantur.* Primo enim latiniſſime dicitur *uti aliqua re duce*, pro quaſi duce; quod exemplis, quae mihi in promtu ſunt, luculente oſtenderem, ſiquis rem proletariam praefracte negaret. Deinde *quaſi* ſaepe cum uno nomine ſubſequente, nullo antecedente, conſtruitur. Sic Div. I, 30. *tamquam inſignitae notae veritates,* etc. 53. *extrema montis quaſi puppis.* Tuſc. IV, 29. *recentes quaſi tumores animi.* Fam. l. III. ep. 11. 10. *Quod ad me quaſi formam.. reip. miſiſti,... valde eſt mihi grata.* Poſtremo *notae rerum* hic recte dicuntur indicia quaedam vel lumina, quibus res probantur aut illuſtrantur; ut docuit erud. P. Faber ad h. l. [16]) Ibidem: *in qua tradebatur omnis disciplina dialecticae.* Pronomen *qua* vocem non habet in antecedentibus, ad quam referatur. Quid ergo? An pro *in qua*, cum viro cl. reſcribendum *ibique*, aut quod mihi in mentem inciderat, *in qua arte?* An vero illud *in qua*, ex ver-

15) Vid. not. ad pag. 2.

16) Primus igitur Wopkenſius loci rationem declaravit. Cf. Goerenzii notam.

bis vicinis *probare et concludere*, ſupplendum nominibus *probatione et concluſione?* quam rationem illuſtrant Cl. Ienſius Lect. Lucian. I. c. 8. et Cortius ad Saluſt. Cat. c. XVIII. 1. An denique ἀπὸ κοινοῦ e ſeqq. ſubaudienda vox *diſciplina?* Tu, lector, elige; mihi, quidem, ſi detur optio, poſtrema ratio prae ceteris adridet. [17])

Cap. X, 37. *Sed quae eſſent ſumenda, ex iis alia pluris aeſtimanda, alia minoris: quae pluris, ea praepoſita appellabat, reiecta autem quae minoris.* Quando hic *ſumendorum* alia, quae pluris aeſtimanda ſint, dicuntur *praepoſita*, alia quae minoris, *reiecta*; vocis *reiecta* vim ne ita rigide hic urgeas, quaſi diceret id quod voci *ſumenda* e diametro eſſet contrarium; ſed ita interpreteris, ut idem ſolummodo quod *poſtpoſita* ſignificet. Non enim ſumenda iſta, quae eſſent minoris momenti, ideo *reiecta* appellabat Zeno, quod nulla 14
plane aeſtimatione eſſent digna, ſed quia, ſi modo alterutram ex duabus iſtis ſumendorum ſpeciebus eligere integrum eſſet, tum illam quae minoris eſſet momenti, prae potiore relinqui oporteret. Vix dubium, quin iſta notio relativa verbi *reiicere*, *contemnere* ſimiliumque ſatis uſitata bonis ſit auctoribus. vide, quaeſo, Cel. Graevium ad Off. I, 1. adde de Fin. IV, 25. *alia eligenda ſunt, alia reiicienda, alia omnino negligenda.* ubi *reiicere* minus quid exprimit, quam *omnino negligere.* Quin quoad dictionis duritiem, geminus

17) Ad haec accedit noviſſima. Madvigii emendatio: *ita tradebatur.* Tale quid coniicere facillimum quidem erat. Equidem aſſentior Wopkenſio, qui attractionis uſum multiplicem bene perſpexerat. Nimirum *in qua tradebatur omnis diſciplina dialecticae* dictum eſt pro, in qua diſciplina tradebatur omnis dialecticae diſciplina.

huic germanusque locus exstat Fin. III, 7. ubi in *praepositis*, si omnem nexum inspicias, statui videbis *praeponenda quaedam et reiicienda*, i. e. prae alteris omittenda. Non erat proinde, cur locum hunc tantopere fatigarent viri praestantissimi. [18])

Sequitur ibid. [10, 38.] *Cumque perturbationem animi illi ex homine non tollerent, naturaque et condolescere, et concupiscere, et extimescere, et efferri laetitia dicerent, sed ea contraherent, in angustumque deducerent; hic omnibus his quasi morbis voluit carere sapientem. Cumque eas perturbationes antiqui naturales esse dicerent* etc. Non possum adduci ut Cl. Walkero adsentiar, qui scribendum iudicabat, *Cumque perturbationes animi illi ex homine non tollerent, .. sed eas contraherent* etc. Nam primo pronomen *ea* bene comprehendit infinitivos antecedentes [19]): deinde, quod rei caput est, neminem hoc moleste habeat oportet, quod numerum singularem *perturbationem* mox pluralis sequitur *perturbationes:* omnium enim vel tersissimorum auctorum nullus est, qui in talem numeri Enallagen non saepius incidat. Solam Tullii auctoritatem adhibeamus, qui sic Tusc. V, 15. *Atque cum perturbationes animi miseriam, sedationes autem vitam efficiant beatam; duplex ratio*
15 *perturbationis sit.* lib. IV, 6. *quidam brevius, perturbationem esse appetitum vehementiorem.. Partes autem perturbationum volunt.* etc. cap. 28. *Sed omnis eiusmodi perturbatio animi placatione abluatur illa quidem.. Verum tamen haec est certa et propria*

18) Vid. Goerenz. ad h. l. et in Excursu p. 79.

19) Neutrum comprehendit universam sententiam. vid. Goerenz. ad de Leg 5, 8, 19. et Wopkens. c. 4.

*ſanatio, ſi doceas, ipſas perturbationes per ſe eſſe vitioſas*, etc. Pari modo permutantur *animus* et *animi*, ibid. c. 38. Divin. II, 67. Leg. II, 10. *ſenſus* et *ſenſûs*, N. Deor. II, 58. *Dei* et *Deus*. ibid. III, 38. *voluptas* et *voluptates*, apud Lactant. Epit. c. 33. uti et *bonum* et *bona*, Inſtit. III, 8, 16. Omnino igitur et in hac ſcriptura acquieſco, et in iſta locorum ſequentium: de Fin. III, 10. *hoc quarto, quod extremum poſui, bonorum notitia facta eſt: cum enim* etc. *tum ad notionem boni pervenit*. Tuſc. IV, 36.

*Maior mihi moles, maius miſcendum malum*,

etc. *Quae igitur hae erunt moles?* lib. V, 17. *qui cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa; tantum propendere illam boni lancem putet*. et cap. 18... *in virtute non beatam modo vitam, ſed etiam beatiſſimam ponere? quod niſi ſit, virtutum interitus conſequetur*. in quibus locis numeri variatio ab aliis aliter eſt ſollicitata.

In ſeqq. his: *aliaque in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent:* equidem praepoſitionem *in*, quam e membro poſteriore excidiſſe putabant viri cll., facile ἀπὸ κοινοῦ ſubaudio; idque per ellipſin ſimilem, quam cernere licet Off. I, 31, *num alia in cauſa M. Cato fuit, alia ceteri, qui* etc. Omittitur etiam in priore membro, Horat. Carm. III, 25.

*Quae nemora, et quos agor in ſpecus?*

ubi vide erud. Bentleium. [20])

---

20) Goerenzius ad h. l. obſervaſſe ſibi viſus eſt, Ciceronem in altero ſubſtantivo omittere ſolere praepoſitionem, ubi ea in priori membro poſt ſubſtantivum poſita eſſet. At quomodo hae cauſſae cohaereant, etſi duo vel plura exempla

## CAPUT IV.

16 *In eodem lib. I. Acad. vulgata lectio ter quaterve stabilitur. Pluralis numeri vis notabilis dilucidatur. Cicero obiter aliquoties defenditur, semelque emendatur. Synonymorum verborum concursus observatur. Repetitio voculae nunc adseritur.* Qui *pro* quia. *Tria Lactantii, novem Tullii loca vindicantur.* Iam *pro* sane, quidem. *Novatianus adseritur.*

Cap. XI. ei. libri I, Acad. *id aut visum cum ipsum per se cerneretur, comprehensibile,* sc. esse voluit. *Feretis haec? Nos vero, inquit; quonam enim modo* καταληπτὸν *appellares?* Reponendum putat cl. editor, *Feretis hoc?* comprehensibile, quod finxerat, ut vim vocis καταληπτὸν Latine exprimeret. At stante lectione vulgata, nihil erit incommodi, si sensum interrogationis illius sic concipias, ut si dictum esset *Feretis hoc et plura talia?* Talem numeri mutationem ecce de Div. I, 16. *veram enim fuisse obnuntiationem... exitus comprobavit; quae si falsa fuissent, nullam adferre potuissent causam calamitatis.* ubi malebat idem V. D. *fuisset* et *potuisset.* de Fin. III, 5. *Rerum autem cognitiones, vel si haec verba aut minus placent, aut minus intelliguntur,* καταλήψεις *appellemus licet.* ubi eadem ille chorda aberrat. [21]) de N. Deor,

id probare videantur, intelligi non potest. Quare originem huius dictionis quaero in eo, quod saepe efficit, ut praepositio postponatur, [quae est gravior vis nominis adiectivi vel substantivi: quemadmodum fit in distributivis *alius — alius.* De graeco usu multi disputarunt, quos laudat Matthiae in Gramm. p. 1191. f.

21) Alii inferere maluerunt *vel comprehensiones,* Goerenzius e duobus codd. recepit *quas vel comprehensiones, vel perceptiones, vel si* etc. quae cur in reliquis libris omittantur, equidem caussam non in similitudine syllabarum conspicio, sed ipsa ista verba a glossatore, quem illud

III, 7. *eodemque illa etiam differemus, quod Chrysippum dicere aiebas, quoniam* etc. *esse homine aliquid melius.* ille legit, *illud etiam*, vel *quae Chrysippum.* Acad. II, 40. *Non ergo id agitur, ut aliquid adsensu meo comprobem: quae tu vide ne impudenter etiam postules, non solum arroganter.* reponit, *quod tu* etc. de Fin. IV, 23. *Stoici haec videlicet viderunt; illos autem id fugerat superiores.* adstipulabatur codici uni et alteri, qui dant *Stoici hoc videlicet* etc. Conticuit autem, et merito, si quid ego 17
video, ad ista ibid. lib. V, 3. *Censemus autem te facile id explanare posse, quod.. Athenis haec ipsa te ex Antiocho videmus exquirere.* et lib. II, 29. *Potius ergo illa dicantur, turpe esse viro debilitari dolore, frangi, succumbere. nam ista vestra, si gravis, brevis; si longus, levis, dictata sunt.* Tusc. I, 39. *Pellantur ergo istae ineptiae pene aniles, ante tempus mori miserum esse.* lib. V, 34. *negavit se iure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum; tum is qui illa coxerat* etc. Acad. II, 29. *haec vera an falsa sunt? si te mentiri dicis, idque verum dicis mentiri, verum dicis. Haec scilicet inexplicabilia esse dicitis.* cap. 43. *Si Polemonius peccat Stoicus rei falsae assentiens .. eadem in veteres Academicos Peripateticosque dicenda.* cap. 44. *Sed quaero, quando ista fuerint ab Academia vetere decreta, ut animum sapientis commoveri et conturbari negarent.* et cap. 47. *Expromam primum illa invidiosa, quod eos omnes.. insanos esse*

*haec verba* offenderat, profecta esse puto. *Haec verba* Cicero dixit ad suum studium latinis vocabulis graeca reddendi respiciens. Est enim *talia verba.* Sic 1, 6, 19. *nec tamen id, cuius caussa haec finxerat, assequutus est.* Vide ipsum Goerenz. ad Acad. 2, 29, 95.

*dicatis.* de Divin. II, 5. *Atqui ne illa quidem divinantis esse dicebas, ventos aut imbres impendentes quibusdam praesentire signis (in quo nostra quaedam Aratea memoriter a te pronuntiata sunt (etsi haec ipsa fortuita sunt.* [22]) Ex his etiam, pluribusque quae mihi ex optimis quoque linguae Graecae auctoribus collecta sunt, proclivis est emendatio loci de N. Deor. I, 8. *Longum est ad omnia, quae talia sunt, ut optata magis quam inventa videantur. Sed illa palmaris quidem, quod.. is eum dixerit sempiternum.* Vox *palmaris* non habet substantivum, unde pendeat: cum itaque vir cl. legeret, *Sed illud palmare est, quod* etc. ego malim, *Sed illa palmaria quidem, quod* etc. [23])

Eodem cap. 11, 42. *ad rationem inveniendam viae reperiuntur.* Quin *viam reperire* satis Latine dicatur, id nemo quidem dubitat; sed concursus iste verborum

22) Quam saepe verba τοῦτο et ταῦτα, *haec* et *hoc*, *illa* et *illud* a librariis commutata criticorum iudicia excitaverint, atque etiam turbaverint, satis notum est omnibus. Neque nunc dubitatur amplius de admittenda numeri enallage. Sunt loci, in quibus id per negligentiam, aut propter orationis varietatem factum esse videatur: alii tamen certam eam habent rationem, ut in una re simul totum genus, ad quod ista pertinet, comprehendatur. Id bene observavit Goerenz. ad Acad. 2, 40, 126. explicans *haec* per *talia.*

23) Quod legitur in cod. Cantabr. *irrisio est*, Moserus mirabili errore cum verbis Ciceronis coniunxit. Librarius enim suum in usum notavit, in verbo *palmaris* inesse ironiam. Creuzerus autem, qui graecum vocabulum substituit, vellem exemplis comprobasset hunc usum, quo Cicero graeca nomina non ab arte desumpta etiam in dialogis adhibuisse visus esset. Alia res est in epistolis. Equidem facilius iis crederem, qui ad vocabulum *sententiae* antea positum revocant.

*invenire* et *reperire*, minus gratus interpretibus accidit, qui illud *reperiuntur* aut pro nugatoris ſcholio habebant, aut in *aperiuntur* transmutabant. Attamen vix durior videtur iſte concurſus, quam quem ſaepius 18
alibi offendimus, ut etiam doct. P. Faber iudicavit. Sic concurrunt verba *conſequi* et *adipiſci*, ad Q. Fr. I. ep. 1. *nos ea quae conſecuti ſumus, his ſtudiis et artibus eſſe adeptos. Vitare* et *fugere*, Off. II, 2. *atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quae* etc. Philipp. or. V, 13. *Sed qui ordo in ſententiis rogandis ſervari ſolet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis.* Lactant. Epit. cap. 75. *incorruptibiles ſibi theſauros bonis operibus acquirat, ut poſſit. . praemium immortalitatis adipiſci.* ubi cl. Daviſius pro *acquirat* legit *anquirat*, propter minus gratum ſynonymorum iſtorum *acquirere* et *adipiſci* concurſum; quae tamen ratio minus idonea videtur, ſi libere quid mihi videatur dixero. Quin etiam *reperire* et *invenire*, de Fin. V, 6. *fons reperiendus eſt, in quo ſint prima invitamenta naturae; quo invento, omnis* etc. Tuſc. III, 10. *Nam ut medici, cauſa morbi inventa, curationem eſſe inventam putant: ſic nos, cauſa aegritudinis reperta, medendi facultatem reperiemus.* Ovidius Metam. lib. I. vs. 654.

*Tu non inventa reperta*
*Luctus eras levior.*

cum nota Heinſii et Burmanni. Lactant. M. Perſ. cap. 14. *Erant certantes, quis prior aliquid inveniret. Nihil usquam reperiebatur.* ubi vide cl. Bauldri. 24)

24) Adde Tacit. Ann. 3, 5. *cuncta a maioribus reperta, aut quae poſteri invenerint, cumulata.* Illa igitur cauſſa erat multis incognita, qua Manutius in Cic. Academ. 1 1. ad emendationem *aperiuntur* adducebatur. Antiquam ſcri-

Cap. XIII, 43. *Tunc Varro, Tuae ſunt nunc partes, inquit, qui ab antiquorum ratione nunc deſciſcis*, etc. Fidem nobis fallere videtur codex Manutii, qui poſterius *nunc* non agnoſcit; quod per librarii elegantiam facillime omitti potuit, ne recurreret. Non autem ab eiusmodi recurſu ſic abhorruerunt auctores quique nitidiſſimi, quin ſaepius in hanc, ſi qua ſit, ſcribendi incuriam illapſi ſint. Tuſc. I, 22. *ut ſi iam poſſent in homine vivo cerni omnia, quae nunc tecta ſunt.* de N. Deor. II, 57. *quae primum oculos m. t. v. v. e. ſepſit; quas primum perlucidas fecit.* cl. Walkerus delet poſterius *primum*, ſed a codicibus deſtituitur. ad Fam. lib. XV. ep. 16. *Puto te iam ſuppudere; cum haec tertia iam epiſtola ante te oppreſſit quam tu ſcidulam aut literam.* [25]) Pariter Graece Polyaenus Strategem. lib. II. cap. 3, 5. *εἰ Λακεδημονίους ἀναστάτους πεποιήκαμεν, ἔφη, ΝΥΝ ἐχρῆν πᾶσιν ἂν τούτοις μάχεσθαι, ὡς καὶ ΝΥΝ συμμαχοῦσι ἡμῖν, Λακεδημονίους* etc. Huc confer quae

19

pluram bene defendit Wopkenſius. Parentheſeos notis, quas recentiores editores interpoſuerunt non tantum tribuo, quantum explicationi verborum. Neque vero dici poterat hoc quidem in contextu *reperiuntur a Zenone.* Re vera addit haec Cicero de ſua ſententia ἀορίστως, quod cur Goerenzius neget, non perſpicio.

25) Haec non ſunt unius generis, nec confirmant rem probandam. Equidem, ſi alterumutrum *nunc* omittendum eſſet, lubentius concederem prius, neque excuſationem peterem ab illo, quod tertio loco unus aliquis codex ſuppeditat. Dicit autem Cicero: quae quum ita ſint, docere tuae ſunt partes propterea, quoniam nunc ab antiquorum ratione deſciſcis: in quibus utrumque *nunc* ſuam habet vim propriam, alteram cauſſae, alteram temporis. Atque ad ſenſum non male coniecerat Urſinus *nunc — quoniam*: quae ſaepe ita coniunguntur. cf. de Leg. 1, 9, 27.

dabimus ad Acad. II. c. 11. et 27. Quod autem Urſinus e codice ſuo profert, *quam ab antiquorum* etc. pro *qui ab a.* atque inde legendum hariolatur *quoniam ab ant.* id omnino fruſtra factum puto, tametſi non caſtigatus eſt vir ille a commentatoribus. Pronomen enim relativum, ſive cum indicativo, ſive cum ſubiunctivo modo conſtruatur, paſſim ſic adhibetur, ut antecedentium verborum rationem quamdam cauſamque exprimat, locumque adeo coniunctionum *quoniam, quia* et ſimilium occupet. [26]) N. Deor. II, 24. *coeleſtem enim naturam..., quae per ſe omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis* etc. vide Fam. XI. ep. 7. lib. XIII. ep. 61. lib. XVI. ep. 1. et alibi millies. Nepos Dion. cap. 3. *ille, qui in aliqua re vellet patrem imitari, morem ei geſſit.* vide Ageſ. cap. 6. Lactant. Inſtit. I, 5, 7. *Non poterat enim dicere Iovem eſſe principium rerum, qui erat Saturno genitus; neque Saturnum ipſum, qui coelo natus ſe-*

26) Idem interpretum quis non docuit? Pauci tamen conditionem perſpexerunt, qua ad hunc ſenſum conſtituendum coniunctivus neceſſario requiratur. Wopkenſius varia commiſcuit, ſed habet, ut videtur, imitatorem etiam Ramshornium, qui nuper in Grammat. p. 612. ſcripſit, ubi nexus ſententiarum cauſſalis ſatis perſpicuus eſſet, utrumque modum aequo iure admitti. Quod falſum eſt. Ubi enim indicativus modus ponitur, nullus eſt cauſſalis nexus, quo conſtituatur ipſius rei notio. Macrobius quum dixit Sat. 7, 3. *vigilantiſſimus eſt conſul noſter, qui in conſulatu ſuo ſomnum non vidit,* aliter eamdem ſententiam concepit quam Cicero ad Fam. 7, 30. *fuit enim mirifica vigilantia, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit.* Ille narrat rem, cuius notio per ſe conſtat, *conſul is, qui non vidit;* hic vero notionem cauſſae nexu conſtituit, *ut qui non viderit.* Ita apud Lactantium l. l. intelligimus Iovem illum, qui erat Saturno genitus. Et ita in reliquis, quae Wopkenſius affert.

*rebatur.* cap. 11, 59. *et in Latio Aventinus vocabulum monti dedit, in quo sepultus est.* i. e. quia in eo s. e. vide c. 20, 36. lib. II, 16, 9. *Itaque nullum sibi honorem tribui volunt; quorum omnis honor in Deo est.* i. e. quoniam eorum. lib. III, 10, 11. *In terram procumbere, ne si velimus quidem, possumus; quorum status rectus est.* i. e. quia noster status r. e. sic quoque lib. V, 17, 3. et 18, 3. ut et Epit. cap. 53. p. 151. Adi porro, quae cl. Schulting. ad Senecae Controv. lib. I. p. 161. Iam aliquot addam loca, in quibus hunc pronominis usum immerito vexasse videntur viri docti. Lactantius Epit. c. 35. *in ethica vero .. philosophi erraverunt; qui summum bonum nullo modo inveniri potuerunt.* c. 52. *incognita causa*
20 *tanquam nocentes damnant, qui constare de ipsa innocentia noluerunt.* cap. 71. *sic enim* etc. *apparet eum, qui usum ignis habeat, non esse mortalem.* Cicero supra c. 9. *nec percipere ullo modo res eas, quae subjectae sensibus viderentur; quae essent aut ita parvae,* etc. Tusc. I, 21. *E quo intelligi potest quam acuti natura sint, qui haec sine doctrina credituri fuerint.* lib. IV. c. 1... *eum, qui sapientia excelleret, Pythagorae auditorem crediderunt fuisse.* et lib. V, 19. *Beatus igitur, qui hos interfecit?* de Leg. I. c. 10. *Quod argumenti satis est, nullam dissimilitudinem esse in genere; quae si esset, non una omnes definitio contineret.* de N. Deor. II, 15. *Solem quoque animantem esse oportet, et quidem reliqua, quae oriantur in ardore* etc. cap. 16. *Probabile est igitur praestantem intelligentiam in sideribus esse, quae aetheriam mundi partem incolant* etc. cap. 26. *Iam qui magna verteret, Mavors* (sc. dictus est); *Minerva autem, quae minueret.* cap. 56. *Iam gusta-*

*tus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet, habitat* etc. Ohe! iam satis est.

Eodem cap. [12, 45] *Ut contra omnium sententias dies iam plerosque deduceret.* Quid sibi vult, inquit V. Cl. *τὸ dies iam plerosque?* Si respondere liceat, id sibi velle arbitror, ut intelligantur plerique illorum dierum, quos disserendo deducebat Arcesilas; qui sensus cum mente verbisque auctoris maxime convenit, nisi me quidem fallat animus. [27]) Particulae *iam* singularis et elegans hic usus est, pro *sane*, *quidem*, *omnino;* nisi velis esse tantumnon expletivam. Supra cap. 6, *sed quod ex utroque, id iam corpus, et quasi qualitatem quandam nominabant.* de Leg. I, 7. *Parent autem* (dii hominesque).. *praepotenti deo; ut iam universus hic mundus una civitas communis deorum atque hominum existimandus.* Tusc. I, 41. 21 *sin vera sunt quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas qui e vita excesserunt, incolunt; id multo jam beatius est.* etc. c. 22. *utsi iam possent in homine vivo cerni omnia, quae nunc tecta sunt.*

27) Plurimi critici hunc locum corruptione laborare professi sunt, sed nescio an emendationis pericula numquam infeliciora fecerint. Nam nihil audacius esse potest coniecturis Bentleii et Beieri ad Cic. de Off. 2, 2. p. 19., nihil inanius correctione Madvigii: *faciebat ut contra omnium sententias dicens in eam plerosque deduceret, ut — facilius ab utraque parte assensio sustineretur.* Quid enim *plerosque?* quid *aliquem in eam sententiam deducere, ut facilius ab utraque parte assensio sustineatur?* Haec scilicet haudquaquam conveniunt. Neque, qui *iam* eiiciendum censebant, unde venerit in contextum haec particula demonstrarunt. Ceterum egregie Gesnerus in compendio *dices* cognovit verbum *dicens.* Quare scribendum erit: *ut contra omnium sententias dicens iam plerosque diduceret,* i. e. in diversas partes deduceret. *Iam*, ut alias, effectum denotat, cf. exempla a Wopkensio allata.

vide quoque Caeſ. B. G. I, 17. Hinc non opus eſt, cum viro cl. *dies etiam totos* reſcribere: ſicut etiam bene ſe habere videtur iſta lectio Novatiani Reg. Fid. c. 23. *Aeſtiment ergo aut hic ſit Deus, cuius auctoritas tantum movit quosdam, ut putarent illum (ut diximus ſupra) iam ipſum Patrem Deum,* legebat doct. Iackſon, *etiam ipſum* etc.

---

## CAPUT V.

*Tranſitur ad Acad. II. in quo quinque loca a ſollicitationibus eruditorum defenduntur. Cacophonia homoeoteleutorum comprobatur. Complurium virorum doctorum hallucinationes de hac re proferuntur. Virgilii interpunctio redintegratur.* Audire in utramque partem. *Flores defenditur et explicatur. Pleonasmus pronominis. Ellipſis verbi.*

Tranſimus ad lib. II. Acad. Cap. II. *Ac vereor interdum, ne talium perſonarum, cum amplificare velim, minuam etiam gloriam.* Cur illud *etiam* cum codice uno et altero expungeremus, nulla eſſe ratio videtur, quippe quod ſaepius ita venit in oppoſitione. Infra c. 9. *nam tantum abeſſe dicebat ut id conſentaneum eſſet, ut maxime etiam repugnaret.* vide de Fin. lib. II, 17. et lib. V, 20. et Senec. epiſt. 92. [28]) Sed ratio, cur coniunctio heic minus probaretur viro doctiſſimo, ea potiſſimum eſſe videtur, (quamvis verbis non ſignificaverit) quod triplex illud *am* cacophoniam efficiat Tullio parum dignam. Saepius quidem nimia
22 in ſonis elegantia homines hallucinari coegerit eruditione praeſtantiſſimos. Non fuiſſe enim comptiſſimo-

28) Cic. Brut. 76, 265. *probabilis orator, iam vero etiam probatus.* Terent. Heaut. 1, 2, 1. *nihil adhuc eſt, quod vereare, Clinia: haut quaquam etiam ceſſant.*

rum etiam ſcriptorum quempiam tam cautum, ut iſto modo numquam obdormierit, hoc ſane abunde licet colligi ex locis vel Tullii noſtri innumerabilibus, quae immota ſtare paſſi ſunt iidem illi viri, qui alia haud quidquam duriora redintegrare nituntur. Supra I, 7. *quoniam quibusnam quisquam enuntiare* etc. N. Deor. I, 29. *quam tibi illam noſtram Soſpitam, quam tu nunquam* etc. Fin. V, 14. *Sed videsne acceſſuram ei curam.* lib. I, 17. *Sed ut iis bonis erigimur quae exſpectamus: ſic laetamur iis quae recordamur.* vide l. IV, 5. Tuſc. I, 41. *Quis . . . laudaret, ſi m. m. iudicaret?* Divin. I, 27. *ſe interfectum, in plauſtrum a caupone eſſe coniectum, et ſupra ſtercus iniectum.* cap. 12.

*Haec tardata diu ſpecies, multumque morata,*
*Conſule te tandem celſa eſt in ſede locata.*

lib. II, 42. *caſus cuiusque eventusque fingi.* cap. 44. *modo hoc, modo illo modo.* vide c. 57. et N. Deor. II, 43. Ita paſſim quidem noſter;[29]) neque hoc eſt illi uni praecipuum, ſed cum aliis maxime commune. Ne nauſeam tibi, lector, pariam, pauca tantum loca de multis quae mihi obſervata ſunt adferam. Seneca de Ira. I, 12. *quae ſe diu multumque circumſpexit, et texit, et ex lento ac deſtinato provexit.* lib. II, 28. *alia fecimus, alia cogitavimus, alia optavimus, alia favimus.* Virgil. Aen. X, 805.

*— omnis campis diffugit arator,*
*Omnis et agricola; et tuta latet arce viator.*

vide quoque lib. V, 385. lib. IV, 331. ecl. IV, 50. Lucretius lib. I, 735. 25

29) Goerenz. ad Cic. de Leg. 1, 16, 42. p. 66 ad libr. de Fin. 2, 30. 58. p. 271.

*Hic tamen et ſupra, quos diximus, inferiores*
*Partibus egregie multis, multoque minores.* [30])

Eamus ergo, et ſincera atque intemerata eſſe ſequentia haec loca pronuntiemus. pro Marc. 2. *nullam in his eſſe laudem ampliorem, quam eam quam hodierno die conſecutus es.* Patricius propter κακέμφατον totam laciniam iſtam, *quam e. q. h. d. c. es.* amputabat. Tuſc. II, 23. *Num tum ingemuiſſe Epaminondam putas, cum,* etc. Bentl. legebat, *num tu ingemuiſſe* etc. et lib. IV, 17. *Ergo is, quisquis eſt* etc. idem vir eruditiſſimus, *Ergo hic quisquis eſt.* de Fin. II, 5. *vide ne ſit aliqua culpa eius qui ita loquatur, ut non intelligatur.* Daviſ. *loquitur* malebat [31]). Lactant. Epit. cap. 54. *Et hanc adverſus innocentes carnificinam exercentes pios utique ſe et religioſos putant.* idem ille pro *exercentes,* reponebat *dum exercent.* Val. Flaccus Argon. lib. I, 39.

*— et fictis dat vultum et pondera dictis.*

coniiciunt docti, . . *pondera verbis.* [32]) Vellei. Pat. lib. I, 3. *omnia ſub eorum* (perſona) *qui illo tempore*

30) Vid. Schrader. ad Muſaeum. p. 140. Paſſov. ad Perſium p. 313. Weichert. in Diſſertat. de verſibus Virgilii iniuria ſuſpectis. p. 87. In Tacit. Ann. 1, 79. *prorogatur Poppaeo Sabino provinica Moeſia, additis Achaia ac Macedonia.* correxerant editores *et Macedonia.* Optimo iure reſtituit Wolfius *ac.*

31) Ob auctoritatem trium codicum Goerenzius reſtituendum cenſet *loquitur.* Equidem cum Bremio neceſſarium eſſe puto coniunctivum: nam verba *qui ita loquitur* hic non per ſe ſtare poſſunt, neque notionem loquentis iam notam comprehendunt, ſed eam ipſam conficiunt, ut ſenſus ſit: culpa eiusmodi hominis, qui ita loquatur, ut non intelligatur. Alioquin dici potuiſſet: *ſit aliqua culpa ita loquentis, ut non intelligatur:* quod certe a Ciceronis more alienum eſt.

32) Vid. Weicherti Epiſtola ad Eichſtadium p. 13.

*vixerunt, dixerunt.* N. Heinſius, *vixere.* Virgilius lib. Aen. v. 253.

*— avi ſimilis, quae circum littora, circum*
*Piſcoſos ſcopulos humilis volat aequora juxta:*
*Haud aliter terras inter, coelumque volabat,*
*Littus arenoſum Libyae, ventosque ſecabat*
*Materno veniens ab avo Cyllenia proles.*

cl. Bentl. ad Horat. Carm. I. 34. nullum ſe dubitare 24
ait, quin ſic ſcripſerit princeps poetarum:

*Haut aliter, terras inter coelumque, legebat*
*Littus arenoſum Libyae, ventoſque ſecabat.*

etc. Miror equidem, naris tam ſagaciſſimae virum non olfeciſſe, vitii ſedem eſſe tantummodo in diſtinctione vulgata poſitam, quae ſit haut dubie hunc in modum reſtituenda:

*Haut aliter, terras inter coelumque, volabat*
*Littus arenoſum Libyae, ventoſque ſecabat*

etc. *volabat littus* pro *ad littus*, ſive Carthaginem in littore poſitam. ut lib. I. *Lavinaque venit littora.* et ſimilia. vide Sanct. Min. IV. c. 6.[33]).

Sed ut ad alia Ciceronis pergamus, eodem cap. immerito quoque iſta ſollicitantur a clar. Daviſii amico: *nec literarum Graecarum, nec philoſophiae iam ullum auctorem requiro.* Volebat vir ingenioſus *fautorem requiro.* Sed *auctor* non ſolum dicitur, qui rem reperit aut conficit, ſed etiam qui illam ſua vel opera vel

33) Vid. Heinſius et Burmann. ad Virgil. Aen. 2, 781. De loco Virgilii diſſeruerunt I. H. Voſſius in Epiſt. mytholog. I. p. 174. et Weichertus in Diſſertat. de verſibus Virgilii iniuria ſuſpectis. p. 85. qui codicum ſcripturam *litus arenoſum ad Libyae* comprobavit argumentatione non ſatis probabili.

auctoritate ornat. tuetur aut promovet. vidit iam Davif. ad Fin. IV, 16. [34])

Sequente cap. [3, 7.] *neque noftrae difputationes quicquam aliud agunt, nifi ut, in utramque partem dicendo et audiendo, eliciant . . quod aut verum fit, aut ad id quam proxume accedat.* Quamvis duae iftae voces *et audiendo*, a quibusdam abfint fcriptis, non tamen ideo facile damnaverim, ut omnino importunas: nam difputationes habebantur dicendo et audiendo, tamque audiendo verum eruebatur quam dicendo. [35]) Sed quis, forte inquies, iftam phrafin to-

34) Haec explicatio magis placet quam quae ab Erneftio propofita eft in Clavi Cic. p. 544. Eft *auctor* is, qui rem promovendo et curando auget. „Auctor philofophiae dicitur, qui philofophiae auctoritatem dat, qui exemplum philofophiae colendae praebet." Ruhnken. ad Vellei Pat. 1, 13, 3 *omnifque doctrinae et auctor et admirator fuit.* Vide Heinfii notam, qua Lipfii coniectura *fautor* refellitur. Cic. p. Sext. 66, 138. *ii femper habiti funt optimatium principes, auctores et confervatores civitatis.* Quae nuper ab Heinrichio ad Cic. orat. inedit. p. 79 et a Ballhornio in libro *Iuriftifch - philologifche Studien* Vol. 1. p. 248. propofita eft fententia de vocabulo *auctor* ab αὐτὸς deducendo, ideoque non inferta *c* littera aliena fcribendo *autor*, non nova eft, fed iam a Buddeo et Balduino et Mekercho aliisque tradita. Sed falluntur omnes, qui fcripturae formam cum primitivae fignificationis origine confundant. Nam five *auctor*, five *autor* fcribatur, defcendit cum ipfis verbis *augeo* et *audeo* ab *aueo*, *aveo*, quod exitum et progreffum, five in re exfiftente, five in re accrefcente, denotat. Quod Ballhornius translatum putat graecum αὐτωρής, vocabulum videtur effe recentius, quam latinum *auctor*, neque ab analogia conftat derivatio, qua fubftantivum *autor* e pronomine externo αὐτὸς factum effe dicitur.

35) Mihi quoque haec codicum plurimorum fcriptura non tam abfurda quam aliis vifa eft. Nam librarii cur ad complendam defcriptionem difputationis adderent *et au-*

lerare queat, *audire in utramque partem?* At vero illa Tullio tam digna eſt, ut vel eo nomine librariis aut enarratoribus videatur abiudicanda. de N. Deor. III, 1. *praebebo me tibi viciſſim attentum contra Stoicos auditorem.* de Orat. lib. II, 70. *cum laeſiſſet teſtis Piſonem, quod ſe in eum audiſſe dixiſſet.* Fam. lib. VII. ep. 17. *ego te de rebus illis non audiam.* in his aliqua ellipſis ineſt, quam quiſque facili negotio ſecum ſuppleverit.

Cap. V, 14. *Similiter vos cum perturbare, ut illi remp., ſic vos philoſophiam bene iam conſtitutam velitis;* etc. Reſumebat auctor illud *ſic vos*, quia praeceſſerat *ut illi coeleſtibus, ſic hi adverſentur magiſtratibus.* de Orat. II, 63. *Nummium diviſorem, ut Neoptolemum ad Troiam, ſic illum in campo Martio nomen inveniſſe.* Divin. II, 46. *qui* (Alexander), *cum Ptolomaeus moreretur, Alexander adſidens* etc. Tuſc. IV, 14. *ingenioſi ut aes Corinthium in aeruginem, ſic illi in morbum et incidunt* etc. Fam. XV. ep. 16. *Catius Inſuber Epicureus, qui nuper eſt mortuus, quae ille Gargettius, etiam* (lege *et iam*) *ante Democritus εἴδωλα, hic ſpectra nominat.* Neque ab iſta ratione abhorrent aliae linguae. Xenoph. I. *Κυρουπαιδ.* p. 18. D. [1, 4, 19.] *ΟἿ, ἣν ἐπ' ἐκείνους ἡμεῖς ἐλαύνωμεν, ὑποτεμοῦνται πάλιν ἡμᾶς ἘΚΕΙΝΟΙ.* et lib. II. p. 46. A. [2, 2, 6.] *'ΕΓΩ δὲ, ὡς σὺ.. ἐκέλευσας διδάσκειν τὴν ἑαυτοῦ ἕκαστον τάξιν, ἃ παρὰ σοῦ ἐμάθομεν, οὕτω δὴ καὶ 'ΕΓΩ ὥσπερ καὶ οἱ ἄλλοι ἐποίουν.* vide quoque cl. Ienſium Lect. Lucian. I. c. 9. et Jo. Vorſtium de

*diendo*, nulla erat cauſſa, neque obſcuritatis, neque orationis deficientis. Immo quae in utramque partem diſputata ſunt, iam audita eliciunt verum. *Audire* enim eſt cum aſſenſu audire. de Fin. 2, 28, 90. *Socratem audio dicentem.* 5, 28, 83.

Hebr. N. T. cap. 27. His facile conſtat, fluctus in ſimpulo ciere viros doctos, cum locum Ciceronis ſic refingant, *Similiter vos. Cum* etc. aut, deleto pronomine,
26 *Similiter cum perturbare* etc. [36]) Eodem autem in luto haeſit V. Cl. Divin II. 62. *Quod quoniam illud negatis, hoc neceſſario confitendum erit.* ubi *hoc* deleri iubebat. [37]) et Tuſc. IV. 30. *Eſt enim metus ut aegritudo praeſentis, ſic ille futuri mali.* ubi vocem *metus* expungebat. Ex his quoque patrocinium ſuſcipi poſſe videtur, pro ſanitate loci vexatiſſimi Flori lib. III. 21, 28. *Nam Sulmonem, vetus oppidum ſocium atque amicum, (facinus indignum!) nondum expugnatum, ut obſides iure belli, et modo morte damnati, duci iubentur, ſic damnatam civitatem iuſſit Sylla deleri.* Quemadmodum obſides iure belli, et modo morte damnati, duci iubebantur a Sylla, ſic quoque Sulmo civitas damnata ab eodem iubebatur deleri. *Iure belli*, hoc eſt, quaſi hoc illi ius belli permitteret: vide Freinsh. ind. v. *Jus. Et modo morte damnati,* hoc eſt nulla quaeſtione, nul-

36) Egregia eſt Wopkenſii explicatio grammatica, quam critici ſi adhibuiſſent, ipſum locum non falſa interpunctione turbaviſſent. Neque enim ob ipſam ſententiae veritatem coniungi poſſunt verba *ſimiliter vos*: quo facto vis aliena imponitur vocabulo *vos*. Cohaerent autem *ſimiliter vos quum perturbare velitis*, praemiſſo tamen vocabulo *ſimiliter*, quod ad totam enuntiationem pertineat.

37) Hoc exemplum alius eſt generis. Nam Latini utuntur vocabulo *quod* ad ſententias aliqua concluſione nectendas, non tantum in *quodſi*, ſed etiam in aliarum coniunctionum copulatione. Ita dicunt *quod quoniam*, quod eſt *weil nun*, *quod quia*, *quod ubi*, *quod quum*, *quod ne*. Id ſaepiſſime ſefellit criticos. Sed bene cognoverant uſum Hottinger. ad Cic. de Divin. 2, 62, Goerenz. ad Fin. 1, 20, 67. 3, 18, 59. modo ne explicuiſſent per formulam *quod ad id attinet quod.*

lo criminis examine adhibito, fed caeco impetu damnati. *Iubentur* autem et *iuſſit* dicitur per enallagen generis ac temporis, quam ad Divin. II, 17. et Tufc. II, 15. probabimus fatis ufitatam. Poftremo antecedens illud *Sulmonem, vetus opp. ſ. a. a.* poftea refumitur per τὸ *civitatem*, quam repetitionem hic dilucidavimus, quo etiam confer quae ad Tufc. II, 15. [38]).

Eodem cap. V, 13. *Repetunt a P. Valerio.. commemorant reliquos..: tum ad hos notiores, C. Flaminium* etc. in quibus cl. Davifius praepofitionem *ad* tollit, vel hoc modo legit *tum et hos*, vel *tum autem hos notiores.* Ego fubaudiendum puto verbum *perveniunt*, [39]) quod exprimitur cap. 13. at reticetur cap. 1. *provinciae praefuit: deinde abſens factus aedilis: continuo praetor..:*

38) „Hanc interpretationem cur accipere non poffim, haec obftaret, primum quod non poteft oftendi obfides, quos dicit Florus, a Sylla damnatos et duci iuffos: nam quod hic *iubentur* per enallagen temporis dictum vult, pro *iubebantur*, non facile, ni valde fallor, cuiquam perfuadebit: deinde quod Sylla Sulmonem, quam, ut cetera municipia, quae Florus memorat, Marianarum partium fuiffe credi debet, non quafi ius belli hoc ei permitteret, fed vere ac plane permittente illo iure damnavit ac deleri iuffit, haud fecus atque obfides quidam eodem iure damnari atque occidi poterant: denique quod teftimoniis veterum fcriptorum confirmandum fuiffe videtur, *modo* ea fignificatione, quam vir doctus hic illi tribuit, dici." Haec Oudendorpius, qui Gronovii coniecturam *ut hoſtes iure belli* probavit, et voc. *modo* interpolatum reiecit. Equidem non offendo. Dicit Florus haec: Sulla oppidum amicum eo iure damnatum deleri iuffit, quo obfides adeo infontes ad mortem duci iubentur, pro aliorum infidia morituri. Obfides enim interficiuntur per iniuriam, quae belli ius vocari folet, non item hoftes.

39) Certum verbum non intelligitur. Sed ellipfin hanc rhetoricam facile admittunt praepofitiones. Nihil ea frequentius in Taciti libris.

*poſt in Africam: inde ad conſulatum: quem ita geſſit* etc. et cap. 23. *Sed cum hoc alio loco plura: nunc ad ea, quae à te dicta ſunt.* de N Deor. II, 1. *ſed ad iſta alias: nunc Lucilium -- audiamus.* niſi in duobus his locis poſterioribus malis ſubintelligere *reſpondendi* vel *diſputandi* verbum.

---

27 C A P U T VI.

*In Cic. II. Acad. edita lectio ſepties confirmatur. Enallage praepoſitionum. Locus de Fin. vindicatur. Enallage numeri. Ellipſis verbi ante pron.* qui. *Cic. in Tuſc. defenditur iuxta cum Seneca, qui etiam obiter tentatur.* Abeſſe et adeſſe, *pro defendere aut non defendere. Repetitio coniunctionum. Ciceronis lectio vulgata una cum loco D. Ioannis adſeritur. Pronominis uſus notandus. Cicero, Lactantius, Livius et Alciphron vindicantur.*

Eiuſdem libri II. Acad. cap. X, 31. *et iſtam κατάληψιν . . cum ipſam per ſe amat* (mens), .. *tum etiam propter uſum.* Coniicit hic Lambinus *propter ſe*, pro *per ſe* legendum: cur vero ſic malit, id nobis hariolandum reliquit. An quia dicendum Latine eſt, *amo illud propter ſe*, non *amo illud per ſe?* non potuit virum, in ſcriptis Tullianis verſatiſſimum, uſus ille fugere praep. *per*, adeo tralaticius. [40]) An vero quia mox ſequitur, *propter uſum?* ſic ſane eum V. D. in hac praepoſitionum variatione lapſum deprehendo, lib. IV. de Fin. 5. *Pauca mutat vel plura ſane; at cum e pluri- mis eadem dicit, tum certe de maximis.* ubi ille vole-

40) Cic. de Amic. 21, 80. *ita pulcherrima illa et maxime naturali carent amicitia per ſe et propter ſe expetenda.* Vid. Baumhauer ſpec. iurid. de Lege VIII. C. Si certum petatur. c. 3. qui diſcrimen verborum *per ſe* et *propter ſe* exponit.

bat *de plurimis.* Sed enallage iſta ſatis frequens eſt. ſic de Fato c. 16. *neceſſe eſt in rebus contrariis (contraria* etc.) *ex his igitur neceſſe eſt.. alterum eſſe verum, a. ſ.* de Leg. I, 5. *non ergo a praetoris edicto,.. ſed penitus ex intima philoſophia hauriendam i. d. p.* de Fin. I, 20. *eodem modo ſapiens erit affectus erga amicum, quo in ſe ipſum.* Vell. Paterc. lib. I, 3. *nihil enim ex perſona poetae, ſed omnia ſub illorum . . dixerunt.* Lactant. Inſt. lib. V. c. 11, 15. *non enim de noſtro, ſed* 28
*ex illorum numero ſemper exiſtunt, qui* etc.

Ibidem [2, 10, 31]: *Interdum enim cum adhibemus ad eos orationem huiuſmodi,.. reſpondent.. naturam accuſa.* Quia praeceſſit pluralis numerus *adhibemus*, ea eſſe ratio videtur, cur vir cl. pro *accuſa* reponebat *accuſate.* At ſimiliter a plurali numero tranſitur ad ſingularem, infra c. 11. *a quibuſdam interrogentur, Ergo iſtud quidem percipis?* N. Deor. III, 24... *laboratis,.. haeretis.. Quid Veiovi facies?* Divin. II, 61. *Fuit igitur divina beneficentia dignius, quum conſulerent nobis, clariora viſa dare vigilanti.* cum nota cl. Daviſii. Paucis interiectis poſt: *alii autem elegantius, qui etiam queruntur, quod eos inſimulemus.* Relativum *qui* a mala manu irrepſiſſe, vix equidem mihi perſuaſerim. Parilis enim eſt iſta forma, ſupra I, 4. *nam etſi non ſus Minervam, ut aiunt; tamen inepte, quiſquis Minervam docet.* i. e. inepte agit. de Leg. II, 11. *Melius Graeci, atque noſtri, qui . . voluerunt.* lib. III. c. 20. *Graeci hoc diligentius, apud quos νομοφύλακες creantur* etc. ſic quoque de N. D. II, 14. et de Divin. lib. I, 33. Lactant. lib. II, 5, 24. *Quanto igitur Naſo prudentius, . . qui ſentit* etc. et Epit. cap. 59. *Melius Poetae. qui.. dixerunt.* Seneca de Ira II, 23. *Quanto animoſius Alexander, qui cum legiſſet* etc. lib. III, 38.

*Cato noſter, qui cum cauſam* etc. Non auſim igitur quidquam novare ibid. lib. I, 12. *Non pietas illam iram, ſed infirmitas movet: ſicuti pueri, qui tam parentibus amiſſis flebunt, quam nucibus.* (legendum puto *nutricibus.*)[41]) hic Lipſius legebat, *ſicut pueris, qui* etc. Gronovius, *ſicut pueri tam parentibus* etc. eiecto pronomine. Noſter Tuſc. I, 30. *Itaque conmemorant ut cygni, qui non ſine cauſa Apollini dicati ſunt, ſed*
29 *quod* etc. *ſic omnibus bonis et doctis eſſe faciundum.* ubi operam ludunt, ſiquid ego video, Lambinus et Daviſius, quos vide.

Cap. XI, 36. *facile etiam abſentibus nobis, veritas ſe ipſa defendet.* Elegantiſſima haec eſt verbi *abeſſe* tralatio, quod proprie ad res forenſes pertinet, cauſſaeque alicuius patrocinationem ſubterfugere ſignificat. Hinc eadem in oppoſitione cum verbo *defendere* occurrit, or. pro Sylla cap. 5. *ut mirari Torquatus deſinat, me qui Antonio abſuerim, Syllam defendiſſe.* [42]) Non erat igitur, cur pro *abſentibus* legerent viri eximii *tacentibus*: quis enim metaphorae non laudet potius concinnitatem, quam duritiem arguat?

Cap. XV, 47. *Primum conatur oſtendere, multa poſſe videri eſſe, quae omnino nulla ſunt, cum animi*

[41]) Cauſſam, cur Wopkenſius ita legendum eſſe ſuſpicabatur, in eo quaeſiverim, quod in ordine partium ſententiae offendiſſet. Nam dicendum erat *qui tam nucibus amiſſis flebunt quam parentibus.* Sed haec per *tam — quam* aequiparata ſaepe invertuntur. Quod Ruhkopfius recepit *pueris* non maiorem praebet concinnitatem, ſed a correctore profectum eſſe videtur. *Sicut* ita abſolute ponitur.

[42]) *Abeſſe* in his eſt non operam ſuam navare, uti dicitur *deeſſe alicui* Cic. pr. Mur. 4, 10. conf. Gronov. ad Senec. Hippol. 974. ad Med. 164. In Academ. intelligo ſimpliciter *non intercedentibus nobis.*

*inaniter moveantur eodem modo rebus iis, quae nullae ſint, ut iis quae ſint.* Si in his *ut iis quae ſint* *ἀπὸ κοινοῦ* repetamus *inaniter*, ſenſus erit perabſurdus, quoniam iis quae ſint non *inaniter*, ſed *vere* moventur animi. Terruit hoc veluti *μορμολύκειον* viros doctiſſimos, ut illud *inaniter* aut obelo confoderent, aut in *frequenter* tranſmutarent. Haud dubium, quin vox illa exſulare, ſalvo auctoris ſcopo, facillime queat, ſed nec ea ratio exterminandi, quamvis paſſim arripiatur a criticis, ſatis ſolida ac iuſta videtur, nec vero ſic ullus omnino foret eiiciendi finis. Stante igitur voce *inaniter*, mutatione faciliore, adeoque etiam potiore, poſteriora iſta ſic poſſemus explere, ut reſcriberemus, *ut vere iis quae ſint.* Ut tamen verum fatear, voculam *vere* facillime ſubaudio; cumque nulla ratio ſit, quae nos illud *inaniter* ex antecedentibus tam moroſe ad iſta *ut iis quae ſint*, referre cogat, manum medicam prorſus abſtinendam arbitror. [43])

Eodem cap. *ut ſiqui tremerent et exalbeſcerent, vel ipſi per ſe, motu mentis aliquo, vel obiecta terribili re extrinſecus, nihil ut eſſet qui diſtingueretur tremor ille et pallor*, etc. In his *nihil ut eſſet* coniunctionem *ut* delebat vir cl., ne recurreret. At par ratio eſt infra cap. 46. *ut, quoniam Ariſtippus* etc. *ut Calliphontem ſequar.* ubi vide Manut. et Lamb. Livius lib. XXVIII, 9. *ut, quoniam.. deduci non potuiſſet, ut M. Livium quadrigis* etc. Gellius lib. III, 9. *ut, quiſquis haberet eum poſſideretque, ut is cum omni domo deperiret.* utrobique conſule I. F. Gronovium. Apuleius Apol. p. 548. *Perſuaſi ut, filiis pecuniam ſuam repoſcentibus, de qua ſupra iam dixi, ut eam pecuniam ſine mora redderet.*

43) Vide Goerenz. ad hunc locum.

quem locum debeo cl. Davisio, qui eum citat ad Tusc. lib. III, 8. Florus lib. II, 6. *si, quod Poenum illum dixisse .. ferunt, Annibal si quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria scisset.* ubi vide Salmasium et Dukerum.[44]) His quoque vindicari ista lectio potest Divin. I, 57. *Quid est, cur, cum domus sit omnium una, .. cur ii quid ex quoque eveniat perspicere non possint?* codici Regio et Cantabrigiensi ut saepius alibi, ita et illic nimium tribuebat cl. editor, qui eorum auctoritate fretus, prius illud *cur* deletum voluit. D. Ioannes Epist. I, 3, 20. ὅτι ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία, ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ ϑεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν. ubi posterius illud ὅτι, cum codice quodam et vulgata interpretatione, delent philologi, aut pro eo substituunt ἔτι: quibus equidem haud facile accesserim.

Cap. XVI, 49, *Et primum quidem hoc reprehendendum, quod captiosissimo genere interrogationis utantur, quod genus minume in philosophia probari solet, cum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur. Soritas hos vocant, qui acervum efficiunt uno addito grano. Vitiosum sane et captiosum genus.* Inter-
51 punctionem et lectionem sic restituebat cl. Davisius, .. *probari solet. Cum aliquid m. e. g. a. a. demitur, soritas hoc vocant.* At interpunctionem quod attinet, nihil ea videtur habere cur respuatur: verba enim, *cum aliquid m. e. g. a. a. demitur*, explicant antecedentia, plane ut de Fato cap. 10. *Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus et plagam, quum declinat atomus intervallo minumo.* quo plura conferemus talia. Quod autem codicum unus et alter dant *soritas hoc vocant*,

44) Matthiae ad Cic. Epist. 13, 84. (ad Quint. fr. 1, 13) affert orat. pr. Planc. 38, 92. de Fin. 3, 13, 45. Alia Drakenborch. ad Liv. 1, 17, 11.

non *hos*, iis nollem aufcultaffet vir cl. fic enim eleganter pronomen voci proximae accommodatur, nulla antecedentium ratione habita: quale ex. gr. eft illud, *Eft locus in carcere, quod Tullianum appellatur.* [45])

45) Haec una eft vera ratio, quam cur Goerenzius reiecerit explicans „*hos*, tales, quales defcripfi," non perfpicio, nec laudare poffum. Antiqui fcriptores elegantiam haud fpeciofam etiam in aequalitate notionum copulandarum curare folebant. Nam orationis aliqua virtus cernitur in congruentia atque unitate partium. Sic Acad. 1, 8, 30. *hanc ille ideam appellabant*, pro *hoc* vel *haec*. Tufc. 2, 13, 30. *haec eft copia verborum*, pro *hoc*. Ovid. Her. 1, 33. *hac ibat Simois, hic eft Sigeia tellus.* alii codd. melius *haec eft*. In Her. 3, 8. miror Iahnium recepiffe id, quod nonnulli libri praebent: *quamvis hoc quoque culpa tua eft*. Ovidius fcripfit *haec*. Cic. pr. Planc. 19, 48. *nec erit haec alia ratio Plancio ac Laterenfi*. ubi Erneft. „forte autem legendum *hic* videatur: quod bene haberet: fed *haec* eft elegantius." In Quinctil. Declam. 5, 6 non debebat Burmannus recipere: *nondum hoc caritas eft*: ubi vulgo *haec*. Neque vero anguftis coercetur hic ufus limitibus, certe apud quofdam auctores. Livius fine dubio fcripfit, ut codices exhibent, 22, 14, 11. *media in urbe, quae nunc bufta gallica funt, et poftero die citra Gabios cecidit Gallorum legiones*. vulgo legitur *qua*. 22, 33, 9. *in eam diem, quam iuffiffent, comitia editurum*, non, ut alii, libri *qua*. Roftius in fpecim. IV. Obfervat. ad Cic. Epift. Lipf. 1804. p. 5. edito regulam condidit hanc: ubi duo nomina non fynonyma fint, neque in alterutro membro alterius nominis reperiatur defcriptio, relativum pronomen fequi genus prioris nominis. At non unum relativum hac attractionis lege regitur, nec cauffa quaeri poteft in cognatione notionum, fed apparet in ordine collocandorum verborum, neque etiam allata exempla rem ipfam fatis comprobant. Apud Curtium 3, 8, 13. *Darius ad eum locum, quem amanicas pylas vocant, pervenit*. vis demonftrativa potior valet. In Cic. de Nat. d. 2, 55, 138. recte legitur in plurimis libris: *pars concipitur cordis parte quadam, quem ventriculum cordis appellant*: haec extrema per fe conftant addita infuper. In Epift. 6, 12. *qui tuliffent acerbius veniam tibi dari, quem illi appellant tubam belli civilis.* non

Seneca Conſt. cap. 11... *qui probra meditate effundunt; nec has contumelias vocamus, ſed argutias.* τὸ *has* non habet ſubſtantivum in antecedentibus, ad quod referatur. Saluſt. Cat. cap. 7, 6... *eas divitias, eam bonam famam . . putabant.* ubi plura Waſſeus et Cortius. adi quoque Gron. ad Sen. Tranq. c. 10. Fallitur rurſus editor cl. de Leg. II, 5. *quaeque ita compoſita ſanctaque eſſent, eas leges videlicet nominarunt.* ubi coniicit ille *ea leges.* Lact. Epit. c. 54. initio: *Atqui religio ſola eſt, in qua libertas domicilium collocavit.* ubi ille rurſum, *ſola res eſt.* Cic. Tuſc. III, 34. *Hae ſunt illae fibrae ſtirpium* etc. legit cel. Bentl. *Haec ſunt i. f. ſ.* Livius lib. XXX, 40. *Verminam Syphacis filium, quae parva bene geſtae rei acceſſio erat, divictum* etc. N. Heinſ. ad Vell. Paterc. II, 26, ſcribebat *qui.* Alciphron lib. I. ep. 7. *ἀντίδοσις γὰρ ἡ παρὰ φίλων εἰς φίλους.* vocem *δόσις* iniiciebat doct. Berglerus, quod ceteroquin ei ſubiectum deeſſe videbatur. At ego his locis nihil mendi ſubeſſe puto.

---

32

## CAPUT VII.

*Septem Tullii loca in II. Acad. adſeruntur et comprobantur. Tranſpoſitio particularum. Cicero bis obiter vindicatur. Imperfecti uſus notabilis. Quatuor Tullii loca defenduntur. Enallage temporum. Seneca tentatur. Ellipſis vocis* aliquis. *an pro an non, et vice verſa. Lactantius defenditur. Repetitio coniunctionum. Ter Cicero, bis Pompon. Mela vindicatur.*

Cap. XVII. eiusdem lib. II. Acad. *et ais Democritum dicere innumerabiles eſſe mundos, et quidem ſic*

1 *quam*, quod placuit Erneſtio, ei ob perſonae notationem, et quoniam *quem* proxime nectitur cum nomine *tibi.*

*quoſdam inter ſe non ſolum ſimiles, ſed undique perfecte et abſolute ita pares, ut inter eos nihil prorſus interſit, et eos quidem innumerabiles, itemque homines.* Dicitur hic ſtatuere Democritus inter mundos innumerabiles, eſſe mundos non aliquot tantum, ſed plurimos et innumerabiles, qui ſint inter ſe perfecte ſimiles atque pares. Quid, quaeſo, in verbis Tullii eſt ὕπουλον, quid otioſum, ſi ſic enarres? Non poſſum igitur, quin diverſus ab illis abeam, qui poſtrema iſta, *et eos, q. i. i. h.* pro infititiis habent, aut ſic refingunt, *eoque innumerabiles item homines.* [46]) In his autem cap. XVIII, 58. *inter ipſas impreſſiones nihil intereſſe, ſed inter ſpecies et quaſdam formas eorum:* non video quo iure reponeret cl. Walkerus, *et quaſi formas eorum*, quippe cum vocis *quaſdam* eadem fere poteſtas ſit: ut alibi dicitur *Exprimere quandam formam ſiguramque dicendi, fingere quandam formam et ſpeciem, ingenii quandam formam lucere;* et ſexcenta talia.

Cap. XXII, 69. *qui haec ipſa . . . et didicit apud Philonem, et ſcripſit de his rebus accuratiſſime.* Ἀκρίβεια Grammatica talem verborum ordinem poſtulat, *qui et haec ipſa didicit, et ſcripſit de h. r. a.* [47]) Sic Lam- 33

46) Mirari licet, neminem huius loci ſenſum percepiſſe, et de verborum integritate dubitaſſe. Scripſit Cicero *et eo quidem innumerabiles* hoc ſenſu: et per ipſam ſimilitudinem, quae in quibusdam perfecta eſt, innumerabiles. Quae enim omni diſcrimine deſtituuntur, numerari non poſſunt.

47) Goerenzius ad 1. de Fin. 10, 33. traiectionis particularum regulam certam eſſe dicit, vel ab aurium iudicio, vel a ſono, hoc eſt, voculatione conſtituendam. Quae via vereor ne valde lubrica ſit. Illud praecipue tenendum, quo modo plures orationis partes uni notioni, quae ad eas referatur, ſubiiciantur. In Academ. Cicero non ſcripſit, *qui et haec ipſa didicit,* propterea, quod noluit dicere,

binus in his, Fin, I. 10. *hic tenetur a ſapiente delectus, aut ut reiiciendis voluptatibus maiores alias conſequatur, aut perferendis doloribus aſperiores repellat:* tranſponebat, *ut aut reiiciendis* etc. [48]) Et Patricius, in his pro Rabirio cap. 3. *Sed id nec agitur, nec cum Poſtumi cauſa res iſta coniungitur:* emendabat, *Sed nec id agitur*, etc. At ab iſta confuſione haud alienum Tullium deprehendo. Supra cap. 17. *et quidem ſic quoſdam inter ſe non ſolum ſimiles, ſed. . ita pares*, etc. mallet forte quiſpiam, *et quidem quoſdam inter ſe non ſolum ſic ſimiles, ſed. . ita pares*, aut alioquin deleri illud *ita*. [49]) pro Marcello c. 3. *adverſarium . . non modo attollere iacentem, ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem*, analogia requirit hunc ordinem, *non modo adverſarium tollere iacentem, ſed* etc. Tuſc. I, 31. *Hoc et dum erimus in terris, erit illi coeleſti vitae ſimile, et cum i. e. h. v. feremur, minus tardabitur curſus animorum.* cur non reficiunt docti, *Et hoc, dum* etc.? et lib. IV, 14, *ſic illi in morbum et incidunt tardius, et recreantur ocius.* hoc eſt, *et in morbum incidunt* etc. Imitatur Lactantius Epit. cap. 62. *ut et malum comprimatur . . et ut . innocentiam patientiamque*

utrumque factum eſſe, ſed modo in iis, quae a ſe defenderentur, utrumque factum eſſe; quod illato vocabulo *ſcripſit* mutatur oratio, non mutat rationem verbi dominantis. Eodem modo in locis pro Rabir. 3. pro Marc. 3. Tuſc. 4, 14. Wopkenſius varia miſcuit exempla.

48) Quod librorum auctoritate confirmatum receperunt noviſſimi editores. Utraque dictio aliquantum differt. Nam quum dicitur *ut aut*, univerſum deſignatur ſapientis conſilium, quod duplicem habeat finem, quum autem ſcribitur *aut ut — aut*, quod ponitur pro *aut ut*, quicumque ille delectus dicitur habere peculiarem finem.

49) *Sic* non cohaeret cum verbo *ſimiles.* Nos dicimus *und zwar dergeſtalt.*

*teneamus.* Inſtit. lib. I, 22, extr. *et idcirco fieri poteſt, vel ut ante, vel adhuc puero Iove, deos colere inſtituerit.* pro, *ut vel ante, vel* etc. et lib. V, 17, 34. *Sapientia eſt enim intelligentia vel ad bonum rectumque faciendum, vel abſtinentia dictorum f. i.* pro, *vel intelligentia ad bonum* etc.

Cap. XXIII. *Et primum, quod initio dixiſti, videamus quale ſit: ſimiliter a nobis de antiquis philoſophis conmemorari, atque ſeditioſi ſolerent claros viros* etc. Illud *ſolerent* nihil habet incommodi, cur aut tolleremus, aut reſcriberemus *ſolent.* Temporis imper- 34
fecti heic nullum locum eſſe concederemus, ſi antecedentia verba ſic eſſent in praeſenti prolata, *ſimiliter a nobis d. a. p. commemoratur;* ſed iam imperfectum *ſolerent* congruit cum ſuperiore illo praeterito *dixiſti:* eodem plane modo, ut de Div. I, 18. *qui duo genera divinationum eſſe dixerunt; unum quod particeps eſſet rationis, alterum quod arte careret* lib. II, 14. *qui omne quod eſſet, unum eſſe dixerunt.* de N. Deor. II, 61. *ſatis docuiſſe videor, hominis natura quanto omnes anteiret animantes.* ſi dixiſſet Cicero in membro priore *ſatis docere videor*, in poſteriore quoque dixiſſet, *hom. nat. qu. om. anteat animantes.* Plura, quae mihi in mundo ſunt, adferre non opus eſt [50]). Per-

50) Alia plura exempla Wopkenſius comparavit p. 126. ita ut nunc conſtet Ciceronis uſus, quo in aliorum ſententiis aſſerendis, etiam antecedente praeſenti, imperfectum ponere ſolet in ſecundaria enuntiationis parte. Matthiae in Animadverſ. ad Cic. de Fin. 9, 30. p. 8. imperfectum putat ſic pro praeſenti non poni, niſi ubi res memoretur non uno temporis puncto facta, ſed continuo temporum ordine fieri ſolita, quae adeo ad praeteritum aeque ac praeſens tempus ſpectet. Ego vero cauſſam invenio in ratione praeſentis, quod antecedit. Id enim, quum de ſententia iam

gamus ad ista quoque loca vindicanda. de Divin. I, 34. *tum augures dixisse Boeotios, Thebanorum esse victoriam, propterea quod avis illa victa silere soleret, canere si vicisset.* ubi vir cl. ex Vict. et Venet. 1471. legit *solet*: perperam: ut et lib. II, 26. *Tu vates Boeotios credis Lebadiae vidisse..victoriam esse Thebanorum, quia galli victi silere solerent, canere victores:* idem V. D. reponit *solent.* Rursum de Leg. II, 19. *saepe . . ex patre audivi pontificem bonum neminem*

dudum prolata agatur, vim habet praeteriti, ex quo recte pergit oratio per imperfectum. Quare aliis in enuntiationibus, ac quibus sententia vel decretum ab aliquo aliquando propositum narretur, id fieri posse negaverim. Qualis est locus de Leg. 2, 17, 44. *tantum ponam erui duplicem poenam esse divinam, quod constaret vexandis civium animis.* quae quam vario modo interpolata et a criticis emendata fuerint, referre longum est. At profecto non sufficiebat medicinam singulis verbis afferre, quae omnia non a Cicerone scripta esse videntur. Sicuti in aliis horum librorum partibus, lacuna exstiterat post verba *corrupta hominum, non deorum:* quam sedulus quidam glossator verbis aliunde arreptis explere conatus est. Nemo enim negari potest, hanc totam sententiam ab hoc quidem loco alienam videri, et cum iis, quae antecedunt, non apte esse nexam. Sed in verbis quoque multa abhorrent a more Ciceronis: quod *reprimere* absolutum verbum ponitur, quare critici inseruerunt *me*: quod *et non insequar* dicitur pro *neque insequar*, quod unum Stephanum offenderat: tum usus verborum *eoque minus*, et verbum *erui* quod quo iure eiicerent critici, non animadverterunt, et structura *duplicem esse poenam d., quod constaret vexandis hominum animis*, et omissa ante *et ea* praepositio, de qua re nuper disputavit Wunderus in Var. Lect. ex cod. Erfurt. notat. p. 17. et illud *iudicium vivorum*, antea memoratis *vivorum*, i. e. maleficorum, *animis*. Quibus accedit perversa ratio in verbo *constaret*, quod alii in *constat*, alii in *constet* mutant. Quae omnia perquam gravia mihi videntur esse dubitationis argumenta: sed haec amplius versare non huius est loci.

*eſſe*, *niſi qui ius civile cognoſſet*. i. e. didiciſſet, eiuſque ſcientiam ſibi acquiſiviſſet. ille legit, *cognoſcit*. de N. Deor. II, 38. *ac mihi videor ſatis et eſſe deos*, *et quales eſſent*, *oſtendiſſe*. ampl. et erud. Boherius coniicit, *quales ſint* [51]. Sequentia vero loca ſi ſana ſint, obſervanda in iis eſt Temporum Enallage. de Fin. II, 2. *Bonum ipſum etiam quid eſſet*, *fortaſſe ſi opus fuiſſet*, *definiviſſes*, *aut quod eſſet natura appetendum*, *aut quod prodeſſet*, *aut quod iuvaret*, *aut quod liberet modo*. pro *liberaret* [52]). de N. Deor. II, 16. *Nec vero Ariſtoteles non laudandus in eo*, *quod omnia quae moventur*, *aut natura moveri cenſuit*, *aut vi*, *aut voluntate*,.. *quae autem natura moverentur*, *haec aut* etc. 35
ubi nota *moventur* et *moverentur*. et 1, 15. *ipſumque mundum deum dicit eſſe*, *et eius animi fuſionem univerſam*; *tum eius ipſius principatum*, *qui in mente et ratione verſetur* etc. *tum ea quae natura fluerent atque manarent* etc. [53]). Lactant. lib. VI. c. 5, 1. *quam* (virtutem) *non recte philoſophi definierunt quid eſſet*, *aut in quibus rebus*, *quid operis*, *quid habeat officii*. Seneca de Ira I, 5. *Quid eſſet ira*, *quaeſitum eſt*, *an in n. a. a. q. i. h. caderet*, *quo ab iracundia diſtaret*, *et*

51) In his omnibus neceſſaria eſt conſtructio imperfecti: nam, qui interponitur, infinitivus *eſſe* aoriſti induit naturam.

52) In ridiculum errorem incidit vir doctus, uti iam Matthiae notavit. *Liberet* enim non eſt forma verbi *liberare*. In loco de Nat. d. 2, 16. modus indicativus *moventur* rationem temporis monſtrat. *Omnia quae moventur* ſunt omnia mota. Falſum eſſet, quod unus praebet codex, *quae autem natura moveantur*.

53) In his enallage non uno nomine diſplicet: nec dubito, quin in *verſetur* compendium habeamus verbi *verſaretur*. Apud Lactantium 6, 5, 1. verba *quid operis*, *quid habeat officii* non cum v. *eſſet* cohaerent, ſed cum ſuperioribus *determinanda eſt ipſa virtus*.

*quae eius species sint.* ubi tamen vix possum quin legam *essent*, pro *sint.* [54])

Cap. XXIV. *Videorne tibi non ut* etc. *sed etiam imitari numquam nisi clarum?* Miror in his non potuisse ferri desiderium vocis *aliquem*, quae tamen passim sic subintelligenda omittitur. [55]) ut e. g. de N. Deor. I, 28. *Est enim vis tanta naturae, ut homo nemo velit nisi hominis similis esse.* i. e. ullius nisi hominis. et c. 35. *Tu enim sumebas, nisi in hominis figura rationem inesse non posse.* i. e. in alia nisi hominis figura,

Cap. XXV. *quam* (rationem) *ut maxime inveneris (quod haud scio an non possis) non tu verum* etc. Praeceptor noster praestantissimus exterebat voculam *non.* Si mihi a viro maximo dissentire liceat, locum hunc plurimis similibus stabiliri et adstrui posse arbitror, quibus ex. gr. dicitur *quod haud scio an fieri non possit*, cum de rei possibilitate ambigitur; et vice versa, *quod haud scio an fieri possit*, ubi fieri posse confiditur. Consule tantummodo, quae Davisius ad Leg. I, 21. Burman-

54) Haec omnia non Seneca scripsit, nec mutilata sunt, ut Lipsio visum erat, sed assuta. In his enim dictorum indicibus adiiciendis sedulitas librariorum frequentissime exercebatur.

55) *Numquam aliquem* soloecum esset, negatione cum verbo *aliquis* ita composita. Debebat scribi *alium quemquam.* Latini autem quum non habuissent, quo sensum verborum *immer nur* commode exprimerent, negativa utebantur formula *numquam nisi*, quae, oblitterata negationis vi, sine ullo verborum desiderio interponitur. Sed negatio in *non nisi*, quod est *nur*, modo attrahitur a nomine, quo fit *nemo nisi* pro *quicumque non nisi* positum, modo recipitur in vocabulum *numquam*, quod ad totam enuntiationem pertinet. Sic restituenda est antiqua scriptura in Tacit Ann. 1, 26. *numquamne nisi ad se filios familiarum venturos?* ubi Lipsio auctore omnes scripserunt *ad se nisi filios.*

nus ad Quinctil. I. O. XII, 11. et Dukerus ad Florum lib. III. c. 6. [56]) Eodem modo Latinae Linguae genium suae idiotismo metiri volebat Lipsius ὁ πάνυ, cum in his Senecae de Ira III, 38. *Vis tu aequo animo pati candidatus suffragia?* malebat, *Non vis tu* etc. quem bene refutat I. F. Gronovius. Forte etiam coniectura fefellit duumviros insignes, ad haec Lactantii Epit. cap. 29. *Sed dicit quispiam, cur ergo verus ille deus patitur hoc ipsum fieri? An potius malos vel summovet, vel exstinguit?* coniiciebat alter, *an non potius* etc. alter, *cur non potius* etc. sed ita *an* pro *an non* videtur dixisse Cicero, de Offic. I, 15. *Quod si ea quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus; quidnam beneficio provocati facere debemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt quam acceperunt? Etenim* etc. [57]) 56

Cap. XXVII. *Tractantur ista ingeniose; disputan-*

56) Vid. scripta virorum doctorum quos nomino in libro de Particulis, et quae ibi ipse disputavi de voc. *an.* Beierus, qui ad Cic. de Off. 3, 72, 51. p. 271 negaverat, in negatione post *dubito* et *nescio an* umquam usurpari *non*, ne Academ. locus hanc opinionem infringeret, argumenta interpolationis circumspexit, atque ea invenit in importunitate et insolentia, qua Cicero quaestionem tam facilem a Lucullo solvi posse negasset. At primum ipsam hanc negationem necessario exspectabimus, praemissis verbis *ut maxime inveneris*, tum vero nescio an maior insolentia exsistat, si Cicero istam rationem a Lucullo inveniri posse affirmet: denique vero Cicero ipso hoc exemplo utitur, ut demonstret, etiam in his vulgaribus ac parvis rebus rationem vix inveniri.

57) In Lactantii loco *an potius* positum est pro *num potius.* Sic in Cic. Parad. 5, 2, 36. *an ille mihi liber, cui mulier imperat.* codices aliqui et Vincent. Bellovac. exhibent *numquid ille.* De loco Ciceronis disseruit Hermannus in Ephemerid. Lips. 1819. n. 122. Vide quae nos de particula *an.*

*tur etiam eleganter; denique videantur ſane, ne adſirmentur modo.* Senſum poſtulare putabat V. Cl. *denique probentur ſane.* at idem illud ſatis commode videtur exprimi verbo *videantur*, i. e. veroſimilia ſint, probabilia ſint; *ne adſirmentur modo*, h. e. caveamus tantummodo ne vera eſſe contendamus. Sic enim *videri* quoque et *percipi* diſtinguitur infra c. 32 extr. *Non enim lucem eripimus, ſed ea quae vos percipi comprehendique, eadem nos, ſi modo probabilia ſint, videri dicimus.*[58]) Sequitur: *Sed de Phyſicis mox,.. ne tu.. videare mentitus. Sed ut ad* etc. Quod ab eadem coniunctione *ſed* inchoantur periodi, ea ratio nulla eſſe videtur, cur a lectione hac vel latum unguem abſcedamus. ſic enim ſupra c. 26. *Sed ne vivus quidem bono caret, ſi eo non indiget: ſed in vivo intelligi* etc. Att. IX. epiſt. 4. *Sed fortaſſe in eo ipſo offendetur, cur non Romae potius. Sed tamen ſi* etc. vide et de N. D. I, 26. Lactant. de Mort. Perſ. cap. 14. *Sed.. aliud rurſum incendium molitus eſt. Sed celerius animadverſum* etc. Lucanus lib. X. vs. 161.

37 *— — Sed non Mareotidos uvae*
*Nobile, ſed paucis ſenium cui contulit annis.*

ubi vide cl. Oudendorpium.[59]) Eadem quoque ratione

58) Etiam Goerenzius *videantur* interpretatur *probentur.* Verbum *videri* quamquam alibi ponitur de eo, quod placeat, aut probetur, tamen hoc loco alia eſt dicendi forma, quae idem ſignificat quod *denique videndum eſt, ne affirmentur modo.* Uti Cic. de Orat. 1, 17, 77. *videamus, ne plus ei tribuas quam res et veritas ipſa concedat,* ita etiam dicitur *videantur, ne affirmentur modo.* Vid. Graevius ad Cic. de Off. 1, 20. *quamobrem et haec videnda.*

59) Haec repetitio non tantum in anaphora locum habet, velut apud Tacit. Ann. 2, 14 et Tibull 1, 8, 25. ſed etiam

iteratur coni. *autem*, Tuſc. V, 15. *quod autem laetabile, id praedicandum et prae ſe ferendum: quod tale autem, id etiam glorioſum: ſi vero glorioſum, certe laudabile: quod laudabile autem* etc. et c. 18. *hic autem vincetur, ut dixi, nec modo vincetur, ſed etiam ſerviet: nos autem virtutem* etc. de N. Deor. II, 23. *Epicurus, monogrammos deos, et nihil agentes commentus eſt. Illi autem pulcherrima forma praediti.. ita feruntur* etc. *Multae autem aliae naturae deorum.. conſtitutae nominataeque ſunt.* Sic innumeris aliis in locis; ut non ſit, cur quidpiam moveamus in ſcriptura iſta, Tuſc. IV, 6. *Praeſentis autem mali, ſapientis nulla adfectio eſt: ſtulti autem aegritudo eſt ea* etc. et lib. V. c. 16. *hi autem ſine his eſſe nullam putant* (vitam), *aut ſi ſit beata, beatiſſumam certe eſſe negant. Nos autem* etc. Pompon. Mela in prooemio: *Dicam autem alias plura et exactius: nunc autem ut quaeque clariſſima et ſtrictim.* In his locis recurſus iſte immerito offendiſſe viros doctos videtur. Addamus alia quaedam huius generis exempla. de Divin. II, 13. *Democritus tamen non inſcite nugatur..verum is tamen* etc. de N. Deor. II, 10. *Ipſe vero aer, qui natura* etc. *Ille vero et multo quidem calore admixtus eſt: ipſe enim oritur ex reſpiratione aquarum; earum enim quaſi* etc. τὸ *Ille vero* haud facile cum viro ampl. cancellaverim. [60]) de Leg. III, 2. *Deinde etiam deinceps poſteris prodebatur; quod et in his etiam — manet.* Tuſc. IV, 2. *Mihi quidem etiam Caeci carmen* etc. *multa etiam ſunt* etc. unde prius *etiam* eximebat cl. Daviſius, cui quamvis 58
codex unus et alter addicat, ego tamen vix poſſum ſuf-

in oppoſitis ſententiis, de qua re Gronov. et Wolfius ad Tacit. Ann. 1, 10.

60) Vid. Hottinger. ad Cic. de Divin. 2, 64. p. 312.

ſragari[61]) Sulp. Sever. H. S. lib. I, 21, 5. *In eo quoque curſu regem gentis Chananaeorum delevit. Seon quoque regem Amorraeorum perculit, omniumque eorum oppidis potitus eſt. Baſan quoque et Balac reges devicit.* etc. et cap. 37, 8. *Sed Jonathan interdictionis eius inſcius... mel deguſtaverat. Sed ubi regi ex Domini ira compertum eſt, morte effici filium iuſſit: ſed populi auxilio ab exitio vindicatus eſt.* Io. Vorſtius legebat, *Quod ubi regi* etc. Vix ego auſim adſtipulari. Confer, quae nos de ellipſi pronominis demonſtrativi egimus ad Cic. epiſt. ad Varr. Pomp. Mela lib. III. c. 10. *Ceterum ſolo etiam ditior, et adeo fertilis etiam, ut frugum genera non cum ferantur modo benigniſſime procreet, ſed quaedam profundat etiam non ſata.* ubi contra hanc repetitionem omnem lapidem movent intt. confer quae dicemus ad N. D. II, 52. *Accedit etiam ad nonnullorum animantium.. ſalutem, hominum etiam ſolertia,*

---

## CAPUT VIII.

*Octo vel novem Tullii loca iuxta feriem vindicantur: totidem quoque in tranſitu defenduntur, unuſque et alter emendatur.* Incitatus furor. Ne ſit, *formula concedentis.* Lumina *cauſae vel orationis.* Ne quidem *pro neutiquam.* Humaniſſi-

61) Prius illud *etiam*, quod Erneſtius Daviſium ſequutus eiecit, vix omitti poteſt: poſterius in verbis *multa etiam ſunt in noſtris inſtitutis* non modo non deſiderabitur, ſed in novo orationis impetu, qui tamen reprimitur verbis *quae praetereo*, minus commodum eſſe videtur, et propter ambiguam ſedem (nam codices non pauci *multa ſunt etiam*), et quod minuitur vis vocabuli *multa.*

**ma voluptas.** ***Enallage caſuum.*** **nam** ***vel*** **enim** ***omittitur, ubi poſſet adhiberi. Lactantius, Caeſar, et Commodianus vindicantur. Emendatur quoque Commodianus.*** **Denique** ***poſt*** **denique.** ***Vocis*** **noſter** ***uſus notabilis. Ellipſis durior. Lucianus defenditur.***

Pergimus in eodem libro Acad. II. ibi autem cap. XXVIII. iſta legimus, .. *nonne ibidem incitato furore,* ſc. clamat? Legebat editor doctiſſimus *incitatus furore:* at latinitatem quod attinet, nihil omnino differre videtur, utrum quem clamare dicas *incitatum furore*, an *incitato furore:* nam *incitatus furor* eſt furor vehemens et effraenatus. ſic Tuſc. V, 24. *ſtudium* dicitur *incitatum.* in Or. c. 59. *curſus in oratione incitatior.* et Fam. VI. ep. 7, 5. *genus ſcripturae non modo liberum, ſed incitatum atque elatum.* Plura Lexicographi ſubminiſtra- 59
bunt. Saepius autem rei adſcribitur, quod perſonae magis convenit, deque abſtractis et adiunctis enuntiatur, quod proprie quadrat concretis et ſubiectis. [62]) Sic *occupata opera* de Leg. I, 3. *neque enim occupata opera, neque impedito animo res tanta ſuſcipi poteſt. Occupata opera*, i. e. in occupata opera, cum occupatus ſis opera. Non erat cur illic *occupato opera* reſcriberet

62) Bene quidem, ſed Daviſii dubitatio non tam abſurda erat atque aliis videbatur. Nam *incitatum* dicitur aut id, quod e quieto ſtatu ad velocem decurſum excitatur, veluti *ſtudium*, *oratio*, aut quod in curſu vehementius promovetur, ut *gradus incitatus.* Quam tamen incitationem furor admittat, qui ipſe eſt ſumma animi commotio, non tam facile intelligitur. Neque qui defendere conati ſunt, aliud huius generis exemplum committere poterant, neque *incitatus furor* eſt vehemens, ſed accenſus, concitatus. Scribonius Largus 94. *toxicum — e veſtigio ciet dolorem omnium interaneorum infinitum — concitatque mentis furorem.*

cl. Davisius.[63]) similiter enim *occupata tempora* dixit Cicero pro Plancio c. 27. et *occupatum diem*, Quintil. I. O. l. X. c. 7. itaque dicitur *necessitas inopia coacta et angustiis*, de Orat. III, 28. Talia sunt quoque *ebrius error*, *doctus labor*, *iratus impetus*, *infesta cornua*; cuiusmodi multa nuper collegit Cel. Burmannus ad Phaedri Fab. 21.

Cap. XXX. *nec reperio quomodo iudicem, si lucet, verum esse, ob eam causam quod ita didici, omne q. i. e s. c. s. verum esse; non iudicem, si mentiris, mentiris, eodem modo esse connexum.* Voculam *quum* post *quomodo* excidisse non credo. Eadem locutio est cum alibi passim, tum quoque c. 33. *An est aliquid, quod positum vel improbare vel approbare possit, dubitare non possit? An tu in Soritis poteris hoc, cum voles; ille in reliquis rebus non poterit eodem modo insistere,* etc.? hic bis eodem plane modo desideratur illud *quum*, si forte desiderium illud queat dici. et supra cap. 13. *Maxime autem absurdum, vitia in ipsorum esse potestate, neque peccare quemquam nisi assensione; hoc idem in virtute non posse* etc. quis hic legendum statueret, *M. a. a. quum vitia in ipsorum sint potestate, neque peccet quisquam n. a.; hoc idem* etc.?

Cap. XXXII. *Quod tamen dicimus esse quaedam probabilia, non videtur hoc satis esse vobis. Ne sit; illa certe debemus effugere.* Nihil moveo in ista scriptura, quam sic refingebat V. Cl... *vobis. Nae sic certe*, aut *Vel sic certe* etc. Tales sunt etiam istae concessiones,

63) Quo facto praecedere deberet verbum *opera*, nec posset interponi *neque*, et vocabulum *animo* inepto loco positum esset. Sed aliquantum differunt *occupata* negotiis *tempora*, *occupata dies* ab *occupata opera*. Intellige igitur operam iam antea occupatam, praeoccupatam.

fupra c. 26. *Ne fit fane, videri certe poteft.* Tufc. II. 5. *Quare ne fit fane fummum malum dolor; malum certe eft.* Fin. IV, 26. *Ne fit fane, at certe gravius* etc. lib. II. c. 31. *Sed ut fit, etiamne poft mortem coletur?* Livius lib. XXXI. 7. *Ne aequaveritis Hannibali Philippum.. Pyrrho certe aequabitis.* confer quae ad Tufc. III, 17. Eodem cap. *ut neque neget aliquid, neque aiat.* Oppofitio vulgaris quidem illa, fed a fcriptoribus librariis peffime corrupta in loco ifto de Leg. lib. II. c. 6. Q. *Quid quod Zaleucum iftum negat ullum fuiffe Timaeus.* M. *At Theophraftus auctor haud deterior, mea quidem fententia: meliorem multi nominant: commemorant vero.. Locri.* I. Lipfius legebat,.. *fententia melior, eum multis nominat:* Davifius,.. *fententia melior; eum et multi nominant.* A fcopo aberrant, ut ego quidem puto, duumviri perfpicaciffimi: levi enim brachio pro *At*, *Ait* eft reponendum. [64])

Cap. XXXIII. *Sed illa funt lumina duo, quae maxime caufam iftam continent. Primum enim negatis fieri*

64) Hanc emendationem Goerenzius probavit, adeoque in textum recepit. Sed vocabulum *at*, quod oppofitionem exprimat, abeffe nullo pacto poteft, neque illud *ait* bene fe habet nulla particula, quae orationem aliquo modo nectat, addita. Verba *meliorem multi nominant* quo minus reliquis accommodemus, et ad Theophraftum referamus, ipfa orationis conformatio impedit, atque verbum *commemorant*, quod proxime fequitur. Id bene fenferunt Davifius cum Erneftio, adiicientes *eum.* Nec placet nunc, quod aliquando fufpicatus fum, facile intelligi *haud deterior eft:* nam neceffe effet ex antecedentibus fubftitui *non negat.* Quare omnibus fubtilior videtur effe Schützii coniectura *melior*, *multo*, nifi quod formula *mea quidem fententia* contra vulgarem confuetudinem praemittitur verbis, ad quae pertinet. Equidem Ciceronem fcripfiffe arbitror: *at Theophraftus, auctor haud deterior, mea quidem fententia, meliorque multis, nominat.* i. e. haud deterior Timaeo et melior multis aliis.

*poſſe ut quiſpiam nulli rei aſſentiatur.. Alterum eſt quod negatis* etc. Vocem *lumina* immerito ſollicitat V. D. quum mallet *vimina;* ſunt enim *lumina*, quae cauſae cuipiam, aut orationi vel ſententiae probabilitatem adferunt aut ornatum. *Partes luminoſae* vocantur in Orat. cap. 36. *Nam cum omnis pars debet eſſe laudabilis.. tum ſunt maxime luminoſae et quaſi actuoſae partes duae.... Ac vero illa pars orationis, quae eſt de genere univerſo, totas cauſas ſaepe continet.* dicuntur hic partes luminoſae *cauſas continere;* ut in loco propoſito, *lumina duo, quae maxime cauſam iſtam*
41 *continent.* Ne autem de tralatitia iſta huius vocis ſignificatione dubites, en locum de multis unum et alterum. de Fin. II, 22. *At negat (hoc enim veſtrum lumen eſt) quemquam, qui honeſte non vivat, iucunde poſſe vivere.* de Orat. II, 27. *Haec ſunt omnia ingenii vel mediocris; exercitationis autem maximae: artem quidem et praecepta duntaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur.* vide quoque ſupra c. 14. Quinctil. In. Or. VIII, 5. et alibi.[65])

Cap. XXXVI. *Primum ergo.. quae de natura rerum ſint quaeſita, videamus. Velut illud ante. Eſtne quiſquam tanto inflatus errore, ut ſibi ſe illa ſcire perſuaſerit?* Lambino ſuſpectus eſt locus, quem quidem Daviſius ita ſanabat, ut legeret *verum illud ante.* Mihi dirimendum tantummodo illud *velut* videtur. *vel ut illud*

65) Goerenzius haeſit in audaciore coniunctione verborum *lumina cauſſam continent*, ideoque, ut aliquo modo conciliarentur haec, *lumina* explicuit *capita*. At *continere* proprie dicitur de eo, quod praecipuum eſt et rei caput. De Divin. 1, 51, 117. *ſint haec, quae quaerimus, facilliora: continet enim totam hanc quaeſtionem ea ratio, quae eſt de natura deorum.* de Fin. 4, 6, 14. *nunc videamus, quaeſo, de ſummo bono, quod continet philoſophiam.*

*ante*, fcil. *videamus*, vel *dicam*, fi mavis; cuiufmodi ellipfis omnino eft, ut ego arbitror, tolerabilis. Hoc autem modo interpungo, *vel ut illud ante: Efine* etc. ut infra c. 24. *Sed quod coeperam; Quid habemus-- explorati?* [66])

Cap. XXXIX. *Quid tu, Epicure? loquere, Putas folem effe tantulum? Ego ne vobis quidem tantum. Sed et vos ab illo irridemini, et ipfi illum viciffim illuditis.* Quidquid id eft, quod in hoc loco molefte habuerit viros eruditiffimos, nihil equidem male affectum effe, praeter folam diftinctionem, exiftimem. Poft *tantum* tollatur στιγμὴ, eique κόμμα fubftituatur: fic dicet is qui haec difputat, fe non folum ab adverfariis fuis irrideri, quod ifta fciri poffe negaret, fed illorum quoque fententiam ridiculam Epicuro fuiffe, quemadmodum illi exfibilarent Epicuream. Non obfervarunt critici, quam vim habeat illud *ne quidem*, quae tu, lector, iam vides qualis fit, clariufque videbis, fi ifta compofueris. pro Mil. c. 17. *Ergo ne caufa quidem itineris, etiam caufa manendi.* in Orat. c. 17. *ne nunc* 42 *quidem folum de orationis modo dicam, fed etiam de actionis.* Lactant. lib. V, 12, 2. *Adeone apud vos perit innocentia, ut ne morte quidem fimplici dignam iudicetis, fed fupra omnia facinora habeatur nullum facinus admittere* etc.? Plura vide apud Turfellinum, de Partic. p. 522. [67])

66) Egregiae huius emendationis auctorem Wopkenfium non nominavit Goerenzius.

67) Lambinus emendans *egone? ne bis quidem tantum*, defenforem nactus eft Madvigium, qui tamen cum ceteris interpretibus non fatis reputaffe videtur, talem affirmationem Epicuri, quae non Stoicos fimul fpectaret, fuperfluam effe, neque eam vim habere, ut Cicero hac oratione pergere poffet: *fic et vos ab illo irridemini.* Qua de cauffa

Cap. XLI. *ſi vero aliquid occurret quod veroſimile videatur, tum humaniſſima completur animus voluptate.*[68]) Cl. Daviſii amicus V. D. legebat *diviniſſima*, pro *humaniſſima;* cui tamen ipſe accedere gravabatur, quod dubitaret an non voluptas dici *humaniſſima* ea poſſit, quae hominem maxime deceat, eoque ſit digniſſima. At cum ille nullum locum adferat, en prae ceteris in hanc rem luculentiſſimum, Xenoph. VIII. Cyrop. p. 235. [7, 12.] ubi moribundum Cyrum ſic inter alia loquentem facit ad filium natu minorem: *Quae ſi tibi largiar, maiori quidem natu imperium regnique nomen amplius, tibi vero felicitatem tranquilliorem me relicturum*

etiam Orellii coniectura *egone? equidem tantum* probari non poteſt. Nam *tantum* non ſignificat *tantum, quantum videtur.* Accedit, quod *tantum* non dicitur ita, niſi de exigua re: id quod Madvigius bene obſervavit. Illa autem formula *egone*, qua uti ſolet et is, qui rem negaturus eſt, et is, qui quaerenti rationem rei, de qua ille dubitat, reddere vult, hic praemiſſis verbis *putas ſolem eſſe tantulum*, vix poterit locum obtinere. Antiqui libri ſervant genuinam ſcripturam hanc: *Quid tu, Epicure? loquere. Putas ſolem eſſe tantulum. Egone? nae vobis quidem tantum.* In quibus ineſt feſtiva quaedam irriſio: ſcilicet id, quod ego alia ratione non maius atque videatur cenſeam, vobis quidem eſt tam exiguum, nimis parvum. Sic apud Plaut. Trucul. 5, 5. ST. *quid Aſtaphilitium eſt? AS. merito ecaſtor tibi ſuccenſet.* PH. *Egone? nae iſti etiam parum male volo.* ita enim antiqui libri: alii *atque nae iſti*: vulgo *atque iſti.* Ceterum, quod Goerenzius repudiat, *putas ſolem eſſe tantulum*, mihi non tam ineptum videtur: nam omnis ſententiae vis incumbit in vocabulum *putas*, cui reliqua non inverſa recte adduntur. Neque haec verba interrogatione recta efferuntur, ſed ponunt opinionem anticipatam. Quod Wopkenſius ſcripſit *illuditis* pro *eluditis* non de conſilio factum videtur.

68) Wopkenſio iniuriam facit Goerenzius, quum narrat, eum hac in pagina perperam ſcripſiſſe *occurrit:* cuius in meis exemplis nullum ſe offert veſtigium.

*exiſtimo: ὁποίας μὲν γὰρ ἈΝΘΡΩΠΙΝΗΣ ΕΥΦΡΟΣΥΝΗΣ ἐπιδεὴς ἔσῃ· οὐχ ὁρῶ· ἀλλὰ πάντα σοι τὰ δοκοῦντα ἀνθρώπους εὐφραίνειν παρέσται: nam qua quidem humana ſis voluptate cariturus, non video; ſed quaecunque hominibus voluptatem adferre ſolent, haec tibi praeſto erunt.*

Sequente cap. *Huic ſummum bonum eſt, in his rebus neutram in partem moveri, quae ἀδιαφορία ab ipſo dicitur: Pyrrho autem, ea ne ſentire quidem ſapientem, quae ἀπάθεια nominatur.* Hic legere iubemur, *Pyrrhoni autem* etc. quia modo in antecedentibus dictum eſt, *Huic ſummum bonum eſt.* At eodem plane iure in membro poſteriore exturbari illud *ſapientem* oporteret, quo ſimilius illud membrum priori evaderet. Ut autem lectionem hanc a Tullio vere profectam 43
eſſe, vel proficiſci certe potuiſſe liqueat, obſervandum eſt primo, Ellipſin iſtius modi poſt nominativum longe eſſe frequentiſſimam. ut Divin. II, 40. *Aemilia Paulo, Perſam periſſe*, ſc. dixit. N. Deor. I, 18. *nam Cotta modo, hoc modo illud*, etc. ſic paſſim, ut in re tam proletaria exempla prorſus ſupervacua ſint.[69]) Sed quod huc maxime pertinet, ſimilem plane Enallagen reperio Tuſc. III, 31. *Sunt qui* etc. *ut Cleanthi placet: ſunt qui n. m. m., ut Peripatetici: ſunt qui* etc. locus inſpicienti apparebit plane eſſe geminus, quem tamen ſilentio ſuo comprobavit vir. cl. Atque hoc lib. II. Acad, 39... *an ut Decaearcho viſum eſt, ne ſit quidem ullus? .. an ut Xenocrates, mens nullo corpore?* tantum abfuit, ut *Xenocrati* legendum ille pronuntiaret, ut etiam Lambinum, ſic emendantem, a Petro Fabro bene refu-

69) Nihil frequentius quam ut accuſativo cum infinitivo poſito omittatur ſimplex verbum *dixit.* Vid. Oudendorp. ad Caeſ. Bell. Civ. 2, 69.

tari agnoverit. Licet isto modo ad hominem, quod aiunt, argumentari, idque omni absque cavillatione. Insignis est locus Aeliani Var. Hist. lib. IX. c. 24. *καὶ γάρ τοι Συβαρίταις πᾶσιν ἔργον ἦν τρυφᾶν. καὶ τῷ βίῳ διαῤῥεῖν· ὁ δὲ Σμινδυρίδης καὶ πλέον.*

Cap. XLIII. *Praecide inquit: Statue aliquando quidlibet. Quid? quae dicuntur quidem, et acuta mihi videntur in utramque partem et paria: nonne caveam ne scelus faciam? scelus enim* etc. [70]) Locum, ab intt. varie tentatum, fuit aliquando ut sic sanitati restituere vellem: *Quid?* (scil. *statuam?*) *quae dicuntur ENIM et acuta* etc. quemadmodum coniunctionem *enim* vel *nam* interrogationi succedere vel ex hoc loco constat, videbimusque ad Tusc. V, 9. Sed attendenti mihi saepenumero obviam facta est coniunctionis istiusmodi omissio, ubi locus ei fuisset opportunissimus; eaque linguae Latinae non praecipua, sed cum omnibus linguis communis est, quippe quae non ita in sermonis idiotismo,
44 quam quidem in impetu quodam animi fundamentum habeat; quo fit ut, amputatis coniunctionibus, abrumpatur quodammodo orationis nexus. supra cap. 6. *e qui-*

70) Magna est virorum doctorum dissensio de hoc loco, in quo vereor ut librarii magis peccaverint quam critici. Guieti emendationem non falsam dixerim, sed praeter necessitatem factam. Orellio non bene cessit festinata, ut videtur, opera. Nam et recte dici posset *quid quod — videntur*, nec reliqua a comprobata latinitate abhorrent: *acuta* enim intelligas *acute dicta* et *in utramque* quidem *partem*. Neque vero absonum censebimus voc. *quidem*, quod librarii quum non intellexissent, omiserunt. Eo intenditur vis verbi *dicuntur*, ut sit *dicendo statuuntur*. vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. 4, 20, 56. Sic de Fin. 3, 8, 28 *quod non possit quidem nisi honestae vitae iure contingere. In utramque partem* bene se habet, ut ad Att. 15, 23 *permulta mihi de nostro itinere in utramque partem occurrunt.*

*bus industriae plurimum in Clitomacho fuit; declarat multitudo librorum* etc. de Fin. I, 8. *Tu quidem, inquit, totum Epicurum paene.. sustulisti. Quid ei reliquisti, nisi* etc.? Att. IV. ep. 10. *Perge reliqua: gestio scire ista omnia.* vide Tusc. I. c. 38. et de N. Deor. I, 25. Min. Felix Oct. cap. 18. *Hic nec videri potest: visu clarior est* etc. Lactant. Epit. cap. 52. *scilicet quia ratione congredi non queunt, violentia premunt: incognita causa.. damnant* etc. [71]) Haec de innumerabilibus pauca eo adfero libentius, ut pro sequentium locorum sanitate etiam propugnem, quibus viri docti necquicquam medicinam facere videntur. Lactant. Epit. cap. 64. *supra leges enim dei lex est: ea quoque, quae pro licitis habentur, vetat.* cl. Davis. *eaque, quae pro* etc. Noster N. Deor. I, 18... *docet eam esse vim et naturam deorum, ut.. cernatur imaginibus, similitudine et transitione perceptis; cum infinita simillimarum rerum species ex innumerabilibus individuis existat,.. in eas imagines mentem* etc. Lambinus coniicit,.. *perceptis: deinde cum infinita* etc. Davis. *perceptis: cum enim infinita* etc. Et lib. II. c. 63. *quibus* (bubus) *vis unquam*

71) Critici igitur imitabantur librarios, qui, ubi orationis filum non poterant manu tenere, vinculis his additis adstringere solebant verba. De qua re vid. Drakenborch. ad Liv. 10, 39, 4. Saepe tamen vocabula *nam* et *enim* compendio scripta ab aliis omissa sunt, atque nunc caveamus necesse erit, ne ipsa oratio dissoluta fatiscat. In his quicumque scriptor suum sibi conformavit morem: tamen sunt etiam quaedam omnibus communia. Veluti verba, quae significationem aliquam demonstrativam in se habent, recipiunt simul coniunctionis vim. Sic in allato Cic. loco de Nat. d. 2, 63. *tanta putabatur* etc. Sed in altero, quem Wopkensius affert, loco 1, 18 critici non sine caussa aegre ferebant orationis defectum. Walkerus coniecit *quumque infinita:* fortasse recte.

*nulla offerebatur... Tanta putabatur utilitas percipi ex bubus, ut eorum viſceribus veſci ſcelus haberetur.* ampl. Boherius, *Tanta enim putabatur* etc. In Orat. c. 64. *ne ſpondeus quidem funditus eſt repudiandus: etſi.. hebetior videtur et tardior, habet tamen* etc. Lamb. *etſi enim...hebetior* etc. Tuſc. I, 10. *et duas partes ei parere voluit*, (ſic lego, ſi forte mutanda ſit iſta lectio, *et duas partes ſeparare voluit*), *iram et cupi-*
45 *ditatem, quas locis diſcluſit: iram in pectore, cupiditatem ſubter praecordia locavit.* cl. Bentleius.. *diſcluſas, iram* etc. Caeſar B. Gal. V, 34. *Erant et virtute et numero pares noſtri: tametſi a duce et a fortuna deſererentur, tamen omnem ſpem ſalutis in virtute ponebant.* cl. Daviſius, in curis ſecundis, *nam etſi a duce* etc. ſed ita *tametſi* et *tamen* concurrunt ibid I, 30. [72] Commodianus Inſtruct. 8.

*De ſole et luna, licet ſint praeſentanea nobis,*
*Erratis: quod ego prius, putatis oranda.*

h. e. putatis enim oranda, qui meus idem olim error fuit. Idem V. D. *Erratis, quod, ut ego prius, putatis oranda.* Plura non addam, niſi ut Poetam iſtum, vel quaſi Poetam dum memorem, mendum quoddam ex Inſtructione illius 73. tollam. Sic loquitur:

*Non pudet infraenem gentiliter plangere natos?*
*Os laceras, tundis pectus, veſtimenta diducis,*
*Nec metuis dominum, cuius optas regna videre.*
*Luge quod fas eſt: noli tamen errare pro illis.*

Lego: *noli TE MACERARE pro illis.* h. e. propter illos.

Cap. XLIV. *Illi umquam dicerent.. omnia, quae ubique eſſent, ſapientis eſſe? neminem conſulem* etc.

72) Vid. Cortius ad Salluſt. Iug. 13, 4 et Cat. 21, 1.

*niſi ſapientem .. poſtremo ſolum civem, ſolum liberum? Inſipientes omnes, peregrinos, exſules, ſervos, furioſos denique? ſcripta Lycurgi, Solonis, duodecim tabulas, non eſſe leges? ne urbes denique, aut civitates, niſi quae eſſent ſapientium?* P. Manucius tentabat, *ne* 46
*urbes quidem aut* etc. credo, quod modo praeceſſerat *denique;* ſed ſolent talia per incuriam repeti, ut diximus ſupra, et plura peti poſſunt ex Turſell. p. 744. An vero ſic emendabat V. D. propter antecedens illud *poſtremo*, cui minus recte ſubiungatur *denique?* [73]) At ſimile quid commiſſum eſt a Tullio de Deor. I, 37, *Quaero igitur, veſter deus primum ubi habitet: deinde quae cauſa eum loco moveat; ſi modo movetur aliquando: poſtremo .. deus quid appetat; ad quam denique rem motu mentis ac rationis utatur; poſtremo quomodo beatus ſit, quomodo aeternus.* ubi tamen cl. Daviſius legebat, *poſt vero .. deus quid appetat.* Sed loca haec ſe mutuo invicem robore defendere ac ſtabilire videntur. Adde quod eodem modo *poſtremo* ſequitur poſt *denique*, ibid. lib. III. c. 9. *Iſto modo diſertus, et quidem mathematicus, muſicus, omni denique doctrina eruditus, poſtremo philoſophus erit mundus.* itidem Catil. Or. II, 11 .. *Denique aequitas, temperantia* etc. *certant cum iniquitate* etc. *poſtremo copiae*

73) Aliam cauſſam Manutio, ut *quidem* emendaret, fuiſſe ſuſpicatur Goerenzius: eum enim offendiſſe in *ne* pro *ne quidem* poſito, quod etiam Bremius a Ciceronis uſu alienum cenſet. Ipſe Goerenzius, alibi de hac re accuratius dicturus, aequievit in iis, quae Ruhnkenius ad Rutil. Lup. 2. 17. p. 129 notaverat. Vid. nos in libro de Particulis. ſ. v. NE. Equidem vero Manutium deſideraviſſe putem aliquid in tota orationis adſcendentis forma. Certe ſcribendum eſt *nec urbes denique.* Atque *ne* et *nc* in codicibus ubique commutantur.

*cum egeſtate* etc. in Rull. II. c. 23. *Omnes urbes, agri, regna denique, poſtremo etiam vectigalia veſtra venierint.* Omne etiam punctum fert locus Flori lib, II. c. 18, 14, *NOVISSIME conſilium fugae ſedit: ſed hoc quoque , ruptis equorum cingulis, uxores ademere, ſummo ſcelere, per amorem. Itaque deplorato exitu, in u. r. ſ. c., POSTREMO mori hoc genere deſtinarunt. Duces ſuos, ſeque, patriamque, ferro et veneno, ſubiectoque undique igne, peremerunt. Macte fortiſſimam, et meo indicio beatiſſimam in ipſis malis civitatem! aſſeruit cum fide ſocios, populum orbis terrarum viribus fultum ſua manu, aetate tam longa ſuſtinuit. NOVISSIME maximo duce op-*
47 *preſſa civitas, nullum de ſe gaudium hoſti reliquit.* Pari modo lib. IV. c. 10, 9. voculam *mox* τῷ *noviſſime* ſubiungit: *Infeſta primum ſiti regio, tum quibuſdam ſalinacidis fluvius infeſtior. noviſſime.. noxia etiam dulces fuere. mox.. utriusque coeli ſubita mutatio pro peſtilentia fuit.*

Cap. XLV, 137. *Sed ille noſter eſt plane, ut ſupra dixi, Stoicus perpauca balbutiens.* Legit cl. Davis. *veſter*, qui Antiochus intelligitur, quem non is qui haec diſputat, ſed Lucullus ſequebatur. Pari coniectura loca quoque ſequentia aggreditur V. D. cap. ſeq. *Numquid horum probat noſter Antiochus?* ſupra c. 6. *Iam Clitomacho Philo noſter* (ſic MSS.) *operam multos annos dedit,* Divin. II, 17. *doleo tantam Stoicos noſtros Epicureis inridendi ſui facultatem dediſſe.* At nimium urſiſſe videtur vir. cl, vim vocis *noſter*, quum talem neceſſitudinem ea deſignari putat, quae in ſententiarum conformitate conſiſtat. Quamvis hi homines, de quibus ita veluti familiaribus ſuis loquitur Cicero, maxime ab eo diſſentirent; ſatis tamen magna ei neceſſitudo; cur

ſic de illis loqueretur, intercedebat; quatenus non tantum eorum dogmata familiariſſima ipſi diſputationum argumenta eſſent, ſed etiam cum talibus amicis ageret, qui horum decretis faverent, quibuſque proinde ſic ſe quodammodo, ut inter amicos ſolet fieri, adcommodare voluit. Sic Seneca Epiſt. 107. ipſe Stoicus de Epicuro: *habeant enim ſane nomen, quod illis Epicurus noſter impoſuit, et ita vocentur.* ad quem locum magnus Lipſius, ideo *noſter*, inquit, quia ad Lucilium ſcribit, quem ſupra etiam notabamus in ſecta illa fuiſſe. Sic ille V. D. cui tu vide an ſuffragandum ſit.

Cap. XLVII, 146. *Ita tu nunc, Catule, lucere neſcis: nec tu, Hortenſi, in tua villa nos eſſe.* Cave cum V. 48
Cl. emendes *et tu*, vel *atque tu*. Eſt hoc *σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον*, quo membrum poſterius priori membro ad ſententiam potius, quam ad verba congruit, ut ſi ſupra dictum eſſet *lucere non ſcis.* ſic plane Tuſc. V, 40. *Epicurei noſtri Graece ſere neſciunt, nec Graeci Latine.* ſupra lib. I. c. ult. *negabat eſſe quicquam, quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum, quod* etc. Fin. I, 9. *negat opus eſſe ratione, neque diſputatione.* de N. Deor. I, 25. *negat eſſe corpus deorum, ſed tanquam corpus; nec ſanguinem, ſed tanquam ſanguinem* [74]). Quid multa? idem hoc egregie iam nunc illuſtravit ipſe Daviſius ad Fin. II, 8. et IV, 9. ad Leg. II, 6. in Add. uti etiam ad Divin. II, 37. adi quoque praeſtantiſſimum Cortium ad Saluſt. Iug. cap. 14. 7. Similiter Graeci: ut Lucianus Contempl. pag. 343... *σὲ δὲ καὶ κωλύσει ἐνεργεῖν τὰ τοῦ Θανάτου ἔργα, καὶ τὴν Πλούτωνος ἀρχὴν ζημιοῦν.* ſubaudi *ἀναγκάσει* aut

74) De coniunctione *nec* poſt verba *neſcire, negare* vid. Goerenz. ad Acad. p. 259. ad libr. de Fin. p. 254 Bremi. ad Cic. de Fin. 2, 10. p. 150.

ſimile quid, quód τῷ κωλύσει ſit contrarium. cl. Jenſius particulam ὡς ſuſpicabatur excidiſſe ante iſta, καὶ τὴν etc. ſed locus ſimilis videtur iſti D. Pauli 1. ad Tim. IV. 3. κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἃ ὁ θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάληψιν etc. de quo loco vide quae Pricaeus, Glaſſius aliique. Conferantur etiam quae erud. Burmann. ad iſta Phaedri lib. IV. fab. 17, 31. *non veto dimitti, verum cruciari fame.*

---

49 CAPUT IX.

*Tranſitur ad Tuſc. Diſp. in quarum lib. I. vera lectio aliquoties adſtruitur.* Laus oratoria. *Ordo verborum confuſior. Salluſtius ex mſ. adiuvatur. Cicero emendatur.* Ne pro non. Decet *cum paſſivo. Duo Ciceronis loca cum uno Lactantii defenduntur. Ellipſis verbi. Cicero defenditur.* Primum, *non ſequente* deinde, *aut tali aliqua voce, Cicero rurſus vindicatur.* Properare, *deſiderare. Ellipſis pronominis. Tria Cic. loca vidicantur.* Id ipſum *quodammodo abundat. Sulp. Severus emendatur.* Μακρολογία *illuſtratur. Cicero et Lactantius defenduntur.*

Cicero Tuſc. I. cap. 3, 6. *Quare ſi aliquid oratoriae laudis noſtra attulimus induſtria.* Quae in hunc locum commentati ſint interpretes, tu, ſis, lector, videas. Sana quidem haec ſcriptura videtur, licet codices quidam aut editi referant *oratoriae laudi. Aliquid oratoriae laudis*, h. e. aliquam laudem oratoriam, aliquam laudem in dicendo, vel aliquem honorem eloquentiae; ut loquitur Tullius de Clar. Orat. cap. 10. *Jam temporibus Troicis tantum laudis in dicendo Ulyſſi non tribuiſſet Homerus et Neſtori, niſi iam tum eſſet honos eloquentiae* etc. Illud *aliquid laudis oratoriae* Cicero *attulerat*, h. e. ex Graecia ad Romanos tranſtulerat;

Graeciae eripuerat, in ſuamque pertulerat civitatem; ut infra loquitur lib. II. c. 2. *Quamobrem hortor omnes q. i. ſ. p. ut huius quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant, et perſerant in hanc civitatem; ſicut reliquas omnes, quae quidem erant expetendae, ſtudio atque induſtria ſua maiores noſtri tranſtulerunt.* [75]).

Cap. VI, 11. *Atqui pleni libri ſunt contra iſta ipſa* 50
*philoſophorum differentium.* Stet iſta lectio, quamvis vetus editio hunc verborum ordinem repraeſentet, *contra iſta ipſa differentium philoſophorum;* [76]) multus enim Cicero eſt in iſtiusmodi tranſpoſitionibus. infra V, 24. *praeſtans vir optimis artibus.* etc. 2. *O vitae philoſophia dux!* N. Deor. II, 17. *imperitos et ſimiles philoſophos imperitorum.* lib. III, 15. *et eius Polaemo-*

75) Non loquitur Cicero de arte aliunde translata, ſed de oratorio ſtudio ſua induſtria culto atque ad laudem communem elato. *Affertur* autem *aliquid laudis*, ubi nulla erat antea laus, ſed *affertur aliquid laudi*, quando ea unius alicuius opera augetur. *Laus* vero dicitur et de gloria et de re laudabili. Atqui Ciceronis ſententia eſt: ſi mea opera romana eloquentia aliquantum provecta et laude ornata eſt, multo ſtudioſius philoſophiam uſque ad hanc aetatem iacentem illuſtrabo. Attulit igitur aliquid i. e. aliquantum in oratoria arte *laudis*, quae parva aut nulla erat, non *laudi*, quae antea iam conſtaret. Hoc quamvis modeſtius dictum videatur, illud tamen Ciceroni magis convenit. Et verbi *afferre* abſolutus uſus erat, cur librarii *laudis* in *laudi* mutarent. Vid. p. Milon. 28, 77.

76) Quod nunc in recentiſſimis editionibus legitur, Wolſii beneficio deberi ait Goerenzius ad Acad. p. 205. Equidem non dixerim beneficium, ſed eruditionis iacturam. Nam nomen *philoſophorum* inter lineas adſcripſerant librarii, quorum alii poſt *ipſa*, alii poſt *differentium*, alii ante *contra* in textum id receperunt, ut philoſophos poetis opponerent.

*nem filium.* Neque ab ista ratione abhorrent Graeci. Herodianus lib.. I, 11, 3. *τὴν δὲ προσηγορίαν λαβεῖν τὸν τόπον ἐκ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος ἐξ οὐρανοῦ.* sic ille et alii passim. confer etiam quae dicemus ad Divin. I. c. 28. Talis quoque metathesis est in ista lectione Salust. Cat. 51, 23. quam ex codice aliquo depromebat cl. Cortius: *in tanti facinoris homines convictos:* atque ita omnino legere malim, quam illud *convictos*, cum viro laudato pro insititio habere [77].

Cap. VIII, 15. *Si mori etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus in vita. Nunc video calcem.* Locus aliqua ex parte minus sincerus est. Malum haud tollere videntur, qui illud *in vita* delent, aut sequentibus hoc modo adiungunt,.. *haberemus. In vita nunc video calcem* [78]. Nisi me animi sententia fallat, scripsit Cicero,.. *malum HORREREMUS in vita. Nunc video calcem.* Sequitur: *sed nisi quid necesse erit, malo ne roges.* vereor ne parum veraces sint codices, qui dant *malo non roges. Ne* pro *non* satis usitatum est. de Finibus lib. I, 7. *vellem equidem.. ne deterruisset.* ad Att. I. ep. 6. *Tu velim.. ne praetermittas.* de Leg. II, 26. *nam super*

77) Quod Wopkensio placuit, error est unius istius librarii, nullo pacto excusandus. Neque vero in exemplis antea allatis deest caussa, qua ordo verborum inverteretur. Nam vim dictionis si quis signis expimere velit, interponere ei licebit commata: *imperitos et similes, philosophos, imperitorum: et eius, Palaemonem, filium.*

78) Illi sunt Davisius et Schützius, hi vero Bentleius et Bouherius. Verba *in vita* ob vim oppositionis necessaria et verbo *haberemus* adiungenda videntur. E libris de Legibus Lactantius Instit. 3, 19, 2. affert: *gratulamurque nobis, quoniam mors aut meliorem quam qui est in vita, aut certe non deteriorem allatura est statum. Malum habere* dixit Cicero iterum ad Att. 7, 2. med.

*terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis ne altiorem* [79].

Cap. XIV, 32. *Quid? illud num dubitas, quin species naturae capi deceat ex optima quaque natura.* 51
Malunt docti, *capi debeat;* sed alteram lectionem non respuit Latinitas, ut putabat editor cl. sic enim de Leg. II, 3. *Optime vero, frater, et fieri sic decet.* et c. 7. *hunc hominem omnino numerari qui decet?* Virgil. Aen. XII. vs. 797.

*Mortalin' decuit violari vulnere divum,*
*Aut ensem (quid enim sine te Juturna valeret?)*
*Ereptum reddi Turno, et vim crescere victis?*

Terent. prol. Andriae: *atque in eo disputant, contaminari non decere fabulas.* Symmachus lib. III. ep. 67. *Firmum testimonio meo decuit adiuvari* [80]. Atque ita alibi saepius verbum *decet* cum passivo construitur [81].

79) Immo quaerendum erat, an recte dici potuerit *malo non roges.*

80) Eadem varietas deprehenditur in Cic. de Fin. 4, 11, 28. Tusc. 2, 3 8. Parad. 2, 19. de Senect. 23, 84. Goerenzius ubique patrocinium verbi *decere* suscepit, in loco Parad. vereor ut iustum: *quamobrem quidquid est laudabile, idem et beatum et florens et expetendum videri debet. Decere* non pro *debere* dicitur, sed de re congrua et apta, aut quae bonis moribus conveniat, et ipsa bona sit. Id autem non sufficit in tali conclusione. Aliter se res haberet, si auctor scripsisset *idem expeti decet.* Discrimen patet in Cic. de Leg. 1, 8, 24. ubi opponuntur, *qualem deum haberi deceat* et *deum haberi debeat*, quod inest in verbis *habendum sciat.* In loco Tusculan. Wopkensius male scripsit *quid? illud num d.* Tamen corrigere non ausus sum.

81) Goerenzius ad libr. de Leg. 1, 8, 24. adeo peculiarem morem Ciceronis cognovisse sibi visus est in passivo infinitivo cum verbis *licet, decet, oportet* coniungendo. At quae universa ratione nituntur, non mori debentur unius alicu-

Nihil proinde et in hisce locis movendum puto, de Fin. IV, 11. *quod cuiusque generis animantis statui deceat extremum.* Tusc. II, 3. *id commendari omnium lectioni decere.* utrobique eundem ad lapidem offendit cl. Davisius, uti et in his Lactantii, lib. III, 10, 7. *quae non, etiamsi ignoret qualem deum haberi deceat, tamen habendum sciat:* volebat *habere*, quod respexit Lactantius ad lib. I. Cic. de Leg. c. 8. ubi verbum activum, non passivum est. Sed passim ita a verbis, quae alicunde mutuatur, abludere solet Lactantius, ut omnes norunt.

Cap. XV, 34. *Sed quid poetas? opifices etiam post mortem nobilitari volunt.* Cave cum cl. Bentleio coniicias, *Sed quid putas?* nam cum in antecedentibus est de poetis iniecta mentio, tum quoque istiusmodi forma elliptica nihil est usitatius [82]). sic infra II, 16. *Pugiles caestibus contusi ne ingemiscunt quidem. Sed*
52 *quid hos?.. Gladiatores.. quas plagas perferunt?* locus hic nostro prorsus est similis. adde Divin. I, 26. *Sed quid ego Graecorum? nescio quomodo me magis nostra delectant.* Fam. IX. ep. 3, *Sed quid ego nunc haec ad te?* Tusc. III, 18. *Sed non necesse est nunc omnia.* de N. Deor. I, 25. *nihil horum, nisi calide*, sc. tra-

ius scriptoris. Nam infinitivus passivus in hac compositione verborum refertur ad rem omnibus communem, activus ad eum solum hominem, de quo sermo est. Ubi vero utramque rationem admittit sententia, concinnitas orationis magnum habet momentum: veluti in illo Ciceronis loco de Leg. 1, 8. *nulla gens est — tam fera, quae non, etiamsi ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat.*

82) De elliptica dictione nemo dubitabit. Neque illud *sed quid putas* accipi poterat pro *quid? quod.* Latini dixerunt *quid putes?* Sed hoc loco manifestus est librarii error. Ceterum conf. 2, 12, 28.

ctavit. Fin. I, 3. *quem quidem locum cum multa venustate et omni sale Lucilius.* ubi cum alii aliter tentent, ellipsis tamen haud durior videtur, quam ista Fam. XV. ep. 16. *haec tertia iam epistola ante te oppressit, quam tu scidulam aut literam*, sc. misisti. [83])

Cap. XXVI, 64. *Sin autem est quinta quaedam natura ab Aristotele inducta primum haec et deorum est et animorum* etc. Nescio sane, quomodo haec interpunctio placuerit viris doctis prae illa vulgata, quae vocem *primum* cum sequentibus hoc modo connectit, -- *inducta; primum haec* etc. Moleste tulisse videntur illi, quod *τὸ primum* sic absolute poneretur, non subsequente *porro*, *deinde*, aut tali aliqua voce [84]). Hac quidem de causa

83) A grammatica nil obstat. Sed si, ut videtur, genuina sunt verba, quae sequuntur, *apud quem praeclare Scaevola*, in antecedentibus utique desiderabimus verbum, neque ii, qui voc. *locum* delendum censebant, satis ad vim particulae *quidem* attenderunt. Est vero ea ita posita, ut in Epist. ad Fam. 5. 13, 2. *quam quidem laudem* etc. Respicit Cicero ad res bonas bene expressas latinis verbis. Nos dicimus *und diesen Gegenstand eben.* In corruptis vocabulis *idem Lucilius*, quorum alterum *idem* Wopkensius omisit, latet verbum, neque aptius inveniri poterat quam quod in Ursini codice exstat, *ridet*. A criticis interpolatum nomen *iocum* nunc probatum esse vehementer miror.

84) Necessario *primum* coniungimus cum superioribus ob ipsum sensum vocabuli. Etenim iam Manutius ad Cic. Ep. 7, 23. animadvertit, ubi desideretur post *primum* altera particula *deinde*, eam compensari aliis verbis. In loco Tusc. 1, 24, 37. disputationis decursu mutata est orationis series. Nam ad alteram animi vim demonstrandam Cicero pergit §. 61. *quid? illa vis, quae tandem est, quae investigat occulta?* In libr. de Leg. 3, 9, 19 post *primum* recte sequitur in enarrandis exemplis: *atque ut Flaminium et ea, quae iam prisca videntur, — relinquam.* De hoc anacolutho Donat. ad Terent. Andr. 3, 3, 38. Bremius

rursum turbas dabat Lambinus lib. V. c. 40. *qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem: sin forte* etc. ubi volebat ille, *dein sin forte* etc. At hunc usum voculae *primum* comprobavit iam Tursellinus de Part. cap. 137. et Cortius ad Salust. Iug. cap. 85. vide quoque supra c. 24. infra c. 47. N. Deor. II, 57. Lactant lib. I, 3. et alibi.

Cap. XXXI, 76. *Veniet enim tempus et quidem celeriter, et sive retardabis, sive properabis: volat enim aetas* etc. Alii ediderunt *retractabis*, pro *retardabis;* quomodo etiam edidit cl. Davisius, qui porro legebat *sive parebis*, pro *sive properabis.* Ego vero opposita ista *retardare* et *properare* sic intelligo, ut per illa temporis illius formido ac desiderium significetur [85]). Sic
53 sane *σπεύδειν τι* apud Graecos est aliquid magnopere desiderare, vel summo cum desiderio exspectare. 2 Petri III, 12, *Προσδοκῶντας καὶ σπεύδοντας τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ ϑεοῦ ἡμέρας.* ubi vide interpretes. Atque ita *festinatio* et *properatio* in eo dicitur, qui quid concupiscat aut desideret. Fam. lib. V. ep. 12. *Ardeo cupiditate incredibili,.. nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis.. Ignoscas velim huic festinationi meae-- ad properationem meam quiddam interest, non te exspectare dum* etc. et Minut. Felix. Octav. 34. *Ita corpus in seculo, ut arbores in hiberno occultant vi-*

ad Cic. de Fin. 1, 6. Matthiae in Miscell. phil. 1, 2. p. 98. et in Wolfii Analectis 3. p. 2. Goerenz. ad Cic. de Leg. 3, 9, 19. et ad Manutii doctrinam reversus, ad Cic. de Fin. 1, 6, 17.

85) Non male. Alter colloquentium enim dixerat, se nunc concupiscere mortem. Tum Cicero, veniet tempus, inquit, celeriter, sive retardabis cursum, sive properabis. Celerius enim volat ipsa aetas. Unde Wopkensius illud absonum *enim*, quod addidit, sumpserit, nescio.

*rorem ariditate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hieme reviviscat et redeat? exspectandum nobis etiam corporis ver est.*

Cap. XXXVI, 88. *Sed ne vivus quidem bono caret, si eo non indiget: sed in vivo intelligi tamen potest regno carere.* Facile subauditur pronomen *ipsum* vel *te*, quod excidisse putabat erud. Bentleius. [86]) sic Divin. I, 28. *Audivi quidem ex te,-- ad lucem denique arcte et graviter dormitare coepisse.* N. Deor. I, 3. *existimant quod ille inscitia plane loquendi fecerit; fecisse consulto.* c. 34. *docebit.. ut immortalitate vincamur ab ea natura, sic animi praestantia vinci.* vide quoque de Fin. III, 19. Min. Fel. cap. 17. et alibi. Hinc quoque nihil omnino in his sollicitandum puto, Fam. X. ep. 20. *De te fama constans, nec decipi posse nec vinci.* Tusc. V, 20. *summam fuisse eius in victu temperantiam, in rebusque gerendis virum acrem et industrium.* Acad. I, 11. *cumque perturbationem animi illi ex homine non tollerent, sed ea contraherent, naturaque et condolescere et extimescere dicerent.* ubi eidem scopulo necquidquam impingunt docti. confer quae ad N. D. II. 48.

Cap. XXXVII, 89. *Quoties-- universi exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt?* Coniiciebatur, *cucurrerunt;* quam quidem lectionem, ne codicibus quidem si suffulta esset, vulgatae praeferrem; intendit enim verbum *concurrendi* orationem, et significat saepe milites universos totius exercitus, iunctis animis viribusque, 54

86) Recentiores editores adiecerunt *te* praeter necessitatem. *Regno carere* pro substantivo ponitur, *illud regno carere*, τὸ *regno carere.* Alia est ratio reliquorum exemplorum. vid. p. 13.

cumque eadem conſtantia et alacritate praeſentiſſimum mortis periculum ſubiiſſe [87]).

Cap. XXXIX, 93. *Nondum guſtaverat, inquit, vitae ſuavitatem: hic autem iam ſperabat magna, quibus frui coeperat. At id quidem ipſum in ceteris rebus melius putatur, aliquam partem, quam nullam attingere.* Pronomen *ipſum* nullo iure hic damnari videtur; ſic enim ſupra c. 37. *nec enim poteſt miſer eſſe quiſquam, ſenſu peremto. At id ipſum odioſum eſt, ſine ſenſu eſſe.* ubi eodem modo dictio iſta *id ipſum* complectitur antecedens illud *ſenſu peremto*, quo tamen repetitur deinde in ſequentibus verbis *ſine ſenſu eſſe.* infra II, 11. -- *Quis igitur Epicurum ſequitur dolor? cum hoc ipſum dicit, ſummum malum eſſe dolorem.* de Div. I, 30. - - *nam et id ipſum vident, -- inſtare mortem.* cap. 46. - - *ſed ipſum eſt deos non putare, quae ab iis ſignificatur contemnere.* confer quae ad Divin. II, 41 [88]).

Cap. XLIV, 107. *Vides quanto haec in errore verſentur: portum eſſe corporis.. in ſepulcro putat.* Coniecturae qua legunt, *hic in errore verſetur*, haud ita favent ſequentia, ut illi ſubſcribere audeam. ſaepius ita

87) Orat. p. Quint. 16, 53. *non ſtatim ad C. Aquillium aut ad eorum aliquem, qui conſuluntur, concurriſſes.* Sed Rufinianus habet *cucurriſſes*, ut c. 25, 79. *ut ſtatim de iure aliquis cucurrerit.* Et recte quidem. Praepoſitio *con* quamquam in aliis verbis vehementiam indicat, in *concurrere* ambiguitatem haberet. Igitur quum *exercitus* dicuntur *ad non dubiam mortem concurriſſe*, intelligimus concurſum proelii in via ad non dubiam mortem.

88) Et iure defendit *ipſum* Goerenz. ad Acad. 2, 14. p. 84. Quod nuper aliis placuit, *hic autem iam ſpirabat magna, quibus frui coeperat*, primum a Colero erat propoſitum: ſed nimium videtur eſſe. Neque enim id, quo frui coeperat puer, ſpem excludit magnarum rerum.

a rebus ad personas, et vice versa, deflectit elegantissimorum hominum oratio. sic N. Deor. III, 10. *is igitur, si aliquid est, inquit* etc. *Haec omnia in eodem, quo illa Zenonis, errore versantur ... Idemque si dei non sint, negat esse* etc. vide quoque lib. I. c. 12. et 14. Quod autem in his cap. XLVI, 110. *secundis vero rebus suis volet etiam uti:* cl. Bentl. reponit -- *volet iam uti;* obiter dicam, videri mihi simili plane mendo S. Severum liberandum, lib. I. H. S. c. 7. *Per idem tempus fere*, inquit, *cum Abraam esset etiam centum annorum, Isaac filius natus est.* lego, *cum Abraam esset iam centum annorum.* et. c. 40, 5. *cum .. ex alienigenis coniugia sumsisset, etiam* 700 *uxores haberet.* fac *et iam* etc. Inferius autem in his Tullii: *ne et nosmet ipsos amare videamur:* legam potius, *ne ita nosmet* etc. quam, iuxta codd. nonnullos, vocem secundam expungam[89].

Cap. XLVIII, 116. *qui se in medios immisit hostes, veste famulari, ne posset agnosci, si esset ornatu regio.* Qui cuncta ferme ad vivum resecant, hi mirum est quod siluerint ad ista *si esset ornatu regio*, quae sane splendidissimam referunt glossematis faciem, quum ab oratione abesse facile et maiore quidem cum elegantia possint.[90] Nos, ut criticorum παραδιορθώσεις anteverta-

89) Wopkensius quos codices intellexerit, nescio. Certiore indicio, in uno codice paris. *et* omitti, nunc notat Orellius. Tamen mira est reliquorum librorum consensio. Et amplius dubitari decet de genere huius interpolationis.

90) Quo igitur nomine talia excusabis, quae si omittuntur, maiorem efficiunt elegantiam? Vellem potius critici rationem exposuissent construendi verborum, in quibus nisi haec, *si esset ornatu regio*, necessaria adhaererent, dici debebat *ne agnosceretur:* sed dixit Cicero *ne posset agnosci* propterea, quod haec etiam ad sequentia spectant, quibus omissis illud *posset* male se haberet.

mus, aliquot hujus formae exempla similia apponemus. De leg. I, 16. *Quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum, iura constituerentur: ius esset latrocinari, ius adulterare: ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur.* an non, salva omnino atque incolumi sententia, omissa fuissent illa, *si haec* etc. Rursum de Fin. III, 11. *Quid autem dici poterit, turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuemus, quominus homines tenebras et solitudinem nacti, nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreat?* quorsum vero ista, *nisi eos* etc. quum praecesserint iam talia, *sic turpitudinem -- statuemus?* quae tamen glossematis suspecta habuerunt cl. Walkerus ac Davisius, quamvis immerito, ut ego quidem puto. Lactant. lib. I. c. 21, 18. *neque intra parietes aut aediculas luto factos, sed intra pectus collocandae sunt, et interius comprehendendae, ne sint falsae, si extra hominem fuerint collocatae.* quis requireret postrema ista, si non apposita fuissent? libro II. c. 2, 4. *Deos igitur in quorum numero reponemus? si in mortuorum, quis tam stultus ut colat? si in absentium, ergo colendi non sunt, si nec videant quae facimus,*
56 *nec audiant quae precamur.* lib. IV. c. 23, 2. *et ipsi eodem modo vivendum est, quo docet esse vivendum, ne si aliter vixerit, ipse praeceptis suis detrahat, si re ipsa solvat quod verbis nitatur adstringere.* Non opus est ut ostendam, quae sint in his plane otiosa. Unde etiam falli constat cl. Davisium, qui coni. *ut* post *nisi* iniiceret, in his Lactant. Epit. cap. 49. *Si ergo Iudaei a Deo reiecti sunt, sicut* etc. *nulla igitur alia spes homini proposita est, nisi veram religionem -- fuerit secutus.* legebat ille *nisi ut veram* etc. ego ista omnia delessem

potius, quam lectionem adeo duram ſubſtituiſſem; ſed nil mutandum, tum ea quae iam protulimus declarant, tum quoque iſtà quae ſunt huic loco gemina ac germana: lib. IV. c. 18, 23. *unde appatet Iudaeos nullam aliam ſpem habere, niſi ſe abluerint a ſanguine, ac ſperaverint* etc. etc. cap. 19, 11. *Nulla igitur ſpes alia -- datur, niſi crediderit in eum.* vide quoque l. II. c. 9, 3. l. IV. c. 24, 3. Senec. de Ira I, 7. initio. D. Matth. 26, 42 [91]).

---

## CAPUT X.

*In lib. II. Cic. Tuſc. edita lectio octies vel novies vindicatur.* Ἀνακόλουθον. **Iacens et adflictus.** *Lactantius Placidus defenditur.* Ἀνακόλουθον. *Cicero defenditur. Enallage activi et paſſivi. Cicero bis defenditur. Lactantius emendatur.*

Pergimus ad librum II. Tuſc. ibi autem cap. primo iſta habentur: *magna habere poſſit auxilia reliquorum philoſophorum diſciplinis.* Ablativus *diſciplinis* crucem figit viris doctis, qui tentant *a reliquorum philoſophorum diſciplinis*, vel *reliquorum philoſophorum diſciplinas.* Sed ablativus ille in Gramaticorum adnotatis eſt celeberrimus. Hinc quoque merito vapulabat Lambinus, cum Fin. II, 28. *negat enim tenuiſſimo victu -- voluptatem percipi*: praepoſitionem *e* ingereret: ſurdo- 57

91) Sic in Terent. Heaut. 4, 1. 44. CH. *quid nunc ſuſpicare aut invenis de illa?* SO. *neſcio: niſi ut ex ipſa quaeras, unde hunc habuerit.* Faernus in codice bembino invenit, *niſi ex ipſa quaeras*, et in textum recepit. Male tamen *niſi* explicat per *ſed.*

que canebat, cum supra lib. I, 18. *terreno principiorum genere confecta:* vellet *ex terreno p. g. c.* [92])

Sequitur capite tertio:-- *nemo mediocriter quidem doctus ignorat.* Frustra est Lambinus, qui reponit *nemo ne mediocriter q. d. i.* cur enim impunitum dimisit locum de Fin. III, 1. huic plane conformem? *quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur* [93]). Resolvit per pronomen relativum Lactanius lib. I. c. 3. initio: *nemo qui quidem sapiat -- non unum esse intelligat.*

Capite V, 14. *Quid enim minus est dignum, quam tibi quicquam peius videri dedecore?* Vir idem doctissimus pronomen *te*, ante vocem *dignum*, inculcat; absque causa quidem iusta, ut ego arbitor, quum sic absolute aliquando veniat nomen *dignum.* ut e. g. Seneca de Ira I. c. 12. *Illud pulcrum dignumque, parentibus prodire -- defensorem.* sic lib. II, 13. et alibi. Plaut. Mil. III, 1, 128. *Huic homini dignum est divitias esse, et diu vitam dari.* ubi *dignum est* iure merito exposuit Pareus *fas est.* vide quoque in Merc, I, 2, 22. [94])

Cap. VI, 16. *Ergo id quod natura -- respuit, -- in eo magistra vitae philosophia tot saecula permanet?* Si cum viro cl. facias, -- *in magistra vitae ph, t. s. p.?* tolletur quidem nescioquid illud soloecismi; sed cum sic

92) Non omnia, quae grammatica ratione possunt stabiliri, in usum veniunt. Nemo dixit *auxilium habere aliqua re*, sed *ab aliqua re*, quod est a parte. Vide nos in libro de Particulis p. 16.

93) Haec non omnia aequalia sunt, nec parum refert, cui vocabulo adiungas *quidem.* In altero loco *nemo mediocriter quidem doctus* dicitur pro *nemo ne mediocriter quidem doctus:* in altero *quidem* cum *quod* cohaeret.

94) De usu absoluto verbi *dignus* vid. Bentlei. ad Horat. Serm. 2, 1, 85. Gierig. ad Ovid. Fast. 1, 401.

duriuſcule dicetur, id quod a natura et virtute reſpuatur, *permanere in magiſtra vitae philoſophia;* tum illud etiam haudquaquam inuſitatum, ut ſuſpendatur orationis conſtructio, exitumque analogiae congruum non reperiat. vide cl. Perizon. ad Sanct. Min. IV, 11. 5. et Daviſ. ad Tuſc, I, 24. [95]) adde, ſi lubet, Lactant. Inſt. I, 11, 64... *refert,.. Jovem cum e. i. N. a. T. proficiſceretur,.. aquilam ei in auſpicium advolaſſe.* Quod ad phraſin *permanere in aliqua re* attinet, eam ſimilibus exemplis componerem, niſi in re tam vulgari, ſtylo 58
eſſet temperandum.

Cap. VII, 17. *hic* (Epicurus) *qui ſolum hoc malum dicit* (dolorem) *et malorum omnium extremum, ſapientem cenſet id ſuave dicturum.* Abſonum quidpiam in his vidꝫre viſus eſt cl. Bentl. Si prius *ſolum,* inquit, quomodo dein *extremum?* Et me quidem ſollicitum iſta ratio haberet, ſi legeremus, *qui non modo ſolum hoc malum dicit, ſed etiam malorum omnium extremum:* quem enim non offenderet tam inepta orationis degradatio? Iam vero ſic modo interpretare, ut Epicurus dolorem aliquando malum unicum, aliquando extremum dixerit.

95) Matthiae docte diſputat in Wolfii Analect. 3. p. 16. de eo anacoluthiae genere, quo, quae iam antea dicta erat res, iterum nominatur. In primis autem notandus erat peculiaris uſus pronominis demonſtrativi, quod non ſolum, interiecta alia ſententiae parte, iterum ponitur eadem, qua antea, forma, — vide exempla a Matthiae collata — ſed etiam mutata oratione. Sed locus, de quo Wopkenſius agit, aliam habet conditionem. *Id quod* enim in praemiſſa enuntiatione relativa pro ſimplici *quod* ponitur, ut aliis viſum eſt, pleonaſmi, ut Ruddimannus Tom. 2. p. 23. putat, ellipſeos ratione. Hoc recte quidem, ſed non eo, quem Ruddimannus explicat, modo. Neque hic uſus ita reſtringitur, ut ſemper ad totam aliquam enuntiationem referatur: quod plurimi grammatici praeceperunt. vid. Zumpt. Gramm. 371. Ramshorn. p. 678.

Haecce orationis degradatio facillime concoqui posse videtur, cum saepius ita deficiant auctores, ubi rerum describendarum magnitudine sufflaminantur, ut verbis utar cl. Cortii ad Saluft. Cat. c. 5, 5 [96]). Qua observatione defendi etiam possunt ista infra IV, 23. *satis instructa, armata, parata per sese:* ubi transponebat V. D. *Sat. inst. parata, armata per sese.* Non igitur est, cur legendum arbitraremur, *hic qui non solum malum hoc dicit, sed malorum omnium extremum;* cum praesertim, amisso adiectivo *solum*, sermonis efficacia, quae quidem in hoc loco maxima requiritur, nimium enervabitur, quandoquidem dolorem non tantum malorum extremum, sed etiam malum unicum loquebatur Epicurus. lib. V. c. 10. *qui vel summum, vel solum malum dolorem esse dicat.* vide c. 9. et 26. Plura non adferam, cur locum omnino sincerum esse putem.

Cap. XIII, 30. *tantum tamen excellit illud.. quod.. virtutis nomine amplectimur, ut omnia praeterea.. minuta videantur, nec malum quidem ullum, nec si in*
59 *unum locum collata omnia sint, cum turpitudinis malo comparanda. Nec malum quidem ullum:* subaudi ἀπὸ κοινοῦ, *cum turpitudinis malo videatur comparandum.* quae quidem ellipsis non ita dura est, ut orationis cursum bene fluere negaremus, cum viris illis, quorum alter coniicit, *ne malum quidem ullum ... comparandum;* alter, *nec m. q. u., nec vel in unum locum conlata omnia, sint c. t. m. comparanda* [97]).

96) Etiam Orellius interpretatur: qui modo solum, modo extremum hoc malorum dicit. Sed vellem docuisset id exprimi posse per simplicem copulam *et*, quae tantum diversas sententias coniungit. Atque hoc sufficit.

97) Wopkensius negligenter, ut videtur, scripsit *excellit* pro *excellet*, quamquam illud etiam in nonnullis codi-

Ibidem, 32: *Adflictusne et iacens, et lamentabili voce deplorans, audieris O virum fortem!* Haud facile ex profligata codicis lectione rescripserim *adflictusne iacens:* saepius enim participium *iacens*, τῷ *adflictus* tantumnon ἰσοδύναμον, adiectivi vicem praestat. de Amic. 16. *ut amici iacentem animum excitet.* de Har. Resp. 24. *Videtis igitur hominem per se ipsum iam pridem adflictum ac iacentem.* post Red. ad sen. 9. *qui mihi primus adflicto et iacenti consularem fidem dextramque porrexit.* Lactant. Inst. l. V. 2., §. 2. *duo exstiterunt, qui iacenti atque abiectae veritati insultarent.* Claudianus de Raptu Proserp. lib. I, 96.

*An forte iacentes*
*Ignavosque putas?*

Quemadmodum igitur in loco proposito, sic quoque nihil arbitror mutandum, in illo infra IV. 16. *Quid autem est deformius, quam aegritudine quis adflictus, debilitatus, iacens* [98]*?*

Cap. XIV, 34. *Spartae vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis exeat; nonnunquam etiam, ut cum ubi essem, audiebam, ad necem.* Cur pro *audiebam* scriberemus *videbam*, ratio quam adfert, vir insignis, parum valida videtur, quod eo verbo utatur Cicero infra V. c. 27.

cibus legitur. Tum Lambinus non sine librorum auctoritate scripsit *ne malum quidem.* Illud *nec* ipsum reprehendi non poterit, si totius sententiae partes oppositas censebimus pari ratione. Vid. Gernhard. ad Cic. Cat. 9, 27.

98) Tusc. 2, 25, 54 *abiiciunt se atque ita afflicti et exanimati iacent.* Conf. Burmann. ad Propert. 1, 6, 25.

*Pueri Spartiatae*, inquit, *non ingemiſcunt verberum* 60 *dolore laniati. Adoleſcentium greges Lacedaemone vidimus ipſi incredibili contentione certantes pugnis.* Cum pugnantes adoleſcentes viderit Tullius, inde vidiſſe etiam cum caederentur ad aram, non ſic colligitur, ut quidpiam in lectione edita novandum credam. Obiter quoque vindicem, quae his illuſtrandis appoſite contulit cl. Daviſius, ex Lactantio Placido, ad Statii Theb. lib. I, 118. *quibus* (Lacedaemoniis) *virtuti eſt, in ſacris caedi verberibus, ſine corporis motu.* ubi vir laudatus legebat, *quibus in uſu eſt* etc. ſed *alicui virtuti eſſe* recte dicitur, quod dixit Tacitus *pro virtute eſſe.* ſic Plautus Trucul. I. ſc. II, 14. *Eſt iis pugnae et virtuti, de praedonibus praedam agere.* et alibi.

Cap. XVI, 37. *Militiam vero* (*noſtram dicam, non* etc.) *noſtri exercitus primum unde nomen habeant vides.* Sermonem ſic inſtituebat Tullius, ut ſi dicturus fuiſſet, *Militiam, unde nomen habeat, vides,* i. e. unde militia nomen habeat: qua de forma multa coacervantem vide Daviſium ad N. Deor. I. c. 26. ſed facta quadam orationis digreſſione, ab incepto ſuo tranſverſus velut abripitur, idque ut reſumat non eandem *Militiae* vocem repetit, ſed ſynonymam *exercituum* [99]); quod *ἀνακόλουθον*, poſt multos alios, optime illuſtravit editor cl. ad huius libri c. 1. et lib. III. c. 8. Haec igitur MSS. lectio omnino mihi pla-

99) Minime: quamquam Orellius quoque anacoluthon nuper commendavit. Verba enim ita conſtruuntur *vides unde noſtri exercitus nomen habeant militiam.* Hanc appoſitionis vim in Graecis iamdudum cognitam habent critici. Plato Charmid 50. p. 175. b. *νῦν δὲ; — οὐδαμῇ δυνάμεθα εὑρεῖν, ἐφ' ὅτῳ ποτὲ τῶν ὄντων ὁ ὀνοματοθέτης τοῦτο τοὔνομα ἔθετο τὴν σωφροσύνην.* Vid. Matthiae Gram. p. 794.

cet, quamvis contra illam insurrexerint literatores eruditissimi. Similis est locus de N. Deor. I. cap. 24. -- *quam vestra. Ista enim flagitia Democriti, -- esse corpuscula quaedam alia aspera, rotunda alia, partim autem angulata, curvata quaedam, et quasi adunca: ex his effectum esse coelum atque terram -- concursu quodam fortuito: hanc tu opinionem* (i. e. haec, inquam, flagitia Democriti), *C. Vellei, usque ad hanc aetatem perduxisti* etc. Non coniecissent homines do- 61
ctissimi, *quam vestra ista, flagitia Democriti*, vel *quam vestra: ista inquam flagitia Democriti;* si locum, qui vulgo pessime distinguitur, quoad interpunctionem tantummodo, quemadmodum nos hic fecimus, adiuvassent [100]).

Paucis interiectis: *arma enim membra militis esse ducunt; quae quidem ita geruntur apte, ut si usus foret, abiectis oneribus, expeditis armis ut membris, pugnare possint.* Enallage, quam vides, activi et passivi improbata fuit cl. Bentleio, qui pro *geruntur* malebat *gerunt* [101]). quemadmodum etiam infra lib. III,

100) Ad eamdem regulam hunc locum exegit, et interpunctionem egregie constituit Matthiae in Miscell. philol. 2. p. 142.

101) *Ducunt* pro *dicunt* scriptum est errore Wopkensii. Quod autem ille *geruntur* defendit, bene actum videtur: nam praeterquam quod hoc *geruntur* interpolationi librariorum deberi vix credibile est, adhaeret etiam aliqua ineptae dictionis species his verbis: arma ita apte gerunt, ut expeditis armis ut membris pugnare possint. Hoc non idem fit, si legimus *geruntur.* Sic alibi activum cum passivo componitur. Liv. 22, 2, 18. *donum Iunoni Reginae in Aventinum ferrent, lectisterniumque fieret.* Contrariam sententiam nescio quo argumento defendat cum Wolfio Orellius. *Ut si usus ferat* egregia est Lambini emendatio.

29. - - *repulerunt.* -- *Contra dicuntur haec, quis tam demens, ut ſua voluntate moereat? natura adfert dolorem; cui quidem Crantor, inquiunt, veſter cedendum putat:* legebat *Contra dicunt. Ecquis* etc. et lib. IV, 9. *Voluptatem autem partes hoc modo deſcribunt* etc. *Quae autem libidini ſubiecta ſunt, ea ſic definiuntur* etc. emendabat *definiunt.* et lib. II. de Fin. c. 15. *ſi enim ad honeſtatem omnia referantur, neque in ea voluptatem dicant ineſſe, ait eos* etc. doct. Th. Bentleius ac Daviſius, *referant* reponunt. At multa reclamant eiuſdem plane generis loca, quorum omnem catalogum non contexemus: pauca ſuffecerint, quae iam mihi in mundo ſunt. de Nat. Deor, III, 10 *ſi aliquid eſt, inquit, quod* etc. *quid inter naturam et rationem interſit, non diſtinguitur. Idemque, ſi Dei non ſint, negat eſſe* etc. Florus lib. III, 21, 28. *ut obſides - - duci iubentur, ſic damnatam civitatem iuſſit Sylla deleri.* Lactant. lib. V. cap. 12, 2. *adeone apud vos perit innocentia, ut ne morte quidem ſimplici dignam indicetis, ſed ſupra omnia facinora habeatur, nullum facinus admittere?* et cap. 19, 11. *proferant* etc. *verbis potius, quam verberibus res agenda eſt, ut ſit voluntas* (legendum iudico, *ut ſic volentes*, i. e. qui voluerint [102])), *diſtringant aciem ingeniorum ſuorum; ſi ratio eorum vera eſt, adferatur. parati ſumus audire, ſi doceant.* Salluſt. Catil. cap. 48, 4. *quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperentur.* et Iu-
62 gurth. cap. 7. extr. *paucis diebus quo ire contende-*

102) *Eſſe* pro *valere*, *locum habere* bene dicitur. Ita defendas codicum omnium ſcripturam. Solemnis formula eſt *quod ſi eſt.* Cic. de Leg. 1, 16, 45 et al.

*rant*, *perventum eſt*. Loca haecce duo debemus cl. Cortio, qui iſta pluraque talia congeſſit ad Catil. cap. 51, 40.

## CAPUT XI.

*Quatuordecim Tullii loca ſtabiliuntur; unus corrigitur. Nemeſius emendatur. Lactantius et Arnobius defenduntur.* Sapiens et fortis. Vigor *ſatis bene* molliri *dicitur.* Enim *loco* τοῦ autem. *Min. Felix tentatur. Quinctilianus adſeritur. Abſtracto tribuitur, quod concreto eſt magis proprium.*

Cicero lib. II. Tuſc. cap. 21. *Zeno proponatur Eleates* etc. Locum Nemeſii de Nat. Hom. cap. 30. p. 233. adpoſite quidem, uti ſolet, allegat, meritoque ἀναχρονισμοῦ arguit cl. Daviſius; ſed quam in illum emendationem inſtituit, huic ego vix poſſum facere ut acquieſcam. Ζήνων, inquit Nemeſius, ὁ ἀποφαγὼν ἑαυτοῦ τὴν γλῶτταν, καὶ ἀποπτύσας Διονυσίῳ τῷ τυράννῳ, ὑπὲρ τοῦ μηδενὶ αὐτοῦ ἐξειπεῖν τὰ ἀπόῤῥητα. legebat vir doctus, ὑπὲρ τοῦ μὴ αὐτῷ ἐξειπεῖν τ. α. at religioſus videtur characteribus eſſe adhaerendum, reſcribendo ὑπὲρ τοῦ μηδενὶ ΑΥΤΟΝ ἐξειπεῖν τ. α. *ut nulli homini ſilenda pateſaceret.* Locus hic totus abeſt ab editione Antverpienſi, ſed illum in verſione ſua expreſſit interpres, quod ſalcem immitti vetat.

Cap. XXIII, 56. *Nec vero unquam ne ingemiſcet quidem vir fortis ac ſapiens, niſi forte ut ſe intendat ad firmitatem.* Non ſatis video, cur mallemus *fortis*

*ac patiens:* uti etiam in his Lactantii Epit. cap. 35. *Virtus -- mala omnia ſapientiſſime perfert;* nihil eſſe reor, cur reſcribendum putaverit V. D. *patientiſſime*
63 *perfert.* Cum enim patientiam contineat ſapientia, ut bene docetur l. III. cap. 7. adque patientiam veram omnino neceſſaria ſit ſapientia; ſapienter perferri poteſt dici, quod perferatur patienter, ſapiensque appellari, qui ſit patiens. Hinc paſſim ſapientia nominatur, ubi de fortitudine animi, perferendisque rebus adverſis ſermo ſit, ut Fam. lib. V. epiſt. 16. *Non eſt iam gravitatis ac ſapientiae tuae --* (dicere potuit, *patientiae tuae*) *ferre immoderatius caſum incommodorum tuorum.* et epiſt. 17. *ſi et illud adiungas, homines ſapientes turpitudine, non caſu commoveri.* lib. IX. epiſt. 12. *Tu velim animo ſapienti fortique ſis, ut tua moderatio et gravitas aliorum infamet iniuriam.* Seneca de Ira III. cap. 38. *Tulit hoc ille leniter ac ſapienter.* Arnobius lib. III. pag. 116. *ſapientes ac fortes viri ſolvunt decreta conſtantiae, virilitatis vigore mollito.* ubi, ut hoc obiter moneam, minus neceſſaria videtur emendatio viri quamvis elegantiſſimi et eruditiſſimi Arn. Drakenborchii, ad Sil. Ital. p. 307. pro *vigore* facientis *rigore.* obſtant enim atque reclamant, quae doct. Salmaſius ad iſta Tertulliani de Pallio, cap. 4. *niſi diu mollitas et evigoratas.* „Tertullianus, inquit ille, aliique eorum temporum ſcriptores *vigorem* paſſim pro *rigore*, et quicquid molli contrarium eſt, uſurpant.“ vide reliqua. addamus illud Cypriani, lib. II. ep. 2. *omnis honor et vigor ſexus enervati corporis dedecore mollitur: plusque illis placet, quisquis virum in feminam magis fregerit.* Et ſi ad ἀκυρολογίαν ſpectes, ſane tam bene poteſt Latine dici *vigor molliri*, quam *ardor laxari* dicitur Quinctil. Declam.

IV, 5. *ne hunc ardorem ſugientis animae dilatione laxetis* [103]).

Cap. XXIV, 58. *Sumus enim natura, ut antea dixi, (dicendum eſt enim ſaepius) ſtudioſiſſimi honeſtatis.* Diſplicebat editori cl. poſterius *enim*, cui ſubſtituebat 64 *autem.* Sed *enim* paſſim adhibetur, ubi quamvis obſcurius aliqua tamen antecedentium ratio redditur. Ita hic cauſa refertur, cur haec iterum repetantur; quod eſſent dicenda ſaepius. Supra c. 11. *ad ineptias redis: illud enim quod me augebat, non eximis.* malles forte, *illud etiam quod* etc. Divin. II, 26. *Hoc igitur* etc. *An illae aves, niſi quum vicerint, canere non ſolent? At tum canebant, nec vicerant: id enim eſt, inquies, oſtentum.* de N. D. III, 4. *Sed quia* etc. *propterea multis argumentis deos eſſe docere voluiſti. Mihi enim unum ſat erat.* vide quoque de Fin. I, 2. et cl. Cortium ad Fam. IX. ep. 21. Ad haec et innumera talia loca, in quibus *nam* et *enim* relationem ad ſuperiora incommodiorem habeant, conticuit vir cl., qui tamen ut in locum propoſitum, ſic in haec ſequentia etiam litem movit ſupra I, 40. *Quis hanc maximi animi aequitatem in ipſa morte lauda-*

103) Apulei. Florid. p. 847, 25. Elm. *quis enim a te non amet diſcere, quanam moderatione obtineri queat tua iſta gravitas iucunda, mitis auſteritas, placida conſtantia, blandusque vigor animi.* ubi Douſa coniecit *blandusque rigor.*

104) Quam ſaepe particula *enim* in eiusmodi locis fraudem fecerit criticis, ut de correctione cogitarent, omnibus notum eſt. Idem factum eſt in graeco γάρ: de quo egregie praecepit Hermannus ad Viger. n. 343. p. 846. Tamen in utroque vocabulo facilis erat librariorum error. Nam compendia verborum *autem* et *enim*, δὲ et γὰρ magnam habent ſimilitudinem. De illis nuper dixit Wunderus in Var. Lect. cod. Erfurt. p. 38. Praefat.

*ret, ſi mortem malum iudicaret? Vadit enim in eundem carcerem . . Socrates* etc. ubi *enim* a codd. ſubminiſtratum commutat in *autem.* uti et N. Deor. III, 15. *Nec vero volgi atque imperitorum inſcitiam deſpicere poſſum, cum ea conſidero quae dicuntur a Stoicis. Sunt enim illa imperitorum: Piſcem Syri venerantur* etc. et cap. 37... *Ita ſit, inquit: illi enim nuſquam picti ſunt* etc. cap. 38. *Utrum* etc. *non facile dixerim: portenta enim ab utrisque et flagitia dicuntur.* In his locis idem commiſit vir ille doctus, ſed qui tamen eos introſpicere non gravatur, is facile videbit antecedentia verba per ſubſequentem coniunctionem aliquomodo aut explicari aut adſeri. Quod porro ad repetitionem coniunctionis *enim* attinet, ſimilis exſtat Acad. II, 18. N. Deor. III, 38. et 39. et Tuſc. IV, 17. *Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui* etc.? *Nam*
65 *quid aut in ſtudiis* etc.? ubi non cerno cur legeremus potius *Num quid aut* etc. Innumera talia proferri licet, ſed heu quantas in minutias deſcendimus! vide ſupra ad Acad. II. 27.

Ibidem: *Non ſentiunt v. ſ. i. a. vulnera; vel ſentiunt. ſed emori malunt quam* etc. Tentabatur *vel ſentiant:* ſed bene adhibetur indicativus, dummodo ſubaudias *quidem:* de qua forma, adeatur cl. Cortius ad Saluſt. Cat. c. 52, 28 [105]). Huc quoque referebam aliquando illud Min. Felicis Oct. cap. 34. *Corpus omne, ſive areſcit* etc. *ſubducitur nobis; ſed Deo el. cuſt. reſervatur.* Sed ibi legendum videri poſſet, *Corpus*

105) Nemo aſſentiet. Meliora offerunt correctae nunc editiones. Etiam in loco Minutii bene ſe habent verba *corpus omne.* Cic. de Leg. 1, 8, 24 *nam quum de natura omni quaeritur etc.*

*OMNINO*, *ſive* etc. ſic enim *omnino* ſaepius adhibetur in conceſſione, quemadmodum *quidem*, uti in Formulis Tullianis recte obſervavit vir optime de me ſtudiisque meis meritus Iſ. Valkenaar.

Cap. XXVI, 62. *Videmuſne, apud quos eorum ludorum, qui gymnici nominantur, magnus honos ſit: nullum ab his, qui in id certamen deſcendant, devitari dolorem? apud quos autem venandi et equitandi laus viget, qui hanc peteſſunt, nullum fugiunt dolorem.* Qui legunt *nullum fugere laborem*, hi mirum eſt quomodo non viderint ulterius eſſe procedendum, et porro legendum, *apud q. a. v. e. e. l. vigeat, qui hanc peteſſant* etc. [106]). Ita ſane ſupra ex *aſpernatur* et *adſciſcit* facit vir cl. *aſpernetur* et *adſciſcat*. ut nulla videatur eſſe ratio, cur cl. Daviſ. ad Tuſc. V, 16. ſollicitaret ſubiunctivum in his Quinctil. I. Q. XI, 1, 30. *Graeci prodiderunt, ut vivat quemque etiam dicere.* ubi ille, *vivit.* Quod autem oratio ex obliqua fit directa, id nihil in Tullio novi. ſic infra IV, 10. *Intelligatur igitur perturbationem .. in motu eſſe ſemper: cum autem hic fervor .. inveteravit, .. tum exiſtit et morbus* etc. de N. Deor. II, 52. *Teſtudines autem et* 66
*crocodilos dicunt - - obruere ova, deinde diſcedere: ita et naſcuntur et educantur ipſa per ſeſe.* lib. I. c. 27. *Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa; corpus illud non eſt, ſed ſimile corporis, - - ſic in Epicureo deo non res, ſed ſimilitudines rerum eſſe.* Fin. III, 13. *An vero certius quicquam poteſt eſſe, quam illorum ratione., non poſſe ſapientem beatum eſſe, cum eculeo torqueatur? eorum autem, q. d. i. m. n. h., ratio*

106) Hoc non neceſſarium eſſe, recentior doctrina demonſtrat, Lambino non incognita.

*certe cogit; uti in omnibus tormentis conſervetur beata vita ſapienti.* ubi Lambinus rurſus eſt ad analogiam grammaticam nimis attentus. confer quae ad N. Deor. III, 22.

Ibidem, 64. *Hoc igitur tibi propone, amplitudinem et quaſi quandam exaggerationem quam altiſſimam animi, quae maxime eminet contemnendis et deſpiciendis doloribus* etc. Et hoc rurſus male habuit criticum celeberrimum, quod hic *amplitudo animi*, et non ipſe potius animus, contemnendis et deſpiciendis doloribus dicitur *maxime eminere*: qui proinde legebat, *qui maxime eminet.* Similiter lib. IV. c. 26. *Libidinoſum igitur e. i. e. a. e. t. eſſe cenſemus ſapientem? de cuius excellentia multa quidem dici quamvis fuſe lateque poſſint, ſed breviter hoc modo; ſapientiam eſſe rerum* etc. *Ex quo efficitur, ut divina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat. In hanc tu igitur.. perturbationem cadere tibi dixiſti videri?* Ne ſapientiae tribuatur, quod proprie in ſapiente dicitur, reponebat idem V. D. *In hunc tu igitur* etc. Item ibid. c. 37. *Et ſi fidentia - - ſcientia quaedam eſt et opinio gravis, non temere adſentiens;* ille rurſum, *non temere adſentientis.* ſupra lib. I, 25. *Quid? illa vis quae tandem eſt, quae inveſtigat occulta, quae inventio atque excogitatio dicitur? Ex hacne tibi terrena mortalique natura et caduca concreta ea videtur? Aut qui primus .. omnibus rebus impoſuit no-*
67 *mina? aut qui* etc.? coniicit ille, *concretus eſſe videtur aut qui primus* etc.? Ibidem: *Quae porro tam immenſa magnitudo* (de memoriae capacitate ſermo eſt), *quae illa tam multa poſſit effingere.* i. e. quae illa tantae res magnitudinis, quae ea quae effiugat complecti tam multa queat? cl. Daviſius hariolatur: *quae illa*

*tam multa possit excipere?* vel, *in qua i. t. m. possint effingi?* Sed auctoritati summorum virorum obviam ibimus, locorum similium auctoritate muniti, quos tamen illi eiusmodi censura non attigerunt [107]). De innumerabilibus autem ecce pauca. lib. III. c. 8. *Nam est innocentia adfectio tatis animi, quae noceat nemini.* lib. IV. c. 15. *impotentiam quandam animi, a temperantia et moderatione plurimum diffidentem; quae si quando adepta sit id quod ei fuerit concupitum, tum effertur alacritate, ut nihil ei constet quod agat.* cap. 24. *adfectio animi legi summae i. p. r. obtemperans.* et mox: *Quid ista bellatrix iracundia cum domum rediit, qualis est cum uxore? cum liberis? cum familia?* lib. V. cap. 14. *Quae est enim alia fortitudo, nisi animi adfectio, cum in adeundo periculo,.. patiens, tum procul ab omni metu.* et cap. 18. *Etenim ut stultitia etsi adepta est quod concupivit, numquam se tamen satis consecutam putat: sic sapientia semper eo contenta est quod adest, neque eam unquam se sui poenitet.* de Fin. IV, 13. *est quaedam ap-*

107) In eiusmodi correctionibus quamvis Davisius saepe ingenio indulserit, tamen ea, quae Wopkensius comparat, ab istis plurimis, quae a Davisio temere emendata esse censet, differunt. In Tusc. 2, 26, 64. non male se habet aliorum codicum scriptura *exaggerationem quam altissimam animi, qui maxime eminet contemnendis — doloribus.* quod est, *in eo animo, qui maxime eminet:* sed recte etiam dicitur de ipsa animi amplitudine, *quae maxime eminet.* In 4, 26, 37 ambigua est librorum auctoritas, sed praestare mihi videtur alterum *in hunc:* nam ipse est sapiens, qui imitetur divina, et in quem, tamquam in mare ventis subiectum, cadat perturbatio. In 4, 37, 80 altera lectio *non temere assentientis* omnino praeferenda est: nam gravitas opinionis in eo apparet, quod qui eam tenet, non temere assentiri solet.

*petitio naturalis*, *ea quae ſecundum naturam ſunt appetens*. Lamb. volebat *appetentis*, ſed redarguit ipſum cl. Daviſius, quem vide. adde, ſis, Lactant. lib. II, 5, 16. *niſi ſenſus illis ineſſet officii ſui ſciens*. Et quemadmodum in eorum poſtremo locorum, quibus patrocinati ſumus, *immenſa magnitudo* dicitur res *effingere:* ſic quoque *vaſtitati* tribuit Seneca quod *nutriat*. Suaſor I. *magna etiam Oceano portenta: quae profunda iſta vaſtitas nutrit* i. e. res iſta vaſtae magnitudinis.

Cap. XXVII, 67. *Ut enim ſi cui naviganti, prae-*
*dones inſequantur, deus qui dixerit Eiice te navi;*
*praeſto eſt qui excipiat vel Delphinus, ut Arionem*
*Methymneum; vel equi Pelopis illi Neptunii, qui per*
*undas currus ſuſpenſos rapuiſſe dicuntur, excipient te,*
68 *et quo velis perferent; omnem omittat timorem: ſic*
*urgentibus aſperis et odioſis doloribus, ſi tanti non*
*ſint, ut ferendi ſint, quo ſit confugiendum vides*. Lo-
cum totum propoſui, quo facilius conſtaret lacuna
quaedam ac depravatio, quae conſtructionem lutulen-
tam reddit. Viri docti ſic malum erui putabant, ſi
legeremus addito pronomine, *quem praedones inſe-*
*quantur*. At hoc modo idem ulcus remanere, mihi
quidem videtur. Quid multa? lego: *Ut enim, ſi cui*
*naviganti, praedones SI inſequantur, Deus QUE*
*dixerit Eiice te navi, praeſto eſt qui* etc.; *omnem*
*omittat timorem: ſic* etc. Illudque *Deusque* tres codi-
ces diſerte praeſtant, ſi verax eſt cl. Daviſius. Erat au-
tem quidam ex amicis meis vir doctiſſimus, qui quod
minus ipſi placeret duplex illud *ſi*, malebat *praedones*
*CUM inſequantur* etc. at praeterquam quod mea mu-
tatio ſit longe facilior, ſimili modo geminatur coniun-
ctio *ſi*, Acad. I, 2. *exiſtimavi ſiqui de noſtris eius ſtu-*

*dio tenerentur, si essent Graecis doctrinis eruditi, Graeca potius quam nostra lecturos* [108]).

---

## CAPUT XII.

*Cicero emendatur. Ablativi usus notabilis illustratur. Tullius in transitu defenditur. Eius sententia de naturae integritate ac depravatione adseritur atque illuminatur. Obiter quoque locus de Leg. tentatur. Complura Theognidis menda tolluntur.*

Venio ad lib. III. Tusc. cuius principio sic legimus: *Quidnam esse, Brute, causae putem, cur cum constemus ex animo et corpore, corporis curandi tuendique causa quaesita sit ars eius, atque utilitas deorum immortalium inventioni consecrata; animi autem* 69
*medicina nec tam desiderata sit* etc. Locum, haud dubie male sanum, alius aliae medela aggressus est, quemadmodum videre licet in nota cl. Davisii, qui ipse amputatis quibusdam verbis, legebat, *corporis curandi tuendique quaesita sit ars Deorum immortalium inven-*

108) Wopkensii sententiam aut non intelligo, aut improbato vocabulo *que* ipsa laborat falsa subtilitate. Verborum nexum enarrare vir doctus neglexit. *Quem* qui addiderunt, fulcire voluerunt labantem orationem: at non bene convenit, ut acute sensit Ernestius, qui coniecit *quum.* Neque intelligitur, quomodo *quem* excidere potuerit. Sed fortasse recte correxit Wopkensius *praedones si insequantur.* Sic Acad. 1, 2, 4 *existimavi si qui de nostris eius studio tenerentur, si essent Graecis doctrinis eruditi, graeca potius quam nostra lecturos.* ad Fam. 1, 9, 30 *si accusandi sunt, si qui pertimuerunt, magis etiam reprehendendi sunt, si qui se timere simularunt.*

*tioni consecrata.* Sed haud scio, an praestaret locum pro deposito ac desperato relinquere, quam sic in illo restaurando παρρησιάζεσθαι. In addendis tamen, minore facta mutatione reponit, *quaesita sit ars eius ex utilitate Deorum immortalium inventione consecrata.* Tu vide, ne correctione multo leviore manum Tullianam hoc modo adsequi liceat, si reposuerimus, -- *tuendique causa quaesita sit ars, EIUSQUE UTILITATE deorum imm. inv. consecrata.* Primo *eius* pro *sua* non plane inauditum esse in veterum monumentis, constat inter omnes; quod tamen si displiceat, legere possis *suoque utilitate* etc. vel *et sua quoque* etc. [109]). Deinde *utilitate*, h. e. propter utilitatem. ut de Fin. I, 13. *et gubernatoris ars -- utilitate non arte laudatur.* et lib. II. c. 28. *At vero si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus* etc. de Divin. lib. I. c. 7. *utilitate et ars est et inventor laudatus.* de N. Deor. II, 33. *Utilitatum igitur magnitudine constituti sunt ei di, qui utilitates quasque gignebant.* et lib. III, c. 24. *quarum rerum utilitate video consecrata simulacra.* ubi non est, cur iuxta codd. quosdam refingas, *quarum rerum utilitatem video etiam consecrata simulacra.* De hoc ablativi usu vide cl. Schulting. ad Quinct. Decl. I. c. 2. et Cortium ad Salust. Cat. cap. 31, 3.

Eodem cap. *Quod si tales* etc. Egregia sunt, quae hic de naturae praestantia ac depravatione disserit philosophus. Pariter de Leg. I, 12. *Sequitur igitur ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnes eius, nos natura esse factos: atque hoc omni*

109) Neutrum potest probari. Egregie Lambinus correxit *eiusque utilitas.*

*hac diſputatione ſic intelligi volo, quod dicam naturam eſſe: tantam autem eſſe corruptelam malae conſuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi exſtinguantur a* 70
*natura dati, exorianturque et confirmentur vitia contraria* etc. Priusquam ad alia loca pergam, hunc obiter a conatibus virorum inſignium, lectionem quod attinet, vindicabo. Scilicet Manutius iſta *quod dicam naturam eſſe* pro gloſſemate habebat: Lambinus legebat, — *volo, ius id, quod dico, naturam eſſe:* Daviſius, — *volo, optumam ducem naturam eſſe.* Quid? ſi lectionem vulgatam retineamus, nonne ſenſum inde ſatis commodum atque planum fabricari licet, ſive voculam *hoc* ad ſuperius illud *natura*, ſive ad omnia iſta *nos natura eſſe factos* referas? Quae tamen ratio ſi minus arrideat, leviſſima emendatione ſic poſſit reſcribi, *quod dicam IN NATURA eſſe;* vel, *quod dicam NATURA eſſe*, ſcil. iſtam iuris communicationem. ſic ibid. c. 16. *Ea autem in opinione exiſtumare, non in natura poſita dementis eſt. Nam nec arboris, nec equi virtus quae dicitur.. in opinione ſita eſt, ſed in natura.-- Eſt enim virtus perfecta ratio: quod certe in natura eſt.* et c. 13. *niſi ſeparatim hoc ipſum, natura eſſe ius, diſputarint.* et c. 15. *Ita ſit, ut nulla ſit omnino iuſtitia; ſi neque natura eſt, et ea quae* etc. Poſſet etiam legi, *quod dicam NATURAE eſſe.* ut de N. Deor. III. c. 11. *Naturae iſta ſunt, Balbe, naturae non artificioſe ambulantis*[110]). Sed ad rem. Quod Tullius de naturae ſinceritate ac pollutione, idem quoque ſenſit Seneca; qui epiſt. 94. *Erras*, ait, *ſi exiſtimas nobiſcum vitia naſci; ſupervenerunt, in-*

110) Editoribus ante omnia placuit Pearcii emendatio: *ius quod dicam naturam eſſe.* Wopkenſium non commemorant. Tamen neſcio an approbari debeat eius conie-

*geſta ſunt.* et epiſt. 22. *Nemo, inquit, aliter quam quomodo natus eſt, exit e vita. Falſum eſt; peiores morimur, quam naſcimur. noſtrum iſtud, non naturae vitium eſt. Illa de nobis conqueri debet, et dicere quid hoc eſt? ſine cupiditatibus vos genui, ſine timoribus, ſine ſuperſtitione, ſine perfidia, ceteriſque peſtibus quales intraſtis, exite.* Sint haec *Theologice*, hoc eſt, iuxta quorumdam Theologorum decreta, falſa; ſunt
71 tamen *Philoſophice*, hoc eſt, iuxta lumen divinum rationis, in quod numquam nuſquam incurrit ſancta revelatio, veriſſima, duntaxat abſque cavillatione explicentur. Adpoſite quoque Theognis in ſententiis, v. 305 ſeqq. quem locum eo adfero libentius, quod tantumnon in omnibus editionibus corrupte ſic exhibeatur:

> Οἱ κακοὶ οὐ πάντως κακοὶ ἐκ γαστρὸς γεγόνασιν,
> Ἀλλ' ἄνδρεσσι κακοῖς συνθέμενοι φιλίην.
> Ἔργα τε δεῖλ' ἔμαθον, καὶ ἔπη δύσφημα καὶ ὕβριν,
> Ἐλπόμενος κείνους πάντα λέγειν ἔτυμα.

Sic cum vulgo legimus, interpretes verbum ἔμαθον in prima perſona ſingularis numeri acceperunt, dum vertunt: *Mali non prorſus mali ex utero nati ſunt; ſed cum viris malis iungentes amicitiam. Factaque improba didici, et verba maledica, et contumeliam, ſperans illos omnia dicere vera.* At multo lenior erit oratio, ſi primo poſt vocem φιλίην comma tantummodo conſtituas; deinde pro ἐλπόμενος reſcribas ἐλπόμενοι, atque ita illud ἔμαθον in terſia pluralis in-

ctura *quod dicam natura eſſe* hoc quidem ſenſu: atque hoc, quod dicam, natura eſſe, ita intelligi volo in omni hac diſputatione, rem communem pertinere ad omnes homines.

telligas. Ita haec Poetae mens erit: *Mali non prorſus mali ex utero naſcuntur; ſed cum viris malis iungentes amicitiam, et facta improba diſcunt, et verba maledica, et contumeliam, credentes illos omnia vera dicere.* γεγόνασιν et ἔμαθον ſic interpretor ut praeterita illa, de quibus ad Divin. I, 8. Haec dudum in ſcedis mihi iacuerat coniectura, cum viri eruditiſſimi, praeceptorisque noſtri fideliſſimi Adriani a Cattenburg ſingularis humanitas copiam mihi faceret editionis H. Stephani in folio, ubi hanc lectionem et interpunctionem diſerte repraeſentari videbam [111]). Hunc autem Poetam dum profero, menda quaedam alia, quae eius ſententias ſubierunt, eruere conabor. tu autem vide an 72
ſcopum coniiciendo attingam. Verſu 217. *Polypi mentem, inquit, obtine verſipellis, qui ad petram, cui adhaeſerit, talis viſu apparet.*

*Νῦν μὲν τῇδ' ἐφέπου, πότε δ' ἀλλοῖος χρόα γίγνου.*
*Κραιπνόν τοι σοφίη γίγνεται εὐτροπίης.*

Int. *Nunc quidem hac ſequere, aliquando alius colore fias.*
*Celeris mutatio quidem ſapientia eſt morum.*

Sed quo iure *κραιπνὸν* vertatur *celeris mutatio*, et *εὐτροπίης morum*, ego vix intelligo. *κραιπνὸν* enim eſt *velox* vel *velocitas*, *εὐτροπίη* ſunt *mores probi et honeſti*. Scripſit, ut mihi quidem videtur, Theognis, aut melius ſaltem et concinnius ſcripſiſſet, --

*ΚΡΕΙΣΣΟΝ τοι σοφίη γίγνεται εὐτροπίης.*

h. e. *Melior quippe aſtutia eſt decoris moribus* [112]).

111) Etiam Hoeſchelius in codicibus invenit ἐλπόμενοι: nec quiſquam dubitabit amplius de hac emendatione.

112) Eamdem fecit coniecturam Brunckius ab omnibus re-

atque hoc modo idem Poeta in fimili praecepto, v. 1072. - -

*Νῦν μὲν τῷδ' ἐφέπου, πότε δ' ἀλλοῖος πέλευ ὀργήν.*
*Κρεῖσσον τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς.*
*Nunc quidem hunc fequere, alias vero alius fis ingenio.*
*Melior eft fane fapientia vel magna virtute.*

quale etiam illud ioculare plane ac ridiculum eft paradoxum vs. 313.

*Ἐν μὲν μαινομένοις μαλα μαίνομαι - -*
*Inter defipientes maxime defipio.*

73 Rurfum male fe habet vs. 359. *Forti fis animo, Cyrne, in malis, poftquam et in bonis gaudebas, quando et haec fatum iubebat habere. Sicut autem ex bonis accepifti malum, fic vero rurfus emergere tenta, deos precans.*

*Μηδὲ λίην ἐπίφαινε, κακὸν δέ τι, Κύρν', ἐπιφαίνειν.*
*Παύρους κηδεμόνας σῆς κακότητος ἔχεις.*

Int. *Neque nimis ofteṅta: malum vero eft, Cyrne, oftentare.*
*Paucos follicitos tui mali habes.*

Tu fic lege, ac diftingue, ut emolliatur aliquomodo orationis curfus.

*Μηδὲ λίην ἐπίφαινε· κακὸν δέ τι, Κύρν', ΕΠΙΦΑΙΝΩΝ*
*Παύρους κηδέμονας σῆς κακότητος ἔχεις.*

ceptam: ille tamen probavit *ἀτροπίης*, quod vereor, ne ab iis profectum fit, qui in prudentia bonis moribus meliore offenderent.

*Neque nimis ostenta; nam si malum, Cyrne, ostentes,*
*Paucos sollicitos tuae miseriae habes.*

*Δὲ* pro *γὰρ* usitatissimum non poetis tantum, sed etiam prosae scriptoribus [113]). Versu 381.

*Οὐδέ τι κεκριμένον πρὸς Δαίμονός ἐστι βροτοῖσιν,*
*Οὐδ' ὁδὸς, ἥν τιν' ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι.*

Int. *Nec quidquam decretum ex numine est mortalibus,*
*Neque via, quam ingressus* quis *immortalibus placeat.*

Legendum, ut tollatur non tantum numeri permutatio, sed invenusta quoque ambiguitas.

*Οὐδ' ὁδὸς, ἭΝ ΤΙΣ ἰὼν ἀθανάτοισιν ἅδοι.*

*Neque via, quam quis ingressus immortalibus placeat* [114]).

Versu 459. *Nequaquam utilis est mulier iuvenis viro seni: non enim gubernaculo paret, quemadmodum acatium,*

*Οὐδ' ἄγκυραν ἔχουσιν· ἀποῤῥήξασα δὲ δεσμὰ,* 74
*Πολλάκις ἐκ νυκτῶν ἄλλον ἔχει λιμένα.*

*Neque ancoram habent: abrumpens vero vincula*
*Saepe de noctu alium habet portum.*

Lego, *Οὐδ' ἌΓΚΥΡΑΙ ἔχουσιν--*

*Neque ancorae tenent* sc. illam.

113) Brunckius eumdem in modum scripsit. Atque vulgaris scriptura etiamsi defendi potest, habet tamen illa coniectura acuminis commendationem.

114) Eodem modo Brunckius. Codices quidam adstipulantur.

ſic ἔχειν pro κατέχειν vs. 506.

. — ἀλλά γ' ἀναστάς,
*Πειρήσω μήπως καὶ πόδας οἶνος ΕΧΗι:*
— *ſed ego ſurgens,*
*Tentabo num forte pedes* meos *vinum habeat.*

vide quoque Heſiod. ἔργ. 515. et paſſim quoque alibi. [115]) Verſu 601.

*Ἔρρε, θεοῖσιν τ' ἐχθρὲ, καὶ ἀνθρώποισιν ἄπιστε,*
*Ψυχρὸν δς ἐν κόλπῳ ποικίλον εἶχες ὄφιν.*
*Peri, diiſque inimice, et hominibus infidelis,*
*Frigidum qui in ſinu varium habebas anguem.*

Reſcribo, *ΨΥΧΡΩι δς ἐν κόλπῳ ποικίλον εἶχες ὄφιν* [116]).

*Frigido qui in ſinu* etc.

Scilicet in locis frigidis pellem mutant angues, quo reſpicit etiam Virgilius lib. II. Aeneidos [471.]:

*Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus,*
*FRIGIDA SUB TERRA tumidum quem bruma tegebat,*
*Nunc poſitis novus exuviis* etc.

75 Plura etiam illius vatis loca perperam hactenus verſa eſſe docerem, niſi digreſſio haec mea iam ſatis magna eſſet. Redeamus ergo ad Tullium noſtrum.

115) Ita Brunckius quoque cum codicum conſenſu.

116) Hoc recepit in textum Beckerus. Welckero praeſtare videtur vulgaris ſcriptura: quo nomine aut qua virtute, non edocemur ab eo. Ut ſolemne epitheton ψυχρὸν ὄφιν ſervaret, egregie correxit Brunckius ἐν κόλπῳ ποικίλῳ. Ποικίλος ὄφις enim in hac ſententia otioſum eſt.

## CAPUT XIII.

*In lib. III. Tusc. quatuor loca adferuntur. Copula que iungit contraria. Lactantius vindicatur. Permutatio subiecti et adiuncti. Cicero obiter vindicatur. Repetitio eiusdem nominis. Pleonasmus pronominis demonstrativi. Cicero bis terve defenditur. Enallage numeri illustratur.*

Cic. III. Tusc. cap. 3, 6. *Est profecto animi medicina philosophia: cuius auxilium non ut in corporis morbis, petendum est foris; omnibusque opibus atque viribus, ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est.* Satis evidens et significans est oppositio, etiam si non légas *propriisque opibus*, uti coniiciebat insignis Bentleius. Quod autem doct. Iac. Gronovius horridum quidpiam in his verbis videre sibi visus est, nisi exterminetur encliticum *que* post *omnibus;* in eo quidem fallere ipsum ratio videtur, quandoquidem particulae copulativae saepissime disiunctivarum munere funguntur [117]). Quod etiam non reputavit cl. Davisius, cum in his Lactantii Epit. cap. 12. *Vides ergo non omnia poetas confinxisse, et quaedam praefigurasse; ut cum* etc. volebat, *sed quaedam* etc. qui tamen hac in parte satisfacere sibi fassus est lectionem istam, de N. Deor. III, 35. *Hunc igitur nec Olympius*

117) Vid. Goerenz. ad Acad. 2, 9, 27. p. 56. et 2, 18, 56. p. 106. At non ipsa disiungendi vis inest in vocabulo *que*, neque id usquam ponitur pro *sed*. Continuat enim aequatam orationem, ut sit fere id, quod *et ideo, und sonach:* nam quod praecedente negatione removetur, alteri, quod adiicitur, locum dat.

76 *Iuppiter fulmine percuſſit, nec Aeſculapius* etc. *atque in ſuo lectulo mortuus eſt.* ubi alii volebant, *namque*, vel *atqui*. ſupra lib. II. cap. 17. *Ego illud quicquid ſit, tantum eſſe, quantum videatur, non puto; falſaque - - ſpecie moveri homines.* dici etiam potuit, *ſed falſa ſpecie m. h.* de Nat. Deor. lib. II, 21. *Nulla igitur in coelo varietas ineſt, contraque omnis ordo.* Divin. lib. II, 28. *Numquam illa dicet facta fortuito, naturalemque rationem omnium reddet.* Nepos in Epam. cap. 7. *Hanc legem - - ad perniciem civitatis conferre noluit, et quatuor menſibus - - diutius geſſit imperium.* Ageſ. cap. 3. *nunquam in campo ſui fecit poteſtatem, et in his locis manum conſeruit, quibus* etc. Eum. cap. 4. *in fide non manſit, et ſe ſimul ac potuit, ad Antipatrum recepit.* vide quoque doct. Munkerum ad Hygini Fab. 9.

Cap. IV, 9. *His rebus mentem vacuam appellabant inſaniam.* Mutatione levi quidem illa, ſed parum forte neceſſaria, coniiciunt docti legendum *inſanam*. Lambinus illud *inſanam* tuetur, ſed argumentis plane elumbibus. Illud autem pro lectione vulgata adferri poteſt, quod *ὑπέρβατον* tale, quo ſubiectum *mens* cum adiuncto *inſania* quodammodo commiſceatur, non plane ſit inauditum [118]). Sic de Leg. lib. I. c. 16. *Eſt enim virtus perfecta ratio, h. e.* perfectio rationis. Seneca de Tranq. cap. 15. extr. *non poteſt grande aliquid e. ſ. c. loqui, niſi mota mens,*

118) Fallitur Wopkenſius: nullum enim eſt hyperbaton, neque in Ciceronis, neque in reliquis locis. In Nepotis Dione intelligimus *miſerandam vitam* e o r u m, *qui ſe metui — malunt*. Vid. Ruddimann. tom. 2. p. 19. n. 49 Et in loco Ciceronis recte intelligi poteſt illud *ſapientem, beatum, aeternum eſſe*, idque nihilominus comparari cum rebus ſapientia et beatitate carentibus.

i. e. homo motae mentis. Nepos in Dione cap. 9. *quam invisa ſit ſingularis potentia, et miſeranda vita, qui ſe metui, quam amari malunt, cuivis facile intellectu fuit*, i. e, in quam miſeranda vita ſint, qui ſe etc. Atque eodem modo accipio etiam iſta Cic. de Nat. Deor. lib. II. cap. 8. *Similiter effici poteſt ſapientem eſſe mundum, ſimiliter beatum, ſimiliter aeternum: om-* 77
*nia enim haec meliora ſunt, quam quae ſunt his carentia.* Per *omnia haec* intelligebat auctor non ipſum *ſapientem, beatum et aeternum eſſe*, ſed res illas, quibus facultates et ornamenta iſta inſunt, vel quae ſapientiam, beatitatem et aeternitatem habent. Hanc ſubiecti et adiuncti permutationem non concoquebat cl. Walkerus, qui legebat *quae ſunt his contraria:* quae tamen emendatio non minus audax videtur, quam dura locutio iſta, quam corrigit.

Cap. V, 11. *Graeci autem μανίαν unde appellant, non facile dixerim; eam tamen ipſam diſtinguimus nos melius quam illi. hanc enim inſaniam, quae iuncta ſtultitiae patet latius, a furore disiungimus. Graeci volunt illi quidem, ſed parum valent verbo.* Poſterius illud *Graeci* haud facile equidem pro ſcioli cuiusdam emblemate habuerim, cum quod ſaepius ita vox eadem recurrit, tum quod Pleonaſmus pronominis *illi* noſtro fuit familiariſſimus. Saepius, inquam, iſto modo recurrit vox eadem. Fin. I, 13. *Sapientia eſt adhibenda, quae ſe nobis ducem praebeat ad voluptatem; ſapientia enim eſt una* etc. de N. Deor. III, 34. *qui cum ... in fanum veniſſet Iovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iovem ornarat.. Gelo.* lib. I. c. 18. *quoniamque Deos beatiſſimos eſſe conſtat, .. hominis eſſe ſpecie Deos confitendum.* cap. 43. *qua cum Deum carere voltis, neminem*

*Deo nec Deum nec hominem carum.. voltis.* lib. II. c. 30. *Ut et ignorantia rerum aliena naturae Deorum, et ſ. m. p. i. difficultas minime cadit in maieſtatem Deorum.* Lactant. de Ira Dei cap. IV, 3. *Deus igitur non eſt, ſi nec movetur, quod eſt proprium viventis, nec facit aliquid impoſſibile homini, quod eſt proprium Dei; ſi--nullam habeat adminiſtrationem,*
78 *quae Deo digna ſit.* i. e. quae ipſo digna ſit. Hinc quoque ſincerum eſſe locum diſcimus de N. Deor. I, 9. *Quid autem erat, quod concupiſceret Deus mundum ſignis.. ornare? Si, ut Deus ipſe melius habitaret* etc. ubi illud poſterius *Deus* pro inſititio rurſus habebat cl. Daviſius. Plura autem dabimus ad Divin. I, 50. Quod vero Pleonaſmum attinet, quem hic vides, pronominis *illi*, iſto quidem nihil Ciceroni eſt tritius, nihil vulgarius. Infra IV, 8. *Aemulatio dupliciter illa quidem dicitur* etc. et cap. 28. *ſed omnis eiuſmodi perturbatio a. p. abluatur illa quidem* etc. vide quoque lib. V. c. 16. de Fato c. 19. *ſic viſum obiectum imprimet illud quidem.. ſpeciem.* Fin. V, 24. *Illa enim, quae ſunt a. n. b. c. numerata, complent ea quidem beatiſſimam vitam* etc. Hinc memoria quoque labi virum doctiſſimum liquet de Leg. I, 21. *Vir iſte fuit ille quidem prudens--; cui tamen* etc. legebat ille, *Vir, Tite, fuit ille prudens.* et Fin. IV, 16. *hi autem ponunt illi quidem prima naturae.* coniicit ille, *hi ponunt illa q. p. n.* Confer quae nos ad Acad. II, 5. [119])

119) Vid. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 15, 47. p. 89. Etiam alii dixerunt de abundantia in pronominibus demonſtrativis. Sed et accuratius diſtinguenda erant exemplorum genera, et locus definiendus, quem pronomen *ille* in ordine verborum obtinere debuerit. Quo ſenſus etiam conſtituitur. In omnibus, quos Wopkenſius affert, locis legi-

Cap. X, 23. *Aegris enim corporibus ſimillima animi eſt aegritudo.* Analogia grammatica requirit, adſentior, *Aegro enim corpori*, vel *Aegri enim corporis*, ut numeri congruant; ſed quantumcunque ſit illud facinus, noſter haud ita fuit elegans, quin ſic analogiae regulas ſaepenumero conculcaverit. ſupra II, 22. *Ut onera contentis corporibus facilius ferantur.. ſimillime animus i. ſ. depellit* etc. infra IV, 10. *dum morbis corporum comparatur morborum animi ſimilitudo.* lib. V, 38. *Iam vero motus.. animi.. leniuntur, traductis animis ad voluptatem.* Seneca de Ira II, 16. *Errat, qui ea* (animalia) *in exemplum hominis adducit.* Haec et innumera talia ſicco pede non ſunt 79
praetereunda, ſi quid in loco, quem prae manibus habemus, novandum putes. Adde etiam quae ad Acad. I, 11. [120])

tur *quidem*, quod tantum abeſt ut inſerviat pronomini, ut in hoc ipſo habeat ſubſtructionem, ne cum alieno vocabulo concurrat.

120) Haec compoſitio nominum abſtractorum, quae vocant, cum rebus plurali numero expreſſis frequens eſt etiam in graeca lingua. Et ſunt quaedam nomina huic uſui accommodatiſſima, veluti illa a Wopkenſio commemorata, *corpus*, σῶμα; de quo Elmslei ad Euripid. Med. 1077. *animus*, ψυχή, *homo*.

## CAPUT XIV.

*In III. Tusc. edita lectio saepius adseritur.* Enim *cum subiunctivo. Permutatio modorum. Cicero quinquies defenditur; defenduntur etiam Min. Felix et Paterculus.* Frui officio. Culpa, *malum morale.* Σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον. Ut *omittitur in concessione. Prosopopoeia illustratur.*

Eodem lib. III. Tusc. cap. 11, 25. *Sed cetera alias, nunc aegritudinem, si possumus, depellamus: id enim sit propositum, quandoquidem* etc. Quare tandem legeremus potius, *id enim fuit propositum?* credo, quod *enim* cum subiunctivo istiusmodi duriuscule construatur. At ea sane ratio videtur nulla. sic enim N. Deor. II, 12. *audiamus enim Platonem* etc. Divin. II, 36. *Sed de hoc loco plura in aliis: nunc hactenus: externa enim videamus* etc. vide, ne in re tam parva sim nimius, infra IV, 17. et V, 24. et Fin. V, 19 [121]).

Cap. XVI, 34. „ *primum quod posse accidere diu cogitaverit*, .. *deinde quod humana humane ferenda intelligit; postremo quod videt* etc. Toleranda videtur modorum permutatio, cum praesertim indicativi a subiunctivo tam longe remoti sint, vt nil mirum sit,

121) Ipsi particulae nulla ratio cum coniunctivo modo. Ea in quacumque evocatione et exhortatione ponitur, qua remotis alienis rebus ad id, quod considerandum sit, accedere iubemus. Verti potest per *nemlich.* Graeci, quod sciam, non ita loquuntur.

ſi memoriae vitio in eam incidevit Cicero [122]. Ex locis autem ſimilibus, in quibus nihil tentant viri docti, et huic et pluribus aliis ſtabiliendis firmamentum haud ſpernendum peti poſſe arbitramur. Quod ne fruſtra dici videatur, de immenſa exemplorum copia quaedam huc adlegabo. de Fin. I, 10. *nemo enim ipſam volupta-* 80
*tem, quia voluptas ſit, adſpernatur, ſed quia conſequuntur magni dolores* etc. Fam. VI. ep. 17. *nam ſic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus valuerunt, aut valeant, coniunctiores tecum eſſe, quam me.* N. Deor. II, 16. *Nec vero Ariſtoteles non laudandus in eo, quod omnia quae moventur, aut natura moveri cenſuit, aut vi aut voluntate: moveri autem ſolem et lunam et ſidera omnia: quae autem ratione moverentur, haec aut pondere deorſum, aut levitate ſublime ferri.* cap. 38. *An cum moveri aliquid videmus, ut ſphaeram..non dubitamus quin illa opera ſint rationis? cum autem impetum, coeli moveri vertique videamus, dubitamus* etc.? Paſſim ſic diſſimilis ſui eſt Seneca. epiſt. 19. *Hic te exitus manet, niſi iam*

122) Memoria nil iuvat, ſed ratio. Quamquam ex his exemplis colligi poteſt, quantum diſtent volubilis ac mutabilis ſermonis formae a grammaticorum regulis reſtrictis. Qui ita variantur modi, non deſtituuntur explicatione, ſed regularum neceſſitatem excedunt per licentiam loquentibus permiſſam. Id non ſemper animadvertunt critici. Exemplis adde haec ex poetis: Plaut. Amph. Prol. 17. *nunc cuius iuſſu venis, et quamobrem venerim dicam.* Propert. 2, 30, 29. *canere antiqui dulcia furta Iovis: ut Semela eſt combuſtus, ut eſt deperditus Io: denique ut ad Troiae tecta volarit avis.* Quae Lachmannus ad 1, 2, 9. comparat, non unius generis ſunt. In ſententiis, quae cauſſam vel conditionem indicant, cuius generis multa attulit Wopkenſius, utraque ratio facile commutatur, vel certa re poſita, vel admixta dubitatione.

*contrahas vela, niſi quod ille ſero voluit, terram leges.* epiſt. 82. *Sciat.. quae ſit illa ratio, quae appetenda et fugienda diſcernat, qua cupiditatem manſueſcit inſania, timorum ſaevitia compeſcitur.* epiſt. 87. *ait divitias eſſe cauſas malorum, non quia ipſae faciant, ſed quia facturos irritant.* epiſt. 92. *Fluant quantum affectus eiecerit, non quantum poſcet imitatio.* vide quoque de Ira III, 30. et alibi. Multum etiam in hac frequentanda enallaga eſt Lactant. Inſt. lib. II, 9, 5. *Ex quibus oriens Deo accenſetur, quia ipſe luminis fons et illuſtrator eſt rerum, et quod oriri nos faciat ad vitam ſempiternam.* lib. I, 11, 52. *at ego Deum quaero, ultra quem nihil eſt omnino, qui fons et origo ſit rerum.* lib. III, 15, 2. *quid poteſt eſſe tam falſum, quam regulam vitae philoſophiam nominari, in qua diverſitas praeceptorum rectum iter impediat et turbet? aut legem bene vivendi, cuius capita longe diſſonant? aut ſcientiam vitae agendae, in qua nihil aliud efficitur*
81 etc. vide lib. V, 9, 9. Terent. And. IV, 1. 25, 26. Alibi etiam talia collegerunt praeclariſſimi viri, Burmannus, Dukerus et Cortius, quorum ſcrinia tamen non compilavimus, ut ſumus ab iſta ratione prorſus alieni. Haec autem clamare videntur, ne quid etiam novatum eamus, infra IV, 37. *Quibus cognitis, quis eſt qui dubitet* etc.? *Quis enim dubitarit - -?* Divin. II, 25. *Quid autem volunt ea Dii immortales primum ſignificantes, quae ſine interpretibus non poſſumus intelligere: deinde ea quae carere nequeamus?* et cap. 72. *non quod eos maxime contemnamus, ſed quod videntur acutiſſime* etc. de Fin. V, 17. *Nam ſi pravitatem -- fugiendam putamus; cur* etc.? *et ſi turpitudinem fugiamus* etc. Acad. II, 46. *Aliud iudicium Pythagorae eſt, qui putet id cuique verum eſſe, quod*

*cuique videatur; aliud Cyrenaicorum, qui praeter permotiones intimas nihil putant eſſe iudicii; aliud Epicuri, qui . . conſtituit* etc. ſubiunctivus ſimilis eodem extat cap. Tuſc. I, 32. *Iſtos vero* (dimittamus): *qui quod tota in hac cauſa difficillimum eſt, ſuſcipiant, poſſe animum manere corpore, vacantem: illud autem quod non modo facile ad credendum eſt, ſed eo conceſſo quod volunt, conſequens, idcirco non dant, ut cum diu permanſerit ne intereat.* Min. Felix. cap. 18. *cum palam ſit* etc. *qui nativitatem omnibus praeſtet, ſibi perpetuitatem . . qui univerſa verbo iubet*--. Vell. Paterc. II, 24. *Vix quidquam in Syllae operibus clarius duxerim, quam quod, cum* etc. *neque inlaturum ſe bellum iis diſſimulavit, nec quod erat in manibus omiſit; exiſtimavitque ante frangendum hoſtem, quam ulciſcendum civem; repulſoque externo metu, ubi quoad alienum eſſet viciſſet, ſuperaret quod erat domeſticum.* ubi non erat, cur Urſinus legeret *ſuperare*, neque enim ab *exiſtimavit* pendet illud verbum, ſed ab his, *quam quod* etc. ut et illa *diſſimulavit, omiſit*, et *exiſtimavit* [123]).

Ibidem 34: *Utrumque enim conſequitur, ut et conſiderandis rebus humanis proprio philoſophiae fruatur officio, et adverſis caſibus triplici conſolatione ſanetur.* Quamvis Manutii ac Lambini coniectura, qua *fungatur* pro *fruatur* ſtatuunt, uno et altero co- 82

123) Talia ferri non poſſunt, niſi in malis ſcriptoribus. Ruhnkenius paullo audacius coniecit *ſuperandum*. Equidem Velleium ſcripſiſſe puto: *exiſtimavitque ante frangendum hoſtem quam ulciſcendum civem, repulſoque externo metu, ubi quod alienum eſſet, viciſſet, ut ſuperaret, quod erat domeſticum.* Mutavit auctor orationem, et pro *ſuperandum eſſe* dixit *ut ſuperaret*, intellecto alio verbo conſilii.

dice sustentetur; non tamen reiicere lectionem editam audeo, tamquam Romani sic numquam locuti essent. *Frui officio proprio philosophiae*, est illius officii emolumentis potiri. Sic de Amicitia [4, 15.]: *recordatione nostrae amicitiae sic fruor, ut beate vixisse videar, quia cum Scipione vixerim.* h. e. cum aliquo fructu et iucunditate recordor amicitiae nostrae. Isto modo *victoria frui* est victoriae emolumentis frui, apud Florum lib. II, 6. [124])

Sequitur eodem in capite: *videt malum nullum esse, nisi culpam.* Quod Latini *culpam* vocarunt, id nos hodie *malum morale* et *κατ' ἐξοχὴν peccatum* dicimus. Hinc non possum equidem caussam expiscari idoneam, cur cl. Bentl. voluerit *nisi culpa.* Fam. IX. ep. 16. *nihil esse sapientis praestare, nisi culpam.* vide lib. XII. ep. 23. lib. V. ep. 21. lib. VI. ep. 1. Illud *delictum* dicitur lib. V. ep. 17. - - *sapientes turpitudine, non casu; et delictu suo, non aliorum iniuria commoveri.*

Cap. XVII, 35. *Iubes me bona cogitare, oblivisci malorum. Diceres aliquid, et magno quidem philosopho dignum, si ea bona esse sentires, quae essent homini dignissima. Pythagoras mihi si diceret, aut Socrates, aut Plato, quid iaces etc.?* Manutii, Victorii Lambinique editionibus vix fidem dederim, cum *Pythagoras mihi sic diceret*, exhibent. Est hoc σχῆμα,

124) Ernestius, frustra, inquit, obloquitur Wopkensius. At illud *fungatur* ab iis restitutum est, qui paullo ante legerant *sapientiae fungitur munere.* Est enim *frui officio* amplius, officio fungendo delectari et consideratione rerum frui. Sic Seneca Epist. 93, 7. *omnium rerum cognitione fruiti sumus.*

quod appellant, *πρὸς τὸ σημαινόμενον*, quo fic loquitur Tullius, ut fi in antecedentibus dixiffet, *Effet hoc, quod iubes, aliquid et magno q. ph. d... Pythagoras modo effet, et non Epicurus ille voluptuarius, qui mihi diceret* etc. Vis illa coniunctionis *fi* dilucidari poteft ex his, lib. V, 9. *Laudat* (Epicurus) *tenuem victum, philofophi id quidem, fed fi Socrates. diceret, non is qui finem bonorum voluptatem effe dixerit.* pro Marc. cap. 8. *Saepe enim venit ad aures meas, te idem iftud nimis crebro dicere, fatis te tibi vixiffe. Credo; fi tum id audirem, fi tibi foli viveres* etc. fic enim ex cod. Erfurt. recte legit cel. Graevius, pro *fed tum id audirem.* fic autem explica, *Credo; et probarem hoc dictum tuum, fi tum id audirem, fi* etc. Lactant. lib. VI, 3, 5. *Sapiens prorfus difputatio, fi virtutum ipfarum formas atque terminos fcirent: non enim* etc. fupple, *fed tum demum mihi probaretur, fi -- fcirent.* Synefius epift. 46. *ποιεῖ τὸ ποιητέον· μόνον εἰ χαίρων ποιεῖς.* fcil. *εὖ ἔχει.* [125])

Ibidem, 36: *cedisque fortunae? quae pervellere te forfitan potuerit, non poterit certe vires frangere.* Malebat Bentleius, *quae ut pervellere* etc. Emblema minus neceffarium. Acad. II, 32. *Haec fint falfa fane, invidiofa certe non funt.* cap. 24. *An diffolvit? id enim mihi quidem non videtur: fed diffolverit fane;*

125) Bene intellexerat Wopkenfius, quo modo Latini conditionem addiderint fententiae affirmandae. Hoc tamen in loco Tufcul. non obfervavit, ut fenfus ille, quem exponit, exfifteret, et verba haec cum fuperioribus coniungi poffent, neceffario praecedere debuiffe coniunctionem: *fi Pythagoras mihi diceret.* Quare dictionem hanc potius ad Anacolutha referemus. Deeft enim apodofis, quae fubftitui facile poteft.

*certe tam multa non conlegisset, .. nisi videret his resisti non facile posse.* de Fato c. 4. *sic adfectio astrorum valeat, si vis, ad quasdam res, ad omnes certe non valebit.* Divin. II, 55. *quae delectationis habeant quantum voles; auctoritatem quidem nullam debemus nec fidem commenticiis rebus adiungere.* confer Sanct. Min. ell. v. *Esto.* [126])

Ibidem: *Prudentiae vero quid respondebis? dicenti virtutem sese esse contentam.* Nil esse video, cur mss. sequeremur illos, qui *docenti* pro *dicenti* agnoscunt. Prosopopoeia certe durior non est, quam quae lib. V. c. 7. .. *ullam a philosophia vocem emissam esse elatiorem.* de Fin. I, 4. *quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur, persecuti sumus.* vide l. III. c. 19. [127])

84 Acad. II, 45. *Revocat virtus vel potius reprehendit manu: pecudum illos motus esse dicit, hominem iungit deo.* ubi cl. Davisius, ut hoc in transitu moneam, legebat *iungi deo;* secus quidem, quam mihi necesse videatur: virtus enim hominem *cum deo iungit*, id est, cum deo coniunctum esse dicit; qua loquendi forma dicitur ibidem, *Tu .. tamquam hominem cum bestia copulabis?* [128])

126) Nescio, utrum consilio an errore Wopkensius scripserit *poterit* pro *potuit.* Bentleius coniecit *poterat.* Ceterum grammaticis nostris notandus est ille coniunctivi usus, in quo, omissa coniunctione, concessiva sententia eamdem rationem recipit, quam conditionalis propriam habet.

127) Orellius praetulit *docenti:* quod miror. *Dicere* interdum id significat, quod *statuere, praecipere.* Cic. de Fin. 1, 14, 46. *quid est cur dubitemus dicere et sapientiam propter voluptatem expetendam et insipientiam propter molestias esse fugiendam?*

128) Goerenzius quoque scripsit *iungi deo:* in notis tamen defendit antiquam scripturam, non nominato Wopkensio

## CAPUT XV.

*Cicero Tusc. III. octies defenditur. Pronomen* qui *relationem notabilem habet ad superiora. Cicero de Senect. vindicatur. Enallage numeri. Duo Ciceronis loca, simul cum Minutio Fel. defenduntur.* Aliter atque ut, *satis Latine dici probatur.*

Cap. XIX. libri tertii Tusc. 43. *Haec Epicuro confitenda sunt, aut ea.. tollenda de libro.* Recte constare haec lectio videtur, nec opus esse ut refingas, *Haec, Epicure* etc. Neque enim, si antecedentia ininspicias, ad Epicurum fine ulla deflexione dirigitur oratio; quod facile evincunt ista, *atque haec quidem his verbis; quivis ut intelligat, quam voluptatem norit Epicurus.* Si sequentia verba conferas, terminari illud Epicuri alloquium facile videbis. Immerito etiam mox sperni illud *verbis talibus* videtur, licet superiore cap. idem ferme dictum sit: quis enim tam superstitiosus, ut in istiusmodi repetitionem nunquam incidat? [129])

Cap. XXIV, 57. *Nec siletur illud potentissimi regis anapaestum, qui laudat senem.* Legit cel. Bentleius, *quo laudat senem*, sc. anapaesto. sed relativum, ad *τὸ regis* pertinens, recte habere, clamant haec loca sequentia. Infra IV, 5. *veterum illam equidem Pytha-*

auctore. Ea, quae iudicio fiunt, re ipsa fieri dicuntur in omnium hominum sermone.

129) Bentleius correxerat *Epicure.* In reliquis errat Wopkensius. Illud *verbis talibus* coniectura est Bentleii, pro *voluptatibus.*

85 *gorae primum, dein Platonis descriptionem sequar, qui animum in duas partes dividunt*, lib. V. c. 17... *quam habeat libra illa Critolai? qui cum in alteram lancem animi bona imponat* etc. c. 14. *ut mihi Laconis illud dictum in hos cadere videatur; qui glorianti cuidam mercatori . . inquit* etc. de Leg. II, 25. *ille mos.. permansit, hoc ius terra humandi; quam eum proximi iniecerant* . . . Divin. II, 24. *Vetus autem illud Catonis valde scitum est, qui mirari se ajebat* etc. vide etiam Lactant Inst. III, 13, 10. Hinc merito quoque concludas, sartum tectum conservandum esse locum, de Senect. c. 8. *ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem senem fieri dixit.* ubi cl. Davisius ad Acad. II, 2. volebat, *queis se quotidie* etc. [130]).

Cap. eodem, 58: *malum quod opinatum sit esse maximum, nequaquam esse tantum, ut* etc. *Opinari* aliquando passivam significandi vim habet. Si nescis, vide supra c. 11. *immoderata appetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans.* sic pluries vel in his libris. Ut non videam cur mallemus, *quod opinati sint.* etc. [131]).

130) Conf. nota ad p. 93.

131) Cicero non verbo tribuit passivam significationem, sed adiectivo *opinatum*. Hinc loquitur saepe de opinatis bonis et malis. Et scripsit hoc loco: *intellecto eo, quod rem continet, malum, quod opinatum sit maximum, nequaquam esse tantum, ut vitam beatam possit evertere.* Etenim in hac dictione deerat linguae adverbium aptum, in cuius locum succedebat adiectivum, uti in aliis verbis factum est. Ita Livius 22, 6, 4. *qui se infesto venienti obviam obiecerat.* Illud quod vulgo legitur *esse*, ab eo additum videtur, qui reliqua superiora interpolaverat.

Cap. XXVIII, 69. *Quid ex ceteris philoſophis nonne optimus.. quiſque confitetur multa ſe neſcire? neque tamen, cum . . . intelligant, aegritudine premuntur* [132]). Enallagen numeri, ut alia multa, optime vindicat doct. Schröderus. Nos dabimus, quae compoſueramus iam priusquam in ipſius animadverſiones incideremus. de Fin. II, 1. *Hic cum uterque me intueretur, ſeque ad audiendum ſignificarent paratos* etc. Tacitus Annal. lib. I, 17. *ac ſiquis tot caſus vita ſuperavit, trahi adhuc diverſas in terras ubi.. inculta montium accipiant.* ubi adi Salinerium. Arnobius lib. II. p. 46. -- *homo quid ſit -- an -- acceperint formam* etc. cum nota D. Heraldi. Quinctil. Inſt. Or. XI, 3. *nam nec cuiquam ſunt iniucunda, quae cantant ipſi.* 86 ubi vide cel. Burmannum. Minut. Felix cap. 24. *Dum unusquisque veſtrum non cogitat, prius ſe debere deum noſſe, quam colere; dum inconſulte geſtiunt parentibus obedire.* cap. 8. *Sit licet ille Theodorus Cyrenaeus, vel qui prior Diagoras Melius* etc. *numquam tamen in hac impietatis diſciplina .. pollebunt.* ubi cl. Daviſ. legebat *pollebit.* liceat. diſſentire. cap. 34. *Ita corpus in ſeculo; ut arbores in hiberno, occultant virorem ariditate mentita* [133]). quae quidem ſyntaxis omnium maxime notanda, quamvis ſilentio praeterierint interpretes, adiuvari et illuſtrari illis poteſt, quae doct. Cortius ad Saluſt. Iug. c. 18, 12. Et haec qui-

132) Cicero ſcripſit *multa ſe ignorare.* De enallage numeri, qua variare orationem ſolebant optimi ſcriptores, vid. Stroth. ad Liv. 22, 4. Bremi. ad Cic. de Fin. p. 136. Goerenz. ad Acad. II. p. 95.

133) Forte tamen virgula tollenda poſt *hiberno*, ut in priore membro ſubaudiatur verbum ſingulare *occultat.* WOPKENS. in Addendis.

dem apud me tanti sunt ponderis atque momenti, ut nihil etiam emendatione indigere credam, in his Tusc. IV, 6. *stulti autem aegritudo est ea, qua afficiuntur in malis opinatis.* ubi coniiciunt *stultorum, et stultis autem*[134]), et cap. 31. *Mihi quidem in tota ratione ea quae pertinet ad perturbationem una res videtur causam continere, omnes eas esse in nostra potestate.* ubi reponitur *perturbationes* pro *perturbationem*[135]). Fin. II, 19... *aliquid de voluptatibus suis cogitabat? nam ubi eam caperet?* volebat vir cl. *ubi autem caperet?* quod alioquin *eas* potius scripturum fuisse Tullium autumabat. sed sic Terent. Eun. II, 1. *adeon homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse?* quem locum ipsi debeo Davisio, ad N. Deor. I, 19. adde quae nos ad Acad. II, 10.

Cap. XXX, 73. *Et qui suos casus aliter ferunt, atque ut auctores aliis ipsi fuerunt.* Voculam *ut* omitti quidem solet in hac forma; non sic tamen, quin aliquando etiam, uti hic, adiiciatur, quum ἀκριβείᾳ grammaticae quippiam non habeat contrarium. Testimonia complura proferuntur a Stewechio et Tursellino. Eadem quoque abundantia sermonis utuntur Latini, cum ita loquuntur: *maiorem pecuniam das, quam*

134) Wolfium in praelectionibus probasse *stultorum* audio, non credo. Neque praestat in hac definitione *stultis.* Eadem ratione antea dictum est *sapientis.* Vid. p. 122.

135) Quamquam omnes editores Bentleium sequutos esse video, non dubito tamen, quin antiquorum librorum omnium consensu servata sit integra scriptura. Nam post generalem perturbationis notionem transit Cicero ad diversas, quae illa continentur, species nominandas. In graecis talia nullam offensionem habent.

*quantam promisisti.* qualia collegit Sanctius Min. pag. 495. [136])

Cap. XXXI, 75. *Ut Artemisia illa Mausoli.. uxor..* 87 *quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit.* Emendabatur, *eo denique etiam* etc. cur tandem? *Idem* saepe ità cum copulativa coniunctione iunctum *is* denotat [137]). N. Deor. I, 37. *nec esse in ea* (specie Dei) *ullam soliditatem, neque eandem ad numerum permanere.* sic passim.

Cap. XXXIV, 33. *Hoc detracto,.. aegritudo erit sublata illa moerens; morsus tantum et contractiunculae quaedam animi relinquentur: hanc dicant sane naturalem; dum aegritudinis nomen absit . . . funestum.* Non est, cur coniiceremus *has dicant sane naturales. hanc* enim refero ad *aegritudinem* [138]). Sed tum dixerit, inquies, Cicero, aegritudinem, quae iam sublata esset, licere dici naturalem, modo non appelletur aegritudo; atque ita aegritudinem vocabit id, a quo abesse nomen illud velit. Sed non est ita argutandum. similiter enim Acad. II, 46. ., *reliquae virtu-*

136) Ita restituenda est antiqua scriptura in Epist. ad Att. 16, 13. *de Antonii itineribus nescio quid aliter audio atque ut ad te scribebam.*

137) Immo amplius. Est, atque item eo confecta contabuit. Sic in loco de Nat. d. 1, 37 pronomen cohaeret cum notione verbi *permanere.* Recentiores scriptores *idem* simpliciter dixerunt pro *is.* vid. Lipsius ad Vellei. Pat. 2, 42.

138) Omnes reliqui sequuti sunt Bentleium, qui de coniectura dedit *morsus tamen et contractiuncula quaedam animi relinquetur.* Nihil integrius est scriptura codicum. *Hanc dicant sane naturalem* positum est pro *hoc dicant naturale,* et relatum ad aegritudinem, quae tantum moeroris nomine *sublata* dicitur.

*tes, quarum esse nulla potest, nisi erit gratuita: nam quae . . voluptate ad officium impellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio simulatioque virtutis.* de Div. lib. I. c. 50. *Multa medici . . praesentiunt; sed nullam eorum divinationum voco, ne illam quidem, qua moniti Lacedaemonii sunt,* h. e. sed nihil tale, vel nullam talem eorum praesensionem voco divinationem etc. adde quae diximus ad Acad. lib. II. c. 16. de Fin. II, 3. . . *illam non dolendi voluptatem, quam cur voluptatem appelles nescio.* vide quoque Senec. de Ira II, 3. [139]) Sequitur hoc cap. *Atqui stirpes sunt aegritudinis quam multae! quam amarae! quae* etc. Constructio auribus quidem nostris insolentior, Tullio tamen haud inusitata. Sic. Fin. II. c. 21. *Nunc vero suppeditabit nobis Atticus noster ex thesauris suis quos et quantos viros!* vulgarior syntaxis illa fuisset, *Nunc vero quos et quantos viros suppeditabit n. A. n. e. t. s.!* de Divin. lib. II. c. 58. *quorum quidem defensio repetita quam longe est!* cur non sic potius, *q. q. d. longe repetita est!* Sed istiusmodi turbis mirifice delectabatur noster, ut aliis etiam exemplis plus semel in his commentariolis nostris probamus. Cave itaque, cum viro κριτικωτάτῳ rescribas, *At quae s. s. ae.! quam* etc.! [140])

139) Diversa est horum exemplorum ratio, in quibus negatio adest. Potest nomen alicuius rei poni, tamen convenientia ipsius rei negari.

140) Egregia est aliorum librorum scriptura: *Atque stirpes sunt aegritudinis quam multae.* Vid. nos in Tursellino, sub voc. ATQUE.

## CAPUT XVI. 88

*In IV. Tusc. novem loca vindicantur, unus emendatur.* Parere. *i. e.* comminisci. *Verborum ordo notabilis. Polyaenus tentatur. Duplex genitivus illustratur. Duo Ciceronis loca simul cum Silio Italico adseruntur. Eadem rei generalis et specialis appellatio illustratur. Sensus praegnans. Cicero quater defenditur. Enallage numeri. Cicero defenditur.*

Venimus ad lib. IV. Tusc. cap. 2, 4. *ne ea quae peperisse ipsi putamur, aliunde didicisse videamur.* Non sic moveor mss. illis, qui *percepisse* et *perperisse* exhibent, ut ex iis vestigiis *repperisse* scribendum existimem; idem enim verbi *parere* usus ac vis est. sic Fin. III, 1... *nobis, quibus etiam verba parienda sunt.* in Or. cap. 32. *et postea qui Dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt.* Fam. IV. ep. 13. *nec ea solum memineris, quae ab aliis magnis viris accepisti, sed illa etiam, quae ipse ingenio studioque peperisti.* N. Deor. II, 29... *qui ista peperit, homo sine arte, sine literis.* vide quoque Leg. lib. II. c. 14.

Cap. IV, 7. *Sed defendat quod quisque sentiat.* [141]) Verborum ordinem, quamquam librariis improbabatur, optimo iure defendit Davisius. Sed loco Horatii, ab eo allato, adde supra I. c. 4. *Ponere iubebam, de quo quis audire vellet..* i. e. Ponere quem iubebam, de quo audire vellet. In hac re Graecos imitati

141) Cicero scripsit *sentit.* Exemplis allatis adde Liv. 21, 58, 9. *tantaque vis frigoris insequuta est, ut, ex illa miserabili hominum iumentorum quum se quisque attollere ac levare vellet, diu nequiret.*

ſunt Romani. ſic Dionyſius Halic. Antiq. I, 48. *Κρινέτω δ' ὡς ἕκαστος τῶν ἀκουόντων βούλεται.* Ioſephus Ant. II. 16, 5. *περὶ μὲν οὖν τούτων ὡς ἑκάστῳ*
69 *δοκεῖ, διαλαμβανέτω.* Quod autem conj. *et* ante *metus* excidiſſe vir ſummus cenſebat, in his *Sublata igitur aegritudine, ſublatus eſt metus:* in eo quidem, ut in plurimis aliis minutiis, quas merito excutere gravamur, fruſtra omnino eſſe videtur. vide, ne verba apponam, infra cap. 20. ſupra III. c. ult. Divin. II, 59. Acad. II, 6. 12, 19. de Amic. 27.

Cap. VI, 13. *Praeſentis autem mali ſapientis nulla adfectio eſt: ſtulti autem aegritudo eſt ea, qua afficiuntur in malis opinatis.* Tria in hoc loco ſollicitantur: primo duplex genitivus, *mali ſapientis adfectio;* dein permutatio iſta numeri, *ſtulti aegritudo, qua afficiuntur;* poſtremo repetitio coniunctionis *autem.* Quod ad repetitionem coniunctionis, et numeri viciſſitudinem attinet, in his nihil ſollicitandum eſſe monſtrant, quae nos ad Acad. II, 27. et Tuſc. III, 28 [142]). Duplicem vero genitivum egregie iam vindicatum video ab erud. Schrödero, quem hic et alibi ſurdo ceciniſſe nollem. Nos noſtra adiungemus. Infra cap. 13. *valetudinis corporis conquaſſatione.* et rurſus, *corporis eſt quaedam apta figura membrorum,* cap. 14. *Labor eſt functio quaedam vel animi vel corporis gravioris operis et muneris,* pro Ligar. cap. 5. *ſtudia denique generis ac familiae veſtrae, virtutis, humanitatis* etc. N. Deor. II, 58. *quarum* (artium) *eſt iudicium oculorum.* Plura Cortius ad Saluſt. Cat. cap. 24, 4. [143]) His quoque patrocinium pro ſequentibus

142) Pag. 53. (37) et pag. 118. (86).

143) De hac re dixerunt Perizon. ad Sanctii Min. 2, 3, 15.

locis suscipi potest ac debet, de N. Deor. III, 35. *nisi et virtutis et vitiorum, sine ulla divina ratione, grave ipsius conscientiae pondus esset.* ubi Davis. tentat, *ipsi conscientiae* [244]). Fin. V, 24. *Atque hoc ut vere dicitur, parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis commodorum.* ubi ille linguae Latinae rationem flagitare putabat, *parva e. a. b. v. m. in istis corporis* 90 *commodis.* mihi quidem aliter omnino videtur. Silius Italicus lib. vs. 391,

*— gelidusque sub ossa*
*Pervasit miseris conspectus consulis horor.*

idem vir cl. ad Tusc. III, 22. ed. pr. coniiciebat, *conspectu consulis horror.* Barthius in Adversariis, e membranis scribi iusserat, *conspectu consulis horror;* quod idem N. Heinsio placebat et Drakenborchio, quibus tamen non est vt illud adsentiamur [245]).

Drakenborch. ad Liv. 25, 15, 11. Cortius ad Cic. Epist. 6, 20, 3. Burmann. ad Lucan. 9, 8. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 17. p. 169. Baden ad Senecae Herc. f. 248. Henr. Vossius in Theocrit. p. 5. Livius adeo triplicem genitivum posuit. Praefat. 3. *iuvabit rerum gestarum memoriae principis terrarum populi — me ipsum consuluisse.*

244) Vid. Heindorf. ad hunc locum. p. 372.

245) Drakenborch. ad Liv. 25, 16. contra Wopkensium haec: „sed videat, rogo, quam illud infirmum sit adversus codicum et vett. edd. auctoritatem, cui nemo prudens posteriorum deliria praeferre sustinet.“ Ut unum locum addam, in Sallust. Cat. 29, 3. *aliter, sine populi iussu, nulli earum rerum consuli ius est.* alii non pauciores libri praebent *nullius:* quod verum et compendio oblitterato in aliis codicibus corruptum esse puto. Nam quo minus *nulli* praeferamus, impedit et genitivi forma, quae in feminino erat *nullae*, non *nulli*, et dativi, quem alii intellexerunt, structura. Nimirum si cum Gerlachio

Cap. X, 24. *Intelligatur igitur, perturbationem iactantibus ſe opinionibus inconſtanter et turbide, in motu eſſe ſemper; cum autem hic fervor concitatioque animi inveteraverit, . . tum exiſtit morbus* etc. Nullum his mendum ſubeſſe credo. Perturbatio dicitur in perpetuo eſſe motu, neque unquam remittere, quamdiu opiniones ſe inconſtanter ac turbide iactent; his autem quieſcentibus, ſedari quidem perturbationis motum, ſed ipſam alte iam inſidere animo, ut exiſtat morbus. Hoc quidem commode, Tullioque digne his verbis exprimi arbitror. Neminem autem offendat, quod *perturbatio* dicitur *in motu eſſe*, id quod Cicero etiam in libris de Fin. ſaepenumero *voluptati* tribuit [146]).

Cap. XI, 24. *exiſtitque morbus et aegrotatio, quae avelli inveterata non poſſunt, eique morbo nomen eſt avaritia.* Quo minus in his reſcribamus . . *ſeu aegrotatio, q. a. i. n. poſſit*, retinent iſta cap. 13. *Quomodo autem in corpore eſt morbus, eſt aegrotatio, eſt vitium: ſic in animo... Itaque duo illa, morbus et aegrotatio ex totidem* etc. Si Tullius, inquit, *morbus et aegrotatio* ſcripſerit, quo pacto cum his conciliabitur, quod addit *eique morbo?* Poſterior
91 *morbi* notio eſt generalior, duoque illa, tanquam ſpecies quodammodo diſtinctas, complectitur; quod ne modo dictum, ſed etiam illuſtratum ac comprobatum videas, en geminum plane locum, cap. 14. *Aegrota-*

*nulli* pro *non* poſitum exiſtimaverimus, ſcribendum erit mutato verborum ordine: *earum rerum conſuli nulli ius eſt.*

146) Cic. de Fin. 2, 5, 16. *ſin autem voluptatem putat adiungendam eam, quae ſit in motu.*

*tiones autem morbique animorum difficilius evelli posse putantur, quam summa illa vitia, quae sunt virtutibus contraria: morbis enim manentibus, vitia sublata esse possunt.* Ex quo loco id forsitan quoque cogendum, ut in eo, quem iam proposuimus, legi oporteat, *quae EVELLI inveterata* etc. uti etiam cap. 26. dixit Cicero: *sunt enim omnia ista ex errorum orta radicibus; quae evellenda et extrahenda penitus, non circumcidenda, nec amputanda sunt.* Nec uspiam hanc vim verbi *avellere* in scriptis Tullii offendi [147]).

Cap. XII, 27. *ex quo in aliis anxietas, unde anxii; in aliis iracundia dicitur, quae ab ira differt.* Coniicit Davisius, *iracundia efficitur:* sed lectio, quam temerat, talem βραχυλογίαν refert, quae Tullio usitatissima fuit. Nos sic fere dixissemus, *ex quo nata, in aliis anxietas* etc. vel, *ex quo id quod nascitur, in aliis anxietas* etc. Sic N. Deor. II, 20. *Quarum ex disparibus motionibus magnum annum Mathematici nominaverunt*, i. e. Q. e. d. m. conficitur quem ma-

147) Bonam hanc emendationem receperunt Wolfius et Orellius. Sic Epist. ad Fratr. 1, 1, 13. *difficile est — si quid est penitus insitum moribus, id subito evellere.* Tamen dubito an non necessaria ea sit. Legitur quidem in Epist. 5, 12, 16 *qui tum denique sibi avelli iubet spiculum.* quod in eiusdem rei expositione de Fin. 2, 30, 97. *evelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam.* Et erat ferrum, quod ex hastili remanserat, in corpore Epaminondae. Igitur etiam in illo loco scribendum esset *evelli*, nisi pronomen *sibi* repugnaret. Ita dicuntur inveterata mala non posse avelli. In Apuleii Met. I. p. 110, 24. Elmenh. *nihil non et iugulum istum dolui, et cor ipsum mihi avelli putavi.* Tollius probavit lectionem codicis Bemb. *evelli.* Equidem non sequar.

thematici magnum annum nominaverunt [148]). Acad. II, 4. *qui se ab eo ipso duos illos libros dicerent de- scripsisse.* i. e. duos illos libros ab eo ipso composi- tos [149]). de Fin. IV, 14. *in homine perfectio ista in eo potissimum quod est optimum, id est, in virtute laudatur.* h. e. in homine ea potissimum perfectio lau- datur, quae est posita in eo quod est optimum etc. ten- tabat vir cl. *in virtute locatur* [150]). et cap. 9. *An sena- tus* etc. *si neque virtus in ullo nisi in sapiente nec felicitas vere dici potest?* ubi Lamb. merito neglectus est, qui post *felicitas*, *esse* iniiciebat; cui tamen mos
92 gestus est, cum in his c. 17. *qui nulla in re - - propen- sionem diceret*, inculcabat *esse* [151]). Leg. II, 4. *Ita principem legem illam et ultimam, mentem esse dice- bant.. Dei. Ex qua illa lex, quam Di humano ge-*

148) Non assentior. Nam *ex quo* est ex qua ratione, unde: *in Folge dessen.* Dicit Cicero: quoniam corporis et ani- mi affectiones, quibus homines saepe, non semper mo- ventur, tribuimus iis tamquam perpetuam conditionem, ex hac ratione dicimus in aliis anxietatem, in aliis ira- cundiam. Et in loco de Nat. Deor. 2, 20. *ex disparibus motionibus* est secundum dispares motiones.

149) De dictione *describere librum ab aliquo* vide Turselli- num meum p. 17.

150) Contra Davisium etiam Goerenzius disputat et expli- cat: quod attinet ad virtutem, *mit Rücksicht besonders auf Tugend.* at *laudare aliquid in aliqua re* dicitur de eo, in quo laudabilis res potissimum apparet. Perfectio homini propria laudatur maximopere in virtute. Epist. ad Fam. 3, 8, 25. *non dicam plura, ne in quo te ob- iurgem, id ipsum videar imitari.*

151) Unde hoc? Nemo criticorum huius interpolationis mentionem facit.

*neri dederunt, recte eſt laudata* [152]). h. e. derivata ac laudata. idem ille rurſus; *Ex quo illa lex* etc. i. e. quapropter. et lib. I. c. 8. *animum eſſe ingeneratum a deo; ex quo vere vel agnatio nobis cum coeleſtibus, vel genus, vel ſtirps appellari poteſt.* i. e. ex quo quae nobis exiſtit cum coeleſtibus neceſſitudo, vel agnatio etc. appellari poteſt. legebat ille, *arrogari poteſt.* de N. Deor. II, 56. *ſunt enim e terra homines non ut incolae a. h. ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum.* h. e. ſunt enim homines, quos de terra formavit Deus, non ut etc. malebat ille, *ſunt enim in terra homines* etc. [153]) ſed iſta loca mutuo ſibi invicem firmamento eſſe videntur, praeſertim cum plura talia obſervaverim, quamvis iam mihi in mundo non ſint.

Cap. XIII, 31. *Et ut corporis eſt quaedam apta figura membrorum c. c. q. ſ. eaque dicitur Pulchritudo.* Cur malit heic doct. Bentleius, *ea quae dicitur Pulchritudo*, quemadmodum etiam in his ſupra c. 11. *Haec... re quidem copulata ſunt, eaque oriuntur ex libidine* etc. *ea quae oriuntur:* rationem iuſtam

152) Ita etiam Wagnerus, ortam legem intelligens: ſed perperam. *Ex qua* eſt *ſecundum quam.* Sic dicitur de Fin. 4, 13, 35. *ex virtute vitam fingere.* In loco de Leg. 1, 8. recte coniunguntur verba *ex quo appellari* i. e. inde appellari: ut ſit in reliquis nominationis vocabulis.

153) Corruptum eſſe hunc locum, nemo non videt. Sed inter omnes, quae factae ſunt, coniecturas nulla poteſt probari, vel ob vim verbis corrigendis illatam, vel propterea quod in vocabulis *e terra* quaerebant vitium. Ea depravata videbantur, quia verbo, quod notionem exhiberet hominum e terra natorum, negligenter omiſſo, ipſa ſuo ſenſu deſtituta erant. Satis igitur erit notaſſe lacunam.

subesse haud facile mihi persuaserim [154]). Innumera talia scientes praeterimus, quae quomodo iuxta solidioris criticae regulas in animadversionibus, in quibus *πάντα περὶ πάντων* exspectamus, probaturus sit vir honoratissimus, nos quidem hactenus adsequi non possumus.

Cap. XVI, 36. *Ex quo intelligitur, qualis ille sit, quem tum moderatum, alias modestum, temperantem, alias constantem continentemque dicimus.* Duo illa, *alias modestum*, et *alias constantem* a librariis inserta
93 esse putabat Davisius, qui legebat, *quem cum moderatum, tum temperantem continentemque dicimus.* Sed quae exstirpat vir ille doctus, posse adservari docet locus ille, lib. III. c. 8. *Quam* (*σωφροσύνην*) *soleo equidem cum temperantiam, tum moderationem appellare: nonnumquam etiam modestiam... Eius videtur esse proprium, motus animi appetentis regere et sedare, semperque a. l. m. i. o. r. servare constantiam... Qui sit frugi igitur, vel si mavis moderatus et temperans, eum necesse est esse constantem* [155]).

154) Tamen receperunt hanc correctionem Ernestius, Wolfius, Schützius, a Beiero ad Off. 1, 28. p. 218. reprehensus. Paullo ante legitur *eaque animi est virtus.* Et de Leg. 1, 16, 44. *nam et communis intelligentia notas nobis res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur.* ubi non audiendus erat Pearcius, qui scripserat *eas, quae.* Si quid in hoc loco emendandum, scripserim *communis intelligentia notitias rerum efficit.* nam verba *nobis* et *res* incerta sua sede in codicibus interpolationis suspicionem contrahunt. Acad. 2, 10, 30. *ex quibus efficiuntur notitiae rerum.*

155) Egregie haec inter se contulit Wopkensius. Nullam offensionem habent synonyma, quae volunt, coacervata: nam in reddendo graeco vocabulo σωφροσύνης semper am-

Cap. XVII, 39. *ut cum res eadem maneat, aliter ferant inveterata, aliter recentia.* Neque haec enallage tam inconcinna, ut legendum ſit, *ut cum re eadem maneant* etc. N. Deor. II, 23. *Quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut ſine Deo regi non poſſet, ipſa res Deorum nomen obtinuit.* Divin. II, 20... *te, quum res videres, rationem cauſamque non quaerere: quid fieret; non cur fieret, ad rem pertinere.* Leg. I, 13. *ſive Ariſtotelem et Theophraſtum, cum illis re congruentes, g. d. p. d. ſecuti ſunt: ſive ut Zenoni viſum eſt, rebus non commutatis, immutaverunt vocabula.* Fin. III, 3. *Vide ne magis, inquam, tuum fuerit, cum in re idem tibi quod mihi videretur, non nova te rebus nomina imponere* [156]). ad Fam. VI. ep. 4. *De futuris autem rebus etſi ſemper difficile eſt dicere, tamen interdum coniectura poſſis propius accedere, cum res eſt eiusmodi, cuius exitus provideri poſſit.* Hinc nil quoque corrigo infra Tuſc. V, 37. *Jam vero exſilium, ſi rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus* etc. ubi V. D. volebat, *ſi rei naturam* etc. N. Deor. II, 3. *quod ſi* etc. *quos tamen augures ne ipſae quidem ſabulae adſciviſſent, ſi res omnino repudiarent:* ubi cum de ſola divinandi arte ſermo ſit, *ſi rem omnino repudiarent*, legebat ampl. Boherius. Miror etiam quomodo in his Vell. Paterc. II, 33. *Nam* 94
*neque Pompeius, utprimum ad remp. aggreſſus eſt,*

bigebat Cicero. Sed deeſt particula inter verba *modeſtum temperatum.* Orellius recepit *et temp.* Ego ſuſpicor *quem tum moderatum, alias modeſtum, tum temperantem, alias conſtantem.* Synonyma *moderatus* et *modeſtus* opponuntur reliquis quodam modo.

156) Unde Wopkenſius ſumſerit illud *in re* pro *re*, equidem neſcio.

*quemquam animo parem tulit; et in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat:* miror, inquam. quomodo doct. Heinsio ideo, quod praecesserit vox *remp.* sic invenustum visum fuerit illud *rebus*, ut legendum censeret, *et in qua urbe primus* etc. *Rerum* nomine passim cum rem quandam specialem tum quoque reipub. administrationem insigniri, quis est qui dubitet? 157)

---

## CAPUT XVII.

*Vulgata lectio Ciceronis saepius vindicatur: semel corrigitur.* Accessionem fieri magnam, i. e. *magnum cumulum per suam accessionem adferre. Ellipsis* τοῦ quamvis. *Oratio ex obliqua fit directa. Repetitio coniunctionis* ut. *Duo Ciceronis loca, una cum V. Paterculo, adferuntur. Glossae forma vindicatur. Copulativae coniunctionis usus illustratur. Lactantius tentatur.*

Pergimus in eodem lib. quarto Tusc. Disput. cap. XVII, 41. *Quid si cum id ferret modice, mors liberorum accessisset? nata esset aegritudo nova. Sed ea modica, magna tamen esset accessio.* Non forte necessum est, ut adsentiamur viro docto illi, qui legebat, *Sit*

157) Comparatis exemplis demonstratur, et pluralem et singularem admitti in usu vocabuli *res.* Singularis autem ponitur, ubi aut genus rei consideratur, aut res opponitur vel externae speciei, vel opinioni, vel nomini. In aliis parum differt, in aliis sententia mutatur. Quare miror ab Orellio quoque praedicari in hoc loco bonam Bentleii coniecturam: *quum re eadem maneant.*

*ea modica: magna t. e. a.* Primo enim locus coniunctionis *ſed*, ſi verba bene introſpicias, ſatis videtur opportunus. Deinde ante vocem *modica*, facile ſubauditur *τὸ quamvis*, cuius omiſſio longe eſt uſitatiſſima. ſic Acad. II, 4. *homo natura leniſſimus -- ſtomachari tamen coepit.* etc. c. 15. *quae perdifficulter, internoſcuntur tamen.* et ſimilia. Poſtremo eleganter dicitur aegritudo, *magna acceſſio fieri*, quum illius acceſſione magnopere augetur id, quo accedat. Talis formula eſt 95
or. in Piſonem [37]: *cum tibi ad priſtinas clades acceſſio fuiſſet Aetolia repentinus interitus.* Florus lib. III. c. 6. *et pirata Mithridaticae provinciae factus acceſſio.* Val. Maximus VIII, 7. *quantula Socrati acceſſio iſta futura ſcientia erat?* vide quoque Min. Fel. cap. 24. et erudit. Heinſ. ad Vellei. Paterc. II, 26. [158])

Cap. XIX, 43. *Primum multis verbis iracundiam laudant: cotem fortitudinis eſſe dicunt.. levis autem ratiunculas eorum qui ita cogitarint, Praelium rectum eſt hoc fieri* etc. *haec nullam habent vim, niſi ira excanduit fortitudo.* Obſerva orationem directam pro obliqua; neque enim iuxtà ſuam mentem iſta *haec nullam h. v. n. i. e. f.* profert auctor; ſed eorum duntaxat, qui iracundiam ſic extollebant, ſententiam exprimit. Sexcenta mihi talia loca obſervata ſunt, ſed quod neminem iſta forma offenſum iri ſperabam, tanti non erat ut adnotarem. Hic tamen Bentl. coniicit,

158) Orellius dedit: *nata eſſet aegritudo nova.* — „*Sed ea modica.*“ — *Magna tamen facta eſſet acceſſio.* Quae ita diſtrahuntur, Cicero eleganter compoſuerat in hac ſententia: *nata eſſet aegritudo, ſed* ex Peripateticorum ratione *modica, tamen re* vera *magna eſſet acceſſio,* cui modus adhiberi non poſſet. Haec aperte ſana ſunt omnia.

*haec nullam habere vim* etc. mirum quod simul *excanduit* in *excanduerit* non mutarit; quod sane posterius grammaticae regulae flagitant, stante quidem ista emendatione.[159]) Capite sequente, 46: *Haec tamen ita disputant, ut resecanda esse fateantur, evelli penitus dicant nec posse nec opus esse: ut in omnibus fere rebus mediocritatem esse optimam existument.* Per me licet salvum et integrum conservari posterius *ut*, quippe cuius coniunctionis repetitio, cum passim obvia sit, nemini molesta esse queat. sic enim Acad. I, 7. *De natura autem.. ita dicebant, ut eam dividerent in res duas: ut altera esset efficiens, altera* etc. cap. 13. *Huic rationi quod erat consentaneum faciebat, ut contra omnium sententias dies iam plerosque deduceret: ut cum.. invenirentur, facilius.. adsensio sustineretur.* lib. II. c. 15. *nonne, inquiunt, verosi-*
96 *mile sit, sic etiam mentem moveri, ut non modo non internoscat.. sed ut in his nihil intersit omnino? ut si qui tremerent et exalbescerent.. nihil ut esset qui distingueretur tremor ille et pallor, neque ut quicquam interesset.* vide quoque Fin. III, 19. et V, 9. de Senect. cap. 8. *Quid quod etiam addiscunt aliquid? ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui.. dicit: ut ego*

159) Orellius tamen, probata Bentleii correctione *habere*, non necesse habet corrigere etiam *excanduerit.* Utique id necessarium esset, ut praeclare senserunt Ernestius et Schützius. Nec comparari possunt in defensionem illius sententiae de Off. 3, 33. *tibique persuade esse te quidem mihi carissimum, sed multo fore cariorem, si talibus monumentis praeceptisque laetabere.* et ad Fam. 13, 57, 5. *sed tamen sic velim existimes te mihi nihil gratius facere posse, quam si intellexero* etc. Futuris hoc proprium est et esse potest. Vid. Wopkens. p. 304. edit. pr.

*feci, qui Graecas litteras ſenex didici.* [160]) Haec cum ſilentio ſuo comprobarint viri eximii, uti et plura talia; rariſſimum inde teſtimonium adferri poſſe videtur, pro ſanitate loci quem propoſuimus, et ſequentium etiam iſtorum. Fin V, 2. *ita enim ſe Athenis collocavit, ut ſit paene unus ex Atticis; ut id etiam cognomine videatur habiturus.* Acad. II, 16. *Quomodo autem ſumis, ut ſi* etc. *ſequatur ut etiam difficiliter internoſci poſſint? . . poſtremo ut eadem ſint? ut, ſi lupi canibus ſimilis, eoſdem dices* (lego *dicas*) *ad extremum.* [161]) Daviſ. *ita, ſi lupi* etc. Supra lib. III. c. 29.

> *Nec vero tanta praeditus ſapientia*
> *Quiſquam eſt, qui aliorum aerumnam dictis adlevans,*
> *Non idem, cum fortuna mutata, impetum*
> *Convertat, ut cladi ſubita frangatur ſua:*
> *Ut illa ad alios dicta et praecepta excidant.*

Neſcio, cur prius *ut* a Latini ſermonis ratione recipi neget vir cl. Vell. Paterc. II, 33. . . *in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundiſſimus: ut qui eos ut libentiſſime iniret, ita finiret aequo animo.* ubi illud *ut* tam brevi intervallo geminatum, crucem figebat viro celeb. qui coniiciebat, *at qui eos ut* etc.

160) Adde Goerenzii notas ad Acad. 2. p. 102 et 250. et quos ſupra nominavimus ad pag. 41.

161) „Wopkenſius ſibi ipſe diſſimilis factus eſt p. 304. ubi multis locis hanc futuri rationem recte defendit." Goerenz. ad Academ. 2. p. 95.

Cap. XXV. *Num aut egiſſe umquam iratum Aeſo-*
97 *pum --- exiſtimamus?* Cur, quaeſo, *exiſtimas* legendum, non *exiſtimamus?* An quia paucis verbis interiectis anteceſſerat, *an tibi iraſci tum videmur?* At vero Enallages illius exemplorum omnia plena ſunt. An quia, cum Cicero prima pluralis numeri perſona ſe ipſum comprehendat, ſtultum foret quaerere, quid ipſe iuxta cum aliis ſentiret? Vix auſim talia movere incommoda: quam ſaepe enim ſic imperſonaliter adhibetur prima perſona pluralis? ſic ex gr. infra c. 26. *Libidinoſum igitur... cenſemus eſſe ſapientem?.. In hanc tu igitur.. perturbationem cadere tibi dixiſti videri?* At pluribus hoc docere non opus eſt; ſufficit ut talia tantummodo in memoriam referamus. [162])

Cap. XXVI, 57. *Quid eſt quod tantam gravitatem conſtantiamque perturbet? an improviſum aliquid aut repentinum? Quid poteſt accidere tale, et cui nihil quod homini evenire poteſt?* Legendum; -- *tale ei, cui* etc. Praeter hocce mendum, omnia putem ſana ac proba, quamvis alius de genuina loci ſcriptura aliter harioletur [163]).

162) Quod coniectura poſuit Bentleius, confirmant aliqui codices. Sed apertum eſt, librarios ad ſuperiora reſpexiſſe, iisque haec accommodaſſe. Conf. Goerenz. ad libr. de Fin. 3, 19, 62.

163) Quae addita ſunt in nonnullis libris, *cui nihil — non praemeditatum ſit* vel *cui nihil — novum ſit*, gloſſatoribus debentur, qui conſtructionem verborum expedire non poterant. Omnis ſententiae vis cernitur in oppoſitis vocabulis *accidere* et *evenire*, quorum illud id ſignificat, quod ex improviſo et praeter ſpem fit, hoc autem, quod ex rerum natura et cum neceſſitate quadam provenit. Ergo dicit Cicero: quid poteſt accidere tale ei, cui nihil fortuitum accidit, quod homini in rerum neceſſa-

Cap. XXVII, 58. *de quibus* (animis) *hoc etiam est merita* (natura) *melius, quod corporum adiumenta adhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in his ipsis est. Sed quo maior est in iis praestantia et divinior, eo maiore indigent diligentia. Itaque bene adhibita ratio cernit, quod optimum sit; neglecta multis implicatur erroribus* [164]). Si codices eos audire volumus, qui *indiget* pro *indigent* repraesentant, verbum hoc ad *praestantiae* vocem referre licebit; ut de *praestantia animorum* sic loquatur Tullius, tamquam de ipsis animis praestantibus loqueretur; quam formam pluribus illustrabamus ad lib. II. c. 25. Pari quoque modo *adhibita ratio cernere* dicitur, cum tamen proprie mens vel homo cernat, adhibita ratione. Quin 98
autem *adhibere rationem* Latinissime dicatur; nemo dubitet. vide modo cap. 11. et de Har. Resp. cap. 10. et Q. Cic. Petit. Cons. cap. 4. [165]) Audax igitur et licentiosa crisis est viri ingeniosissimi, qui sic legebat: *Sed quo maior est mentis praestantia et divinior, eo maiore indiget diligentia. Itaque bene habita cernit* etc.

Cap. eodem, 59: *utrum ad universam perturbationem -- an ad singulas .. melius adhibeatur oratio: et*

rio eventu fieri possit. Ita etiam intelligitur, quapropter verba *potest accidere* primo loco posita sint. Acad. 2, 38, 121. *quis enim potest — si quid adversi acciderit, extimescere ne id iure evenerit?*

164) Errore factum esse puto, quod Wopkensius scripsit *cernit quod optimum sit* pro *quid o. s.* Tamen ipsum illud non falsum esset. Ovid. Fast. 1, 91. *ede simul causam, cur de coelestibus unis, sitque quod a tergo, sitque quod ante, vides.* Posito *quid*, in verbo *cernere* simul comprehenditur iudicium de optimo instituendum.

165) Cic. Brut. 75, 260.

*utrum illudne non videatur aegre ferendum, ex quo ſuſcepta ſit aegritudo, an omnium rerum tollenda omnino aegritudo.* Quamvis iſta *et utrum* et planius tantummodo explicent, quod proxima periodo dictum fuerat; non tamen propterea adduci poſſum, ut aut pro *et utrum*, *id eſt utrum* legendum exiſtimem, aut totum illud gloſſatori nugivendulo acceptum referam. Nam ſaepiſſime duae ſententiae ſic connectuntur, ut poſterior explanet tantummodo et illuſtret priorem, nihil amplius. ſupra cap. 12... *in aliis iracundia dicitur, quae ab ira differt, eſtque aliud iracundum eſſe, aliud iratum.* quae poſteriora cum omnem gloſſematis ſpeciem prae ſe ferant, impunita tamen ab intt. dimiſſa ſunt; credo, quod eadem quoque commemorat Nonius v. *Iracundus.* Pergam ad alia. lib. II. c. 4. *quod in officio, cuius magiſter eſſe volt, labitur, artemque vitae profeſſus delinquit in vita.* Fin. III, 21. *numquam aequitatem ab utilitate poſſe ſeiungi, et quidquid aequum iuſtumque eſſet, id etiam honeſtum; viciſſimque* etc. lib. II, 4. *verbum Latinum par Graeco, et quod idem valeat.* N. Deor. III, 12. *corpus autem immortale nullum eſſe, ne individuum quidem, nec quod dirimi diſtrahive poſſit.* Acad. I, 4. *illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, et nulla adfirmatione adhibita, conſuetudinem differendi*
99 *reliquerunt.* Lactant. lib. I. c. 20, 16. *apud quam* (gentem) *ipſa vitia religioſa ſunt, eaque non modo non vitantur* (forte legendum *vetantur* [166])*, verum etiam coluntur.* i. e. conſecrantur. adde quae cl. Iac. Gronovius ad Pomp. Melae prooemium. Hinc nil quo-

166) Hoc nimium eſſet, non melius. *Vitium vitare* etiam Horatius dixit Serm. 2, 2, 54.

que novandum lib. III. c. 33. *illum ſuo indicio, et quod ſe ita putet oportere facere, moerere.* ubi coniunctionem deletam voluit cl. Bentl. de Fin. I. c. 10. *temporibus autem quibuſdam, et aut officiis debitis, aut rerum neceſſitatibus, ſaepe eveniet* etc. ubi Lamb. illa, *et a. o. d. a. r. neceſſitatibus*, aliena et inculcata putat; Grut. pro *et*, *id eſt* ſubſtituit; Daviſ. ſic tentat, *ut aut officiis impedientibus aut rerum neceſſitatibus* etc. Quid vero, inquit, ſint *debitae rerum neceſſitates*, haud equidem intelligo. Sed nil opus eſt, ut vocem *debitis* quemadmodum cum *officiis*, ſic etiam cum *neceſſitatibus* conſtruas. Cum priore autem ſubſtantivo ſaepius iungitur. vide ad Att. XII. ep. 24. Fam. V. ep. 8. [167]) Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ. Aliquando autem coniunctio copulativa in iſtiusmodi explanationibus omitti ſolet, ut docuit cl. Cortius ad Saluſt. Cat. c. II, 3.

---

## CAPUT XVIII.

*In lib. IV. Tuſc. vulgata Ciceronis lectio aliquoties adſeritur et illuſtratur.* **Premere omnia humana. Comprimere animum.** *Cicero defenditur. Andronicus Rhodius, Xenophon et Heſychius emendantur.*

Cicero Tuſc. IV. cap. 28, 61. *Inter omnes enim convenire oportet, conmotiones animorum a recta ratione averſas eſſe vitioſas; ut etiamſi nec mala ſint*

167) **Hunc locum egregie expoſuerunt Matthiae in Program. p. 9. et Goerenzius in notis.** *Tempora* **enim ſunt aut officiorum aut neceſſitatum.**

*illa, quae metum aegritudinemve, nec bona, quae cupiditatem laetitiamve moveant, tamen vitiosa sit commotio.* Sensus est, constare inter omnes, tametsi res illas, quae perturbationes et conmotiones in nobis concitent, esse indifferentes concedatur, ipsas tamen conmotiones, a rebus illis indifferentibus concitatas, vitiosas esse, siquidem a recta ratione deflectant. Hunc sensum cum verba per se, tum quoque sequentia evincunt: *Quare omnium philosophorum, ut antea dixi, una ratio est medendi; ut nihil, quale sit illud, quod perturbet animum, sed de ipsa sit perturbatione dicendum.* et antecedentia:... *sed omnis eiusmodi perturbatio animi placatione abluatur illa quidem, cum doceas nec bonum illud esse, ex quo laetitia aut libido oriatur, nec malum, ex quo aut metus aut aegritudo.* lege quoque seqq. et cap. 31. *ut si iam difficile sit persuadere, nihil earum rerum, quae perturbent animum, aut in malis aut in bonis esse habendum* (non erat, cur mutato ordine mallet vir acutissimus, *aut in bonis, aut in malis esse habendum:* similiter enim hoc loco, quem iam defendimus, *etiamsi nec mala sint nec bona:* ad quem ille silet.) *tamen alia ad alium motum* etc. Quae cum ita sint, non possum sane comminisci, cur menti Ciceronis contrarius visus fuerit is sensus, quem lectio haec vulgata fundit [168].

Ibidem: *constantem enim quemdam volumus, sedatum, gravem, humana omnia prementem illum esse*

168) Non tam facile credamus in uno Ursini codice omissas esse voculas *nec — nec,* aut corrigendas eo modo, quem omnes editores post Lambinum probaverunt, quam ut omnium librorum scripturam defendamus, ambigua et obscura dictione Ciceroni aliquoties concessa. Ille enim

*quem magnanimum et fortem virum dicimus.* Tentatur, *humana omnia spernentem.* *Premere* autem calcandi notione accipit cl. Davisius. Bene quidem, si additum fuisset *veluti pedibus*, aut simile quid; iam vero haud minore iure *premere* hic supprimendi significatu accipi posse videtur. Apposite quadrat illud Senecae de Ira III, 6. *Eodem modo sublimis animus, quietus semper et in statione tranquilla collocatus, in-* 101
*tra se premens quibus ira contrahitur.* Ita hic quoque Tullius de constringendis et supprimendis iis principiis loqui videtur, quibus quaeque conmotio aut perturbatio concitari soleat [169]). Idem dici arbitror *animum comprimere*, supra lib. II. c. 22. *Atque haec cogitatio - - non solum animum comprimit, sed ipsum etiam dolorem - - mitiorem facit.* nam *animus* notat illic partem animi *παθητικὴν*: ut pro Marcello c. 3. *animum vincere: iracundiam cohibere:* cum nota Buchneri. *Comprimere duas partes animi temerarias*, ex Platone dixit noster de Divin. I, 29. Sic nihil esse videtur, cur viri cll. pro *comprimit* in eo loco legerent *confirmat* aut *componit;* quod idem eruditissimum Schröderum iam video praecepisse, quem vide.

Cap. XXXI, 65. *Mihi quidem in tota oratione ea, quae pertinet ad animi perturbationem, una res vi-*

cogitasse videtur haec: etiamsi perturbationes animi ab ea parte, quod nec mala sint, quae metum aegritudinemue, nec bona, quae cupiditatem laetitiamve moveant, improbari debeant, tamen ipsa adeo commotio vitiosa est.

169) *Premere* dicitur de omnibus rebus, quae ne exsurgant aut evagentur, moderatione et temperatione cohibentur: veluti *luxuries arborum premitur falce* apud Ovid. Met.

*detur causam continere, omnis eas esse in nostra potestate, omnis iudicio susceptas, omnis voluntarias. Hic igitur error est eripiendus, haec detrahenda opinio. Hic igitur* etc. h. e. Quum itaque perturbationes ita sub potestate sint hominis, ut iis non percellatur nisi velit, dum sic fieri oportere opinetur; pravum hocce iudicium opinioque ista perversa, qua sic fieri oportere sibi persuadeat, discutienda est. Non sunt haec tam rigide ac morose urgenda, ac si his verbis non posset alius sensus extundi, nisi ut omnes perturbationes esse in nostra potestate etc. error sit eripiendus, ac detrahenda opinio [170]).

Cap. XXXIV, 72. *Amorem ipsum conatum amicitiae faciundae.* Loco huic illustrando conferebat Davisius verba ista Andronici Rhodii, *περὶ παθῶν* p. 525. *Ἔρως δὲ ἐπιθυμία φιλίας, ἢ ἐπιθυμία θροῦ εἰς ναῶν κατὰ κόσμησιν καλῶν, ἣν ἐπιβουλὴν καλοῦσι φιλοπονίας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον.* Sed cum legebat
102 vir cl. *Ἔρως δὲ ἐπιθυμία φιλίας, ἢ ἐπιθυμία ἈΝΘΡΩΠΟΥ εἰς ΝΕΟΝ κατὰ κόσμησιν ΚΑΛΩΝ, ἣν ἘΠΙΒΟΛΗΝ καλοῦσι ΦΙΛΟΠΟΙΙΑΣ διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον:* ego quidem ista *ἐπιθυμία θροῦ εἰς ναῶν κατὰ κόσμησιν καλῶν*, sic potius refecerim: *ἐπιθυμία ΘΗΡΙΩΔΗΣ ΝΕΩΝ κατὰ κόσμησιν καλῶν.* In voce autem *φιλοποϊὸς* temeratus quoque videtur locus Xenoph. *Κυρουπαιδ.* lib. II. p. 51. A.

14, 629, et *populi ditione premuntur* apud Virgil. Aen. 7, 737. *Humana* autem appellantur 'quicumque animi humani conatus, agitationes, commotiones, quibus magnanimus vir moderationem adhibere debet ac solet.

170) Wopkensium non satis intelligo. De Bentleii emendatione *animi perturbationes* diximus ad p. 118.

[2, 31] ubi manipularius quidam rogatus, cur quotidie fecum haberet adolefcentem, hirfutum quidem ac deformem, cuius confuetudine et conſpectu maxime delectaretur, huius benevolentiae fuae caufam commemorat fummam adolefcentis obfervantiam ac fedulitatem. Tum excipiens quidam alius, tu vero, inquit, cum talis ſit, non ofcularis eum uti cognatos foles? Et deformis ille adolefcens, *μὰ Δία, ἔφη· οὐ γὰρ φιλόπονός ἐστιν· ἐπεὶ ἤρκει ἄν αὐτῷ, εἰ ἐμὲ ἤθελε φιλεῖν. τοῦτο ἀντὶ πάντων τῶν γυμνασίων.* Leunclavius: *Non profecto, ait; nam minime laborum eſt tolerans; quippe ſi me vellet oſculari, omnium hoc ei certaminum loco eſſet.* Quid? an non legendum potius? *μὰ Δία, ἔφη· οὐ γὰρ ΦΙΛΟΠΟΙΟΣ ἐστιν* etc. *Minime vero, ait; neque enim is eſt, qui amicitiis contrahendis operam det; quandoquidem ſi me oſculari vellet, haec ei una citra omnes alias exercitatio ſufficeret.* [171]) Evidens quoque vitium occupavit iſta Hefychii: *φιλοποιὸς, φιλεργὸς· φιλοπονία, σπουδαῖα ἔργα. φιλοπόνος, φιλεργὸς, σπουδαῖος.* legendum videtur: *φιλοποιὸς, ΦΙΛΟΥΡΓΟΣ. φιλοπονία, ΣΠΟΥΔΗ, ΦΙΛΕΡΓΙΑ. φιλοπόνος*, etc.

Cap. XXXV, 74. *Sic igitur adfecto haec adhibenda curatio eſt, ut et illud quod cupiat, oſtendat quam leve.. ſit...: abducendus etiam eſt nonnumquam ad*

171) Hac mutatione omnis faceti dicti feſtivitas perit. De loco Hefychii Stephanus in Indice in Thefaur. p. 169. „Hefychius φιλοποιὸς exponit φιλεργὸς, nimirum ut ſit non ὁ φίλους ποιῶν, fed ὁ φιλῶν τὸ ποιεῖν.“ Etiam in φιλουργὸς deſideratur analogiae et ſignificationis demonſtratio. Ruhnkenius coniecit φιλοπονίαι: praeter neceſſitatem. In Libanii Declam. T. IV. p. 219. Reisk. legitur

*alia.* Nota coniunctionem *et.* Loquitur ſic Cicero, ut ſi additurus fuiſſet, *et nonnunquam etiam ad alia*
103 *abducat;* cum tamen, praeciſo orationis filo, addat, *abducendus etiam eſt nonnumquam ad alia.* Hoc non concoxit vir cl. qui ſubſtituebat, *ut ei illud quod cupiat, oſtendatur.* Nos illud *oſtendat* iam tuiti ſumus ad Acad. I, 1. Nunc illud porro velim obſervari, pronomen *ei* facillime abeſſe poſſe, ſecundum omiſſionem longe uſitatiſſimam, de qua ad N. Deor. II, 48. Deinde ſimilem coniunctionis uſum in notis ad epiſt. ad Att. probabat alicubi P. Manutius; cuius obſervationis locus quamvis ad manum non ſit, ſatis tamen habere me exiſtimo, in quo acquieſcam. [172])

Cap. XXXVI, 77. *Quid enim eſt quo non progrediatur eodem ira quo furor?* Habeat haec loquendi ratio ingratum quidpiam auribus noſtris, ſitque aſperior illa appoſitio *eodem quo furor;* languidam ſane, vixque Tullio dignam efficere orationem videntur, qui hanc nobis lectionem propinant, *Quid e. e. q. n. p. ira? eo demum quo furor.* Locum potius ſanum eſſe habeam, quemadmodum etiam habuit P. Faber ad Acad. II, 25. Relativum *quod* ſaepius ita, quemad-

καὶ κατὰ τὸν βίον ἥδιστον, Φιλογελών τε καὶ Φιλόπονον καὶ πολυτελῆ τὴν δίαιταν. Scribendum mihi videtur Φιλοποιὸν, de iuvene dictum, qui lautas ſuas dapes amicis indulgenter offerebat.

172) Orellius cum Manutio et Lambino ſcripſit *ut ei illud.* quod facillimum erat. Quae ipſe ad quaeſtionem de uſu vocabuli *et* inſtituendam affert, nihil efficiunt. Dicam de hac re in Turſellino. Hoc loco diſplicet illud *ei.* De eiusmodi ſtructuris, in quibus alterum *et* cum alia dictione commutatur, ſubtiliter diſſeruit Matthiae de Anacoluthis apud Cic. in Wolfii Analect. 3. p. 5.

modum hic *quo*, explicatur verbis ſequentibus, ut quaedam vis conſtructioni inferatur. Vide quae ad Divin. II, 41. dicturi ſumus, ubi ſimilia plane offendes quamvis genuina, gloſſematum tamen formam repraeſentantia; quemadmodum inconſiderato lectori in hoc loco triga iſtà *eodem quo ſuror*, nugatoris cuiuſdam commentum videri poſſet. Porro etiam conſtructionis iſtiuſmodi turbas ſaepius dari, demonſtrabimus ad N. Deor. II, 24. [173])

---

## CAPUT XIX. 104

*Pergitur ad lib. V. Cic. Tuſc. in quo quinque loca vindicantur, unus emendatur.* Congruere cum aliqua re. *Conſtructio a relativo pron. inchoata ſiſtitur. Vell. Paterc. defenditur. Ordo orationis adſtruitur obſervandus. Cicero ter, Min. Felix bis defenditur, cum uno loco Lactantii et Quinctiliani.* Enim *poſt interrogationem. Cicero defenditur et emendatur.*

Tranſimus ad lib. V. Tuſc. cap. 1, 3. *Vereor enim ne natura. . animos quoque dederit et corporum doloribus congruentes, et ſeparatim ſuis angoribus et moleſtiis implicatos. Animi corporum doloribus congruentes* ſunt qui, cum doleant corpora, dolore ſimul afficiuntur, eaque ratione cum corporibus concordant.

173) Correctione non opus eſt. Nam et *quo* ponitur pro *quod* non tantum in formula *non quo*, ſed in aliis quoque, ut apud Livium 2, 13, 2. *quo nihil ſe praeter errorem inſidiatoris texiſſet.* et hoc loco ineſſe poteſt cauſſalis notio, ut ſit: *quid enim eſt, quare non progrediatur eodem ira, quo furor?*

Variis modis ingenium ſuum Lambinus exercuit; infauſtis vero, uti ſaepiſſime ſolet, avibus. Sin autem *conruentes* legamus, pro *congruentes*, videndum erit, ſi qua adiungi exemplorum auctoritas poſſit. Quamdiu vero ea res mihi haud ſatis conſtabit, lectionem vulgatam retinebo; quum praeſertim pari modo loquatur auctor infra c. 24. *cum totius mundi motus converſionesque perſpexerit, ſideraque viderit innumera coelo inhaerentia cum eius ipſius motu congruere, certis infixa ſedibus:* i. e. ſimul cum eo moveri: ut in hoc loco *cum doloribus congruere*, eſt ſimul cum iis dolere. [174])

Cap. III, 8. *quam, ut ſcribit auditor Platonis, P. H., v. d. i. p. Phliuntem ferunt veniſſe, eumque cum Leonte* etc. Pronomen *eum* ſiſtit quidem illud
105 συντάξεως curſum, ſi ſpectes relativum *quem;* ſed parilis eſt impeditae conſtructionis durities in his exemplis. (Acad. I, 8. *quam vim animum eſſe dicunt mundi, eandemque eſſe mentem ſapientiamque perfectam*) lenius haud dubie hoc modo flueret oratio.. *ac mentem ſap. perf.* de Fin. II, 2. *nam hunc ipſum ſ. ſ. ſ. e. ſ. u. definiebat id eſſe, quo omnia referrentur, neque id ipſum uſquam referretur.* elegantius dixiſſet Cicero ad analogiam, *quodque ipſum nuſquam referretur.* N. Deor. III, 40. *proque urbis muris, quos vos.. ſanctos eſſe dicitis, diligentiusque urbem religione, quam ipſis moenibus cingitis,* etc. tu hoc vel tali modo voluiſſes - - *dicitis, qui diligentius urbem* etc. Virgil. X. Aeneid. v. 519.

174) Tacit. Hiſt. 1, 7. *forte congruerat, ut Clodii Macri et Fonteii Capitonis caedes nunciarentur.*

*Quattuor hic iuvenes — —*
*Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,*
*Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.*

h. e. *utque captivo rogi* etc. Lactant. Inst. V, 2, 11... *qui et gloriam q. s. non est adeptus, et gloria quam captavit, in culpam r. q. conversa est.* i. e. *cuiusque gloria, quam* etc. vide quoque c. 19, 2. Et D. Lucas Act. III, 13. ὃν ὑμεῖς παρεδώκατε, καὶ ἠρνήσασθε αὐτὸν etc. [175]) Durius quidem illud Vell. Paterc. lib. II, 6, 4... *Fulvium Flaccum... quem C. Gracchus i. l. T. f. triumvirum nominaverat, eumque socium regalis adsumserat potentiae; morte adficit.* sed nescio tamen an nil ibi movendum sit, quod quidem pace dixerim acuminis virorum insignium, qui pro *eumque, eoque, dein*, et *denique* coniecerunt. [176])

Cap. V, 13. *ut ad eas cursim perrectura, nec eas beata vita a se desertas passura videatur.* Ordinem verborum sic constituit editor cl. - - *perrectura beata vita, nec eas a se desertas passura videatur.* Pariter lib. IV. c. 13. *Itemque viribus corporis et nervis et* 106
*efficacitati similes, similibus verbis animi vires nomi-*

175) Herodot. 9, 21. κατὰ συντυχίην δὲ Μεγαρέες ἔτυχον ταχθέντες, ᾗ τε τὸ ἐπιμαχώτατον ἦν τοῦ χωρίου παντὸς, καὶ ἡ πρόσοδος μάλιστα ταύτῃ ἐγίνετο τῇ ἵππῳ. Frequentior est usus in diversis pronominum casibus.

176) Illud *eumque* factum est ab editore Basileensi. Princeps editio habet *eum*. Ruhnkenius coniecit nimium audacter *quem — nominatum, socium — assumserat.* Ipsa res et orationis compositio docent legendum esse: *quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris triumvirum nominaverat, tum socium regalis adsumserat potentiae.* Primum enim Gracchi consilium spectabat triumviratum: tum vero regiam potestatem appetebat socio assumpto.

*nantur:* legebat *ſimilibuſque verbis*, quo ſuavior redderetur oratio; cum tamen haec loca ſe invicem confirmare ac ſtabilire videantur. Et ſane in his conſtructionum συγχύσεσι neſcioquomodo ſibi indulſerunt veteres, utut iſta palato noſtro diſpliceant. ſupra IV, 17. *cui aeternitas omnis totiusque mundi nota ſit magnitudo.* cap. 25. *Num, aut egiſſe umquam iratum Aeſopum, aut ſcripſiſſe exiſtumas iratum Accium?* II, 18. *quibus quod honeſtum ſit, ſummum bonum; quod turpe, ſummum videtur malum.* de Divin. I, 27. - - *ſe interfectum, in plauſtrum a caupone coniectum.* de Leg. I, 22. *quibus illuſtratus, ſapientia duce, bonum virum, et ob eam ipſam cauſam cernat ſe beatum fore.* vide lib. III. c. 1. et de N. Deor. I, 42. et paſſim alibi penes Ciceronem. Lactantius Inſt. I, 1. extr. *ſciet quo referenda, et quemadmodum ſibi vita degenda ſit.* c. 3, 15. *neque tantam intelligentiae lucem pectus humanum, neque explanationem tantarum rerum capit lingua mortalis.* lib. II, c. 7. *quia ut ſol oculorum, ſic ſapientia lumen eſt cordis.* vide c. 9, 24. lib. VI. c. 5, 1. Epit. cap. 70. et alibi. Min. Felix. Oct. cap. 19. *Idem interpretando Iunonem aera . . ignem eſſe Vulcanum.* -- cap. 21. *Haec tamen Aegyptia quondam, nunc et ſacra Romana ſunt.* Certum ſit igitur, omnia ſe recte habere cum in locis propoſitis, tum quoque Acad. lib. I. c. 9... *quamquam oriretur a ſenſibus, tamen non eſſe iudicium veritatis in ſenſibus.* Lambinus vocem *iudicium* poſt *quamquam* locabat. de N. Deor. lib. II, 17. *Ita efficitur animantem, ſenſus, mentis, rationis mundum eſſe compotem.* Daviſius reponit *compotem eſſe mundum*, vel *Ita efficitur,*
107 *mundum eſſe animantem, ſ. m. rationis compotem.* Min. Felix Oct. cap. 34. *et tamen ipſi artifici Deo*

*ſoli et ſolubilem, et eſſe mortalem.* idem vir cl. *eſſe, et mortalem,* cap. 40. *Poſthaec laeti hilareſque diſceſſimus; Caecilius, quod crediderit; Octavius gaudere, quod vicerit,* aut deleri illud *gaudere*, aut poſt *crederet* collocari volebat ille. Lactantius Epit. cap. 45. *quas* (animantes) *Deus et inſtructas ad inferendam, et munitas ad vim repellendam figuravit,* legebat *ad repellendam vim,* aut pro *inferendam, infeſtandum.* Quinctil. Declam. II, 6. *quae diſcurſum, quae exigunt laborem.* transponebat Francius, *quae diſcurſum exigunt, quae laborem.* 177)

Cap. IX, 26. *An malumus Epicurum imitari, qui multa praeclare dicit? quam enim ſibi conſtanter convenienterque dicat, non laborat.* Nota interrogandi perperam poſt *imitari* pingebatur; quae ſi eo, quo vides, loco collocetur, non eſſe credo, cur cum viris eruditiſſimis aut deleas vocem *quim*, aut *autem* ſubſtituas. Coniunctiones *nam* et *enim* hoc modo ſaepius orationem interrogatoriam excipiunt. infra 27. *Dolorem vero* (cur autem maluit cl. Bentleius, *Doloremne?*) *ſapiens extimeſcet? is enim huic maxime ſententiae repugnat.* ſupra lib. I. c. 34. *ubi igitur malum eſt? quoniam nihil tertium eſt.* lib. IV. c. 26. *An ſine miſericordia liberales eſſe non poſſumus? non enim ſuſcipere ipſi aegritudinem propter alios debemus.* vide Lactant.

177) Diſtinguenda erant haec exempla, quorum alia ſubiecti nomen habent in altera parte ſententiae, alia verbum ad utramque referendum in ſecunda parte reponunt: in aliis denique mera eſt tranſpoſitio verborum ob vim voculationis. In nonnullis ſcripti libri corruptionem produnt, veluti de Nat. d. 2, 17. ubi, omiſſis vocabulis *mundum eſſe,* conſtare poſſe videtur ſuſpenſa oratio.

Inst. II, 2, 22. [178]) Hinc etiam Acad. II, 24. legendum forsitan: *Quam multa ille contra sensus, quam multa contra omnia, quae in consuetudine probantur? An dissolvit? id enim mihi quidem non videtur. Sed dissolverit sane, certe* etc. ubi vulgo legitur, *At dissolvit. Idem mihi quidem* etc.

Cap. XIV, 40. *An dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere, quo vita beata complectitur, si id*
108 *possit amitti.* Si quid mutandum, malim equidem pro *complectitur*, legere *compleatur*, quam *completur*, quod substituere in mentem venit emendatori doctissimo. [179]) Sequitur: *nisi omnia sibi in se posita censebit*, quam lectionem non sollicitasset idem vir reverendus, si ob oculos versatus fuisset is locus, cap. 10. *tum potuerunt clarissima voce profiteri, . . omnia sibi in se esse posita, nec esse* etc.

178) Hac dictione nihil frequentius, nihil rectius. In loco Academic. critici ante omnia debebant narrare, quid in codicibus invenissent. Ii si consentiunt cum antiquis editionibus, scribendum erit: *quam multa ille contra sensus, quam multa contra omnia, quae in consuetudine probantur. Dissolvit idem. Mihi quidem non videtur.* Coniunctione non opus est. Interponitur adversans sententia: idem qui talia praecepit, eadem rursus reiecit.

179) Infinitivum *complecti* et participium a Cicerone aliisque bonis scriptoribus passivo sensu usurpatum esse, facile credamus Prisciano, non item in reliquis formis. Codices non pauci exhibent: *quod vita beata complectitur.* Et demonstrandum erat, hoc inversa ratione dici pro *quod vitam beatam complectitur.*

## CAPUT XX.

*Sex loca Tullii defenduntur: duo illustrantur.* **Credere alicui**, *i. e. se committere.* **Indicare,** *percipere. Oratio ex absoluta fit interrogans. Genitivus notandus illustratur. Unus Quinctiliani, tria Ciceronis loca adferuntur; cujus etiam unus emaculatur.* **Adiungere auctoritatem.** *Perissologia una et altera illustratur.*

Eodem lib. V. Tusc. cap. 20, 58. *Qui cum haberet etiam.. quosdam adolescentes amore coniunctos, credebat eorum nemini.* Nisi verbum *credebat* referendum sit ad sequentia *corporis custodiam*, locutio similis illi erit, qua Phaedrus utitur lib. V. fab. 2.

*Scio quod virtuti non sit credendum tuae.*

Silius Ital. XIII, 198.

*— — medicatae cuspidis ictu*
*Proelia moliri, et nudo non credere ferro.*

Salluſt. Jug. c. 72. *neque loco, neque mortali cuiquam aut tempori satis credere.* ubi vide doct. Cortium. Sic huic Ciceronis loco non opus erit τῷ *se.* [180])

Cap. XXI, 61. *Quamquam hic quidem tyrannus ipse iudicavit, quam esset beatus.* i. e. recte percepit. sic infra c. 24... *iudicandi quid cuique rei sit congruens.* Acad. I, 5. *quid rectum in oratione pravumve, iudi-* 109

180) *Credere* simpliciter dicitur pro confidere, fidem habere, de quo usu disputavit Burmann. ad Valer. Flacc. I, 532. et ad Lucan. 1, 227. Dictionem *tempori credere* illustraverunt Graevius ad Cic. Catil. 1, 9. Burmann. ad Quinctil. Declam. 6, 16. In Horatii Epist. 1, 1, 48. *meliori credere non vis* est sapientiori se credere.

*cando.* vide Fin. II, 6. Coniiciunt tamen viri docti legendum esse *indicavit.* [181])

Cap. XXVI, 73. *An Epicuro, qui tantummodo induit personam philosophi, et sibi ipse hoc tamen nomen inscripsit, dicere licebit* etc.? Verborum sensum haud recte adsecutus videtur V. D. cum legeret *quia tantummodo* etc. nihil enim ista, *qui tantummodo -- inscripsit*, ad rem faciunt, nisi ut Epicuri mentioni odii ac vituperationis notam apponant. sic ex. gr. infra: *Huic ergo, ut dixi, non multum differenti a iudicio ferarum, oblivisci licebit sui?* quid an illic legendum, *quia non multum a. i. f. differt, o. l. s.?* Est haec sane propositio talis incidens, de qua lege cel. Clericum, Logicae P. II, c. 6, 5. [182])

181) Et legitur ita in codicibus non paucis. Tamen praestat *iudicavit*, quod est *sensit.* Neque poterant Lambinus et Bentleius illud *indicavit* propterea praeferre, quod hic potius de declaratione conditionis, in qua Dionysii animus tum versatus esset, non de iudicio ageretur: haec enim est sententia Ochsneri in Eclogis p. 305. *Iudicare* et *iudicium* dicitur etiam de animi interno sensu, et de conscientia, et de rerum perceptione proxima, quae omnia commune habent iudicium, nulla alia re intercedente: quod nos nominamus *Gefühl, fühlen.* Atque cum hac veterum notione comparari potest definitio, qua Friesius meus in Anthropologia p. 130. istam animi facultatem sentiendi ad iudicii naturam retulit. Ita dicitur a Cicerone in Academ. 2, 10, 29. *iudicium veri* et 1, 8, 30. *veritatis iudicium*, quod a sensibus ortum, non sit tamen in sensibus.

182) Relativam enuntiationem quamcumque in locum caussalis succedere posse, res est nunc satis cognita. Exempla vero, quae Ramshornius in Grammat. p. 569. contulit, aliena sunt omnia. Cic. de Nat. deor. 2, 15, 41. *solem quoque animantem esse oportet, et quidem reliqua astra, quae oriantur in ardore coelesti.* Walkerus e cod. reg.

Cap. XXVII, 76. *Sint ſane illa genera bonorum, dum corporis et externa iaceant humi,,. alia autem illa divina longe lateque ſe pandant, coelumque contingant: ut ea qui adeptus ſit, cur eum beatum modo, et non beatiſſimum etiam dixerim?* Voculam *ut* de coniectura eiicit hinc cl. Daviſius, poſtque *contingant* τελείην ϛιγμὴν ponit. Duriuſculum revera neſcioquid orationi ſubeſt, quodque conſtructionis filum abrumpat, dum abſolute inchoatur, ac definit interrogatorie. Quamquam quid hoc durius, quam quod Virgil. Aen. lib. I, 91.?

*— — nec Teucris addita Iuno,*
*Uſquam aberit, cum tu ſupplex in rebus egenis,*
*Quas gentes Italum, aut quas non oraveris orbeis?*

reſtituendum cenſuit *quia.* Quod ſi accipiatur, Heindorſius exiſtimat neceſſario requiri indicativum: ſed errat, quum addit, pronomen cum ſubiunctivo iunctum idem valere. Et legitur quidem paullo poſt 36, 43. *probabile eſt igitur, praeſtantem intelligentiam in ſideribus eſſe, quae et aetheream partem incolant mundi, et marinis terrenisque humoribus — alantur.* At utroque in loco etiam indicativus bene ſe haberet: immo in altero coniunctivus ad conſtructionem obliquam referri poteſt. Diſcrimen enim intercedit hoc: coniunctivo ita poſito cauſſa exprimitur ad conſtituendam rei notionem, ſed per indicativum additur ea tamquam praedicatum. Nos utrumque reddimus verbis *als welcher,* ſed in conſtructione coniunctivi, qui a cogitatione pendet, magis reſpondet noſtrum *als einer der,* in conſtructione indicativi, *der da.* Philipp. 2, 18, 19. *haec tu non propter audaciam dicis tam impudenter, ſed, qui tantam rerum repugnantiam non videas, nihil profecto ſapis.* Sed de Fin. 3, 12, 40. *itaque mihi videris latine docere philoſophiam et ei quaſi civitatem dare, quae quidem adhuc peregrinari Romae videbatur.* de Orat. 1, 38, 175. *quod tandem os eſt illius patroni, qui ad eas cauſſas ſine ulla ſcientia iuris audet accedere.*

Nofter de Fin. II, 21. *Nunc vero.. fuppeditabit nobis Atticus nofter ex thefauris fuis quos et quantos viros!* [183]) Sic quoque ἵνα abfolute venit apud D. Paul. 1. Corinth. 1, 31. Ἵνα, καθὼς γεγράπται, ὁ καυχώμενος, ἐν Κυρίῳ καυχάσθω.

Ibidem: *quorum imbutae mentes pravitatis errori-*
110 *bus* etc. Lambinus legit *pravis erroribus.* Davifius *pravitatis errores* per Hebraïfmum pravos errores notare exiftimat: quemadmodum Plautus etiam ipfi hebraizare videbatur, cum *formam amoenitatis, perennitatis*que *cibum;* et Lucretius, cum *caliginis aerem atrum* diceret. Quicquid id eft, *pravitatis errores* omnino recte, Ciceroneque digne dicuntur illi errores, quos fecum coniunctos habet pravitas et corruptio, quae mentes hominum pervafit. Min. Felix cap. 26. *Ifti igitur fpiritus non definunt perditi iam perdere, et depravati errorem pravitatis infundere.* quae verba de more fua fecit Cyprianus Idol. Van. p. 396. Eum *calamitatis errorem* dixit Jul. Firmicus de Err. Prof. Rel. pag. 10. *Errorem falfae religionis,* Lactant. Inft. lib. II. c. 3, 15. *Pravitatis falfitatem,* Vincentius Lirin. Common. prope init. *Opinionis errorem*, Cicero fupra III, 33. Acad. II, 13. et 25. Tales quoque funt genitivi in

183) Wolfius etiam abiecit *ut*, et Orellius ftupidum vocavit interpolatorem, qui *ut* a coniunctivo *fit* requiri putaffet. Quid non tribuunt critici ftupori librariorum! Mihi quidem haec Ciceronis verba non negligenter, fed pereleganter dicta videntur. Nam in ipfa interrogationis forma cauffam video mutatae orationis. Dicere voluit Cicero: *ut, ea qui adeptus fit, beatus fit dicendus:* fed fubito mutat fententiam et amplius addit: *cur eum beatum modo et non beatiffimum dixerim.* Nemo profecto haefiffet, fi fcriptum effet, *ut ea qui adeptus fit, haud fcio beatum an beatiffimum eum dixerim.*

his Divin. I, 21. *somnia fabularum.* cap. 2. *furoris divinatio.* cap. 43. *quietis oracula.* cap. 18. *auctoritas vetustatis.* cap. 9. *signum floris.* Tusc. V, 31. *tempestatis calamitas.* in Verrem lib. V. *crudelitatis remediis sanare quid.* Fin. III, 10. *opiniones et iudicia levitatis.* lib. V, 23. *societas communitatis humanae.* l. II. c. 23. *libidinum voluptates*, et Tusc. III. cap. 2. *voluptatum libido.* 184) Quae quidem nihil Hebraismi continere mihi videntur, nec quidquam quod non in omnibus linguis vulgare sit. Saepius autem uti hic Lambinus, sic alibi alii viri docti ad usum illius genitivi offenderunt. Quinctil. Declam. V, 5. *ego mihi plurimum videor adiecisse languori cunctationis mora.* non ausim cum cel. Burm. *cunctatione et mora*, quamvis hoc sit usitatius. Noster Fin. V, 11. *propagabat tamen vitam aucupio sagittarum.*

*Configebat tardus celeres, stans volantes.* 111

*aucupio sagittarum*, i. e. quod sagittis fiebat. Davis. coniicit, -- *aucupio: sagitta enim*

*Configebat* etc.

lib. IV, 25. *Ex ea difficultate illae falsiloquentiae, ut ait Accius, malitiae natae sunt.* ubi alii aliter ingenio suo fruiti sunt. 185) de Divin. lib. I. c. 51. *materiave*

184) Genitivus in plurimis istis exemplis proprietatem rei signat. Atque hic usus satis frequens est. Eadem regunguntur ratione, quae caussam exprimit et eam, quae rei originem exhibet, et eam, in qua occasio apparet et efficientia. Haec distinguere debebat auctor: quamquam recte explicat *aucupium sagittarum* apud Ciceronem. Magis insolenter Livius dixit *gemitus vulnerum* 22, 5. *ira praedae amissae* 1, 5.

185) Vulgo legitur *fallaciloquentiae*, non *falsiloquentiae.* Cur vero scripturam librorum tantum non omnium *falla-*

*quid iuvaret, nisi confectionis eius fabricam haberemus?* legebat doct. editor *confectionibus.* de Leg. I, 23. *voluptatemque, sicut labem dedecoris, oppresserit.* ubi vir cl. *labem decoris* coniicit legendum, uti ediderant Victorius et Gruterus. Sed *labes dedecoris* est quae ex dedecore contrahitur; contrariumque dicitur *decus honestatis*, Fin. I, 10. Sic etiam dicitur *labes turpitudinis*, pro Domo c. 38. *maculae libidinum et flagitiorum*, ibid. c. 9. et in Verrem. l. V. c. 51. *nota turpitudinis*, Catil. Or. I. c. 6. [186]) Quod autem *decus* et *dedecus* saepius permutantur a librariis, id quidem negari non potest. Exemplo sit locus, cuius emendationem coronidis instar hic addam: de Leg. II, 17. *non solum vita cruciati atque dedecore, verum etiam sepultura ac iustis exsequiarum caruerunt.* ubi cum Lambinus voluit, Davisio suffragante, *non solum vita cum cruciatu, atque dedecore, verum etiam* etc. equidem sic potius restituam: *non solum vita cruciati, atque DE-*

*cis loquelae — malitiae* critici prorsus repudiaverint, non perspicio. Aut corrigendum est *fallaciloquae*, quod Nonius in afferendo hoc loco scribere debuit, sed omissis reliquis verbis fecit *fallaciloquentiae.*

186) In his accuratius distinguendum est. Recte enim dicitur pr. Dom. 38. *labes turpitudinis et inconstantiae.* Paradox. 3, 2. *labes libidinis*, quae est per libidinem effecta, illata; neque aliter Tacit. Hist. 3, 24. *abolere labem prioris ignominiae.* Nemo tamen voluptatem hac ratione appellaverit *labem dedecoris*, i. e. a dedecore impositam. Sed aptum erat vocare labem dedecoram. *einen Schandfleck.* Tunc vero mutato verborum ordine dicendum erat *dedecoris labem*, sicuti de Fin. 1, 10. *honestatis decus.* Quapropter probari debet scriptura nonnullorum librorum *labem aliquam decoris*, ut bene dicitur *labes innocentiae* pro Flacc. 10, 24. *Decus* autem significat honestatem et animi virtutem. vid. Tusc. 5, 21, 55.

*CORE*, *verum etiam* etc. Caruerant vita atque decore. [187])

Cap. XXIX, 83. *quorum oratio habetur in omnes partes, ut ab aliis poſſit ipſa per ſe, nullius auctoritate adiuncta, iudicari.* Quod vir celeb. *adiuta* pro *adiuncta* legit, operam ludere omnino videtur. ſic plane de Divin. lib. II. c. 55.., *auctoritatem quidem nullam debemus, nec fidem commenticiis rebus adiungere.* pro Mur. cap. 31. *Quare.. tolle mihi e cauſa nomen Catonis; remove ac praetermitte auctoritatem,* 112
*quae in iudiciis* etc. ſic *addere* et *adiicere auctoritatem* plus ſemel dixit Quinctilianus. [188])

Cap. XXXI, 38. *De morte enim iſta ſentit, ut d. a. ſ, exſtinctum putet.* Haec loquendi forma plus habet ſimplicitatis, quam elegantiae; ſi elegantiam appelles eam, quam hodie ſectantur critici, et non moroſitatem potius nimis delicatam. Hanc iuxta fuiſſet hoc modo loquendum, *mortem quod attinet, d. a. ſ. ex-*

187) De hoc loco coniecturae ſunt factae permultae. Probabilior etiam mihi aliquando viſa erat ea, qua Goerenzius ſcripſit: *non ſolum vita, cruciati dedecore, verum etiam* etc. Sic alii quoque abiecerunt copulativam particulam. At nemo explicuit, unde venerit illud *atque*, quod in omnibus libris legitur: deinde haec dictio *vita carere*, quae opponitur ſepulturae negatae, quaeſita et ambigua eſſe videtur. Quare ſuſpicor Ciceronem ſcripſiſſe. *qui vero ex his et horum ſcelerum principes fuerunt, et praeter ceteros in omni religione impii, non ſolum vita cruciati atque d e d e c o r e s, verum etiam ſepultura ac iuſtis exſequiarum caruerunt.* Salluſt. apud Priſcian. 6, 9, 48. (p. 699. Putſch.) *dedecores multique terga ab hoſtibus caedebantur.* Stat. Theb. 11, 760. *dedecorem vitam amplexi.* Niſi quis praeferat *dedecori*, quod legitur apud Plautum.

188) Inſtit. orat. 8. prooem. 20.

*ſtiuctum putat.* Sed ne in hoc loco quidpiam committas, en praeter alia quae mihi praeſto ſunt, paucula iſta huic ſimilia. de N. Deor. II, 23. *tum autem res ipſa, i. q. v. i. m. a. ſic appellatur, ut ea ipsa res nominetur deus.* lib. III. c. 14. *probabilius enim videtur tale quiddam eſſe animum, ut ſit ex igne* etc. de Orat. II, 38. *nam et omne quod eloquimur, eloquimur ſic, ut eſſe dicamus id, aut non eſſe.* Tuſc. V, 33. *Totumque hoc d. v. ſic praecipit, ut voluptatem ipſam.. expetendam putet.* 189)

Cap. XXXIII. 95. *ut voluptatem ipsam, per ſe, quia voluptas ſit, ſemper optandam.. putet.* Mirum quod in hanc lectionem non inſurrexerint, qui paſſim glossas crepant. Quantam vero glossematis ſimilitudinem habet iſta triga, *quia voluptas ſit!* Cave tamen exteras velut a nugatore prognatum. ſic enim de Fin. lib. II. c. 20. *quem quidem cum ſua voluntate, nulla vi coactus, propter ſidem* etc. de Orat. lib. II. c. 9. *Orator niſi domeſticis ſe inſtruxerit copiis aliunde dicendi copiam petere non poſſit.* Lactant. Inſt. lib. IV, 24, 3. *nec enim mens .. aut comprehendere per ſe poteſt, aut capere veritatem, niſi aliunde doceatur.* quorſum omnis iſta cauda *niſi aliunde doceatur?* Seneca de Ira I, 7. *nec quidquam ſine illa magnificum in bello fortitudo gerit, niſi hinc ſlamma ſubdita ſit.* Huc quoque confer, quae alia occaſione producemus ad N. Deor. I, 16. et Divin. I, 33.

189) His ſimilior redditur locus, ſi ex aliis libris reſtituimus *de morte enim ita ſentit, ut.*

## CAPUT XXI. 113

*Cicero in Tusc. V. bis defenditur, semel emendatur. Stobaeus et Val. Maximus vindicantur.* Aetas *pro iuventute. Neutrum genus pro alio. Manutius, Jensius ac Lamb. Bos notantur. Pleonasmus notabilis adferitur; qua occasione quatuor quoque Tullii loca stabiliuntur, Euripidisque locus dilucidatur.*

Cap. XXXIV. lib. quinti Tusc. Disp. 98. *Quid victum Lacedaemoniorum in Philidititiis nonne videmus* etc.? Stobaeus Serm. 29. rem sic narrat. *Διονύσιος Λακωνικὸν μάγειρον πριάμενος, ἐκέλευσεν αὐτὸν σκευάσαι τὸν Λακωνικὸν ζῶμον. καὶ σκευάσαντος, οὐκ ἤσθιεν· ἤρετο δὲ, κατά τι αὐτῷ ἥδονται ἀηδεστάτῳ ὄντι οἱ Λάκωνες. ὁ δὲ οὐκ ἔχειν ἔφη τοῦτον τὰ ἡδύσματα, ἃ ἐκεῖνος ἔχει· διὰ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσαι.* Locum iam attulit Davisius, qui sic legendum credebat, -- *ἃ ἐκεῖνοι ἐκεῖ.* Sed duo ista pronomina *τοῦτον* et *ἐκεῖνος*, quae referenda sunt ad v. *ζῶμος*, sic possunt intelligi, ut priore designetur hoc ius, quod iam Dionysio esset paratum, et posteriore illud quod Lacedaemoniis parari consuesset.

Cap. XXXVIII, 112. *C. Drusi domum compleri a consultoribus solitam accepimus.* His illustrandis locum Val. Max. profert editor doctissimus, ex lib. VIII. c. 7. *Consimilis perseverantiae Livius Drusus, qui aetatis viribus et acie oculorum defectus, ius civile populo benignissime interpretatus est.* Sed quod pro *aetatis viribus* tentabat ille *effoetis viribus*, a coniectura aberrare videtur; nam sic quoque in seqq. hunc vel talem aliquem in modum legendum esset, *acie oculo-*

114 *rum hebetiore defectus.* Sed iam *defectus aetatis viribus et acie oculorum* is dicitur, quem aetatis vires et acies oculorum defecerint: ut *conſilio ſuo defectus*, ibid. III. c. 1. extr. ſic alii paſſim. Sunt autem *aetatis vires*, vires iuveniles, quemadmodum vox *aetas* ſaepenumero florentem aetatem denotat. ſic *robur aetatis*, Curt. lib. VI. c. 10. Lactant. Opif. c. 3. adi quoque cl. Schulting. ad Senec. Controv. II. c. 14. pag. 212. [190])

Capite ſequente, 113.: *Aſclepiadem ferunt.. cum quidam quaereret, quia ei caecitas attuliſſet, reſpondiſſe, puero ut uno eſſet comitatior.* Codicis cuiusdam iſta lectio, *puero ut uno eſſem comitatior*, non habere videtur, cur editae anteferatur: ſimili enim modo obliquatur oratio ſupra c. 37. *Socrates quidem cum rogaretur, cuiatem ſe eſſe diceret, mundanum, inquit; totius enim mundi incolam ſe et civem arbitrabatur.* Sequitur inferius: *Atque hic vir impediri etiam animi aciem aſpectu oculorum arbitrabatur: et cum alii ſaepe quod ante pedes eſſet non viderint, ille infinitatem omnem peragrabat.* Legendum forſitan.. *non viderent:* vel hoc modo: *et cum alii ſaepe quod ante pedes ſit, non viderint, ille* etc. Sic ſane novatio erit levior, quam iſta doct. Bentleii: *et, cum hi.. non viderent, illa infinitatem o. p.* [191])

190) Aetas proprie dicitur de vegeta et iuvenili aetate. Cic. in Verr. 5, 25, 64. *ſi qui ſenes aut deformes erant, eos in hoſtium numero ducit: qui aliquid formae, aetatis, artificiique habebant, abducit omnes.*

191) In quo libro Wopkenſius invenerit *non viderint*, neſcio: editiones omnes, quae ad manus mihi ſunt, exhibent *viderent*. Bentleius alio commotus erat argumento, ſed falſo.

Cap. XL, 116. *ergo hi in illorum ſermone ſurdi: omneſque id nos in his linguis, quas non intelligimus, quae ſunt innumerabiles, ſurdi profecto ſumus.* Pronomen *id* ſenſui officere viſum eſt viris clariſſimis. Manutius et Lambinus reponebant, *omnesque item*, vel *itidem nos* etc. Daviſius, adſtipulante codice uno et altero Pronomen delebat, aut ceteroquin hoc modo reſcribendum coniiciebat, -- *ſurdi omnes. Quid? Nos in his linguis* etc. Sed primum obſervandum eſt, neutrius generis pronomen ſaepius venire pro eiuſdem aut alius generis adiectivo, quemadmodum pronomen *id* 115
hic exprimit adiectivum accedens *ſurdi* [192]). Ita ſupra cap. 37. *dicuntur -- miſericordes, aut invidi, aut tale quid.* de Leg. III, 7. *excepto tribuno, qui poſt exſtitit, ne id quod fuerat, eſſet.* de Fin. V. c. 30. *Ille vero inſipiens, quod certe, quoniam tyrannus* etc. et lib. IV, 24. *ut iam omnes inſipientes ſint miſeri, quod profecto ſunt* etc. quem locum minus bene explicuit Manutius, quod ad hanc pronominis vim animum non advertebat. Ceterum ſi plura cupias, vide quoque Lactant. lib. I, 16, 7. et lib. V, 19, 2. et Florum lib. IV. cap. 2. cum nota elegantiſſimi Dukeri. Atque huc etiam accenſenda puto neutrius gen. prono-

192) Errat Wopkenſius. Sequitur enim *ſurdi ſumus.* Nemo autem dicere potuit: omnes in his linguis id ſurdi ſumus. Quae infra a Wopkenſio de hac nimia et falſa abundantia diſputantur, nihil efficiunt. Ea enim, magna ex parte vera quidem, non ad hunc locum pertinent. Scripſit Cicero, niſi totus fallor: *omnesque iidem nos in his linguis — ſurdi profecto ſumus.* i. e. omnes item nos. Nam Latini adiectivam formam *idem* pro adverbio *item* ponere ſolent. Cic. de Amic. 18, 65. *eſt enim boni viri, quem eumdem ſapientem licet dicere, haec tenere in amicitia.* de Leg. 1, 23, 61. *idemque quum coelum — perſpexerit* etc.

mina, quibuscum verba *appellare*, *nominare* et ſimilia conſtrui ſolent. ut ex. gr. de Fin. lib. III. c. 16. *primum eſt officium (id enim appello καθῆκον)* etc. ubi non auſim cum edit. clar. reponere *ſic enim*. Livius lib. XXXVIII, 17. *Hi iam degeneres ſunt; miſti et Gallograeci, quod appellantur.* Quae quidem forma quantumcunque habeat ellipſios, id totum voce *negotium* facile compleri poſſe arbitror: [193]) nihil enim poteſt excogitari durius, nihil arceſſitum longius, quam ſupplementum illud erud. Ienſii Lect. Luc. lib. I. c. 8. qui hoc *quod* valere *quod nomen* iudicabat, ut *quod nomen* ſit *quantum ad quod nomen attinet*. Huic tamen errori calculum quoque adiiciebat doct. Lamb. Bos, ell. nom. *ὄνομα;* cui quidem critico inſigni hoc cum Sanctio, Perizonio aliiſque viris eruditiſſimis commune fuit, ut in ſupplendis ellipſibus aliquando nimium eſſet argutus, ſuppletionesque quaereret minus ſimplices ac generales. Ita etiam omnino falli videtur, cum iſta Eurip. Phoen. v. 12.

*Καλοῦσι δ' Ἰοκάστην με· τοῦτο γὰρ πατὴρ*
*Ἔθετο:*

ſic interpretatur, ut nomen *ὄνομα* poſt *τοῦτο* ſubau-
116 diat. *Τοῦτο* complectitur totum illud *καλεῖσθαι με Ἰοκάστην*, quod pater *poſuerat*, h. e. conſtituerat, decreverat, voluerat. [194]) Sed haec ſufficiant de pronominis neutrius uſu, quem in loco Tullii propoſito

193) Minime. Etiam relativum *quod* pro adverbio ponitur. Eſt igitur id quod *quomodo, quo nomine appellantur*.

194) Schaeferus in notis ad Boſii librum p. 352. τοῦτο ad Ἰοκάστην refert, in notis ad Euripidem edit. Porſon. e ſuperioribus intelligit καλεῖν. Sed τοῦτο, ταῦτα, τόδε ſaepe

obſervatum volebamus. Sequitur, ut iam pronomen *id* cum voce *ſurdi*, quae paullo poſt ſubſequitur, conciliemus. Nemo dubitat, quin Tullius ad grammaticam exacte locutus fuiſſet, ſi dixiſſet -- *ſurdi: omnesque id nos in his linguis ſumus, quas non intelligimus, quae ſunt innumerabiles:* ſed quum mox ſe ggerit nomen *ſurdi*, in his *ſurdi profecto ſumus*, periſſologiam iſtam noſtro Cicerone minus dignam eſſe cenſuerunt viri docti. Salva tamen illorum ſententia, mihi vox *ſurdi* a noſtro repetita fuiſſe videtur *σαφηνείας ἕνεκα;* cui ſaepius ita inſervire ſolet, ut, quod inchoata ſententia iam una pluribusve vocibus expreſſerit, idem tamen poſtea per iſtiuſmodi pleonaſmum reſumat. Sic Divin. II, 66. *qui, cum Ptolomaeus -- moreretur, Alexander adſidens ſomno eſt conſopitus.* [195]) cuiusmodi plura dedimus ad Acad. II. c. 5. Neque eſt haec appoſitio durior, quam qua dixit Seneca epiſt. 75. initio: *Qualis ſermo meus eſſet, ſi una ſederemus, aut ambularemus, illaboratus et facilis: tales eſſe epiſtolas meas volo, quae nihil habeant arceſſitum nec fictum.* Eadem ratione, qua locum Tullii in mendo cubare putarunt docti, hunc Senecae ita refingere liceret, ut aut iſta *illaboratus et facilis* deleres, aut pro *Qualis* et *tales*, *Quemadmodum* et *ſic* reſtitue-

pro οὕτως uſurpantur. Vid. Matthiae ad Eurip. Med. 158. κείνῳ τόδε μὴ χαράσσου. Soph. Antig. 1015. καὶ ταῦτα τῆς σῆς ἐκ φρενὸς νοσεῖ πόλις.

195) In hoc loco criticos, tamquam in turbata conſtructione haeſiſſe et coniecturas ſubſtituiſſe, admodum miror. Nam nomen proprium eleganter apponitur, tamquam nova inſtituta eſſet oratio, maxime ob participium *aſſidens*, quod illo quidem loco poſitum ſubſtantivo carere non poterat.

res. [196]) Sed medicinam abstinendam esse quis dubitat? Pari modo Synesius epist. 44. 'Αλλ' ὅπερ εἰσὶν ἐν ταῖς πολιτείαις οἱ δήμιοι, χεῖρες τῶν νόμων· τὴν αὐτὴν αἱ ποιναὶ χρείαν τῇ φύσει τοῦ κόσμου παρέχονται: *sed quod in civitatibus sunt carnifices, manus legum, eundem Furiae usum naturae mundi prae-*
117 *bent.* Nos, ex linguarum nostrarum idiotismo, iniiceremus δηλονότι et *scilicet.* Sic Cic. Fam. lib. XII. ep. 22. *Illud profecto, quoad potero, tuam famam et dignitatem tuebor.* Acad. II, 24. *Illud certe* (scil. nulli rei adsensurum esse sapientem, quod modo erat dictum) *opinatione et perceptione sublata, sequitur omnium adsensionum retentio.* cl. editor legebat, *Illud cerne: opinatione* etc. de Fin. IV, 4. *Quod* (refer hoc ad antecedentia) *etsi ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur* etc. [197]) P. Manutius aut *quod* vitiatum putabat, aut illud *dicendi copiam* extrinsecus iniectum; quem etiam errorem errabat ad lib. I. c. 20. --- *Quod quia nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam iucunditatem vitae tenere possumus* etc. Orationem sic orditur Tullius, ut sic hoc vel tali modo pergere voluisset, *Quod quia n. m. s. a. consequi possimus;* sed id, quod sine amicitia consequi non possimus, significantius exprimere volebat, ideoque ista *firmam et perpetuam iucunditatem vitae* superaddebat; minus quidem de structurae elegantia sollicitus, quam Manutius, qui legendum putabat, *Quodque nullo modo* etc. Rursus in or. pro

196) Haec ad epexegeseos genus pertinent, per appositionem expressum. Vide Goerenz. ad Acad. 2, 24. p. 144.

197) *Quod etsi* dicitur ut *quodsi, quod quia.* Vide quae notavimus p. 86.

Sextio cap. 4. *Venit cum exercitu Capuam, quam urbem* etc. *et inde M. Aulanum, tribunum militum Antonii, Capua praecipitem eiecit.* illud *Capua* expungebat cl. Daviſius in notis ad Tuſc. V, 27. ſed quamvis abundare facile concedam, non tamen exturbandum arbitror. [198]) Coel. ad Cic. Fam. VIII. ep. 4. *quod eum non mediocriter Caeſar, qui ſolet infimorum ſibi amicitias qualibet impenſa adiungere, valde contempſit.* quorſum, inquies, *valde* cum iam praeceſſit *non mediocriter?* feſtinanti calamo Coelii acceptum illud referamus.

198) Etiam Müllerus, qui nuperrime edidit hanc orationem, uncis incluſit ſuſpectum nomen, immemor conſilii, quo Cicero urbis Capuae nomen tam ſaepe hic poſuiſſe videtur.

# THOMAE WOPKENS
## LECTIONUM
# TULLIANARUM
## LIBER SECUNDUS,

*Complectens animadversiones in Ciceronis libros de Natura Deorum.*

### CAPUT I.

*In lib. I. de Nat. Deor. Cicero aliquoties adseritur et illustratur: semel etiam atque iterum emendatur.* Admirari *in constructione notabili. Cicero in transitu defenditur.* Si *supplendum ἀπὸ κοινοῦ. Tullius a coniectura Gruteri defenditur.* Habeo de illa re quid liqueat, *formula Tulliana. Nepos vindicatur.* Si *pro* dummodo. *Cicero obiter rursus adseritur.*

Cicero de Nat. Deor. lib. I. cap. 3, 6. *partim admirantium, unde hoc philosophandi nobis studium exstitisset.* Locum hunc, quod ad Latinitatem, paucis illustrabo; sic tamen, ut alterius cuiusdam in lectione vulgata stabiliendi copiam arripiam. Illud igitur observa, quod verbum *admirari* eandem constructionem
119 atque vim adsciscat, quam *mirari* vel *demirari.* Sic de Finibus IV. cap. 22. *admirati sumus, quid esset cur nobis Stoicos anteferres.* ubi Lambinus, cum

pro *admirati* coniiceret *demirati*, non audiendus fuit, quippe qui non tantum ad locum propofitum de N. Deor. fed etiam ad feqq. ifta plane, et quidem merito, conticuerit. ibidem lib. I. c. 3. *in quibus hoc primum eft, in quo admirer, cur in graviffimis rebus non delectet eos patrius fermo.* ad Att. VI. ep. 9. *admiratufque fum, quod nihilominus ad me tua manu fcripfiffes.* et lib. X. ep. 9. *De diplomate admiror, quafi nefcio cuius te flagitii infimulaverim.* [1])

Cap. IX, 22. *Quid autem erat, quod concupifceret Deus mundum fignis -- ornare? Si, ut Deus ipfe melius habitaret; ante videlicet tempore infinito in tenebris - - habitaverat.* Sic omnino interpungenda funt verba, non ut in recentioribus editis, - - *habitaret. Ante videlicet* etc. Cl. Walker coniunctionem *fi* delebat, fignumque ἐπερωτηματικὸν poft verbum *habitaret* apponebat. Ampl. autem Boherius fignum quidem adfcivit, fed coniunctionem fimul retinuit, quam notione *τοῦ an* accipiebat. At locus, ut mihi quidem videtur, abfque his emendationibus, omni ex parte fanus ac fincerus eft; modo coniunctionem conditionate intelligas, atque ex antecedentibus mente tantum repetas, *mundum fignis ornaffet.* Si Deus mundum ornaffet fignis, ut melius habitaret; fequeretur illud ingens abfurdum, ut ante quam id feciffet, luce deftitu-

1) De hac fignificatione verbi *admirari* iam Gifanius in Obfervat. p. 13. „valet, inquit, interdum idem quod *abfurdum putare*, et quafi infolens reprehendere et iniquo animo ut valde novum et omni ratione alienum ferre.“ Gernhardus ad Cic. de Off. 2, 16, 56. „*admirantur* autem, quae funt contra opinionem omnium, quae videntur in fuo genere nimia.“

tus fuiſſet. [a]) Ad ſimilem ellipſin, cuius quidem expletione nihil eſſe facilius videtur, infeliciter ſe quoque dedit Gruterus in his lib. III. c. 33. -- *periit. Si, quia Druſum ferro, Metellum veneno ſuſtulerat; illos conſervari melius fuit, quam poenas ſceleris Varium pen-*
120 *dere.* ubi ex codice quodam iſtam lectionem producebat, *ſic quia Druſum*, quam quidem immerito plane dicebat aureolam. An rei clarae ac manifeſtae opus eſt exemplis? Ecce tamen pauca de innumerabilibus. infra cap. 35. *Tuus autem Deus non digito uno redundat, ſed capite, collo* etc. *ſi, ut immortalis ſit; quid haec ad vitam membra pertinent?* de Divin. II. c. 25. -- *quae ſi ſigna deorum putanda ſunt, cur tam obſcura fuerunt? ſi enim, ut intelligeremus, quid eſſet eventurum; aperte declarari oportebat.* Acad. II. c. 29. -- *ne tu quidem percipis: ſi, quia obſcura; concedo* etc. Plura ſi deſideres, adi cl. Cortium ad Salluſt. Catil. 51.

Sequitur eodem capite: *cum omnes ſtulti ſint ſine dubio miſerrimi; maxime quod ſtulti ſunt, miſerius enim ſtultitia quid poſſumus dicere? deinde quod ita multa ſunt incommoda in vita, ut ea ſapientes commodorum compenſatione leniant, ſtulti nec vitare ve-*

a) Hunc locum acute expediit Wopkenſius, quem ſi reliqui ſequuti eſſent, non in vanas opiniones incidiſſent. Nomen *deus* iterum poſitum, ideoque ab Erneſtio reiectum, Heindorfius defendere conatus eſt ob vim neſcio quam reconditam. Sed ex quo phyſici de viribus in rerum natura reconditis et occultis diſputare deſierunt, criticis placuit hac nova argumentatione uti. Hic non edocemur, qualis illa vis ſit, aut quo ſenſu percipienda. In ipſo nomine omnino nulla redundat. Oratio autem ita eſt conformata, quaſi nova incipiat. Quare perſpicuitatis cauſſa iterum ponitur nomen.

*nientia possint, nec ferre praesentia.* Haec etiam omni mendo carere arbitror, quamvis aliter visum fuerit viris doctissimis, quorum conatus videat qui velit. Etenim verbis illis, *deinde -- praesentia*, in quibus ad scopum parum dextre collineabant hi commentatores, significat Tullius, incommodorum in hac vita multitudinem esse tantam, ut, quum ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre praesentia. Loquendi forma dilucidari potest ex illis, quae ad cap. 31. dabimus. [3]) Quae autem sequente cap. sic leguntur: *quae, si mundus Deus est, quoniam mundi partes sunt, Dei membra partim ardentia p. r. dicenda sunt:* haec mirum si non sint hunc in ordinem redigenda; *quae quoniam mundi partes sunt, si mundus Deus est, Dei membra* etc. [4])

Cap. XII, 29. *Empedocles - - autem in deorum opinione turpissime labitur; quatuor enim causas, ex*

3) Egregie meruit de hoc loco explicando Matthiae in Observat. a. 1816. editis p. 4. comparans Graecorum usum, quo ea, quae ex altera sive contraria parte valent, et quibus ipsa sententia coerceri aut infringi videtur, ante occupantur, et cum ipso, quod proponitur, iudicio coniunguntur. Ita exsistit sensus: deinde quod ita multa sunt incommoda in vita, ut, quum ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre praesentia. Est hoc aliquod attractionis genus, saepe criticis suspectum, a Krügero in novissima dissertatione de attractione conscripta praetermissum.

4) Nihil necesse est. Tamen Heindorfius assentitur Wopkensio: alii etiam in hoc loco de negligentia loquuntur. *Quae* non cohaeret cum nomine *partes*, sed construuntur verba *quae dei membra dicenda sunt*, interpositis his: si mundus est deus, et quoniam partes mundi sunt. Sed omittitur copula, quoniam conditioni caussa subiungitur.

121 *quibus omnia conſtare cenſet, divinas eſſe vult: quas* etc. Tollatur ominoſum illud interrogandi ſignum, quod utramque Daviſii, nuperamque doct. Verburgii editionem ſubiit, poſt verbum *vult.* Sequitur autem in eodem cap. *Nec vero Protagoras, qui ſeſe negat omnino de Diis habere quod liqueat, ſint, non ſint, qualeſve ſint* etc. Tametſi codices quidam referant -- *de Diis quid liqueat ſcire*, aliique *de Diis ſcire quid liqueat;* cave tamen inde legendum concludas, *de Diis quod liqueat ſcire.* Primum enim *habendi* verbo locus hic tam opportunus eſt, quam infra lib. II. c. 1. *Quod ſi haberem aliquid quod liqueret, tamen te viciſſim audire vellem.* ſupra cap. 3.. *quid quaque de re certi haberemus.* Acad. II, 29. *Si habes quod liqueat, neque reſpondes, ſuperbis.* Tuſc. III, 18. *neque equidem habeo, quod intelligam bonum illud.* Deinde *quid* et *quod* in huiuſmodi locutionibus tam paſſim permutantur, ut nihil eſſe videatur, cur hoc prae illo malis. ſic infra lib. tertio cap. 25. *De quibus habeo ipſe, quid ſentiam; non habeo autem, quid tibi adſentiar.* ubi nil movebat interpres cl. ad Att. I. ep. 12. *Quid praeterea ad te ſcribam, non habeo.* ubi pluribus de iſto genere diſputat Maleſpina. Corn. Nepos Epam. cap. 8. *quod quid diceret, non haberet.* ubi non erat, quod erud. Boſius legendum coniiceret, *qui quod diceret, non haberet;* licet in mſ. Boecleri exſtaret, *qui quid diceret, non haberet.* [5])

5) Cum Wopkenſio faciunt Heuſingerus ad Cic. de Off. 2, 2, 11. Heindorfius ad Cic. de Nat. deor. 3, 25, 64. Matthiae ad Orat. pro Roſc. Am. 15, 45. in praeceptis Erneſtii refutandis docte verſati. Res igitur ſatis demonſtrata eſt exemplis, ratio expoſita non eſt: nam quae Heuſingerus eumque ſequutus Beierus ad locum Offic. afferunt, non

Cap. XIV, 36. *Atque hic idem alio loco aethera Deum dicit; si intelligi potest nihil sentiens Deus.* Coniunctio *si* saepissime dubitationem significat, ut ostendatur in modo dictis inesse aliquid falsi, aut certe dubii. Sic infra c. 37. *Quaero -- quae causa eum loco moveat; si modo moveatur aliquando.* de Div. II, 14.

ex omni parte satisfaciunt. Codices, qui in plurimis locis compendia habent confusa, non magnam auctoritatem adiungunt. Sunt formulae, in quibus aut ipsam rem incertam eiusque notionem adhuc iudicio constituendam esse, aut eam certam et iam definitam esse ponimus. Illud exprimitur per *quid*, quod significat *quid sit quod*, hoc per *quod* i. e. *id quod.* Quare quum dico *scio, quod dicam*, affirmo me rem, quae parata et cognita est, scire: quum dico *scio quid dicam*, illud ipsum *quid dicam* res est quae sciam, nondum iudicio constituta, sed adhuc definienda. In illa formula maiorem vim, etiam voculatione notandam, habet verbum *scio*, in hac gravior vis iniungitur verbis *quid dicam.* Neque aliter in negatione: *nescio, non habeo quid dicam:* accentu posito in *nescio, non habeo*, his verbis nego me scire id, quod mihi dicendum sit: *nescio, non habeo quid dicam:* accentu in *quid* retracto, fateor me illud ipsum nescire, quid statuendum sit de eo, quod dicam. In Cic. de Nat. deor. 3, 25. Heindorfius scripsit: *de quibus habeo ipse quid sentiam, non habeo autem quod tibi assentiar.* falsa quidem, ut videtur, argumentatione, quasi alterum hoc exprimeret caussam, cur Cotta assensus esset. Scribendum est: *de quibus habeo ipse quod sentiam:* (hoc ab utraque parte definitum est; habeo id, quod mihi sentiendum sit.) *non habeo autem quid tibi assentiar* (illud autem, ut in aliqua re assentiar, ipsum mihi incertum est: non tantum non possum tibi assentiri, sed nescio quid sit, quod assentiri tibi possim). Ita facile intelligitur, cur apposito nomine *nihil* semper dici debeat *quod.* Terent. Heaut. 2, 1, 12. *quod respondeam, nil habeo.* Cic. de Nat. d. 1, 5, 12. *nec tamen fieri potest, ut, qui hac ratione philosophentur, hi nihil habeant, quod sequantur.* Sed de Off. 2, 2, 7. *non enim sumus ii, quorum vagetur ani-*

122 *funt igitur artis inventa, non vetuftatis; fi eft ars ulla rerum incognitarum.* i. e. fed dubito, an ars fit ulla rerum incognitarum. pro Ligar. cap. 1. *Atque ille arripuit - - imperium; fi illud imperium effe potuit.* i. e. dummodo illud i. e. p. vide quoque Acad. I, 2. Tufc. IV, 14. Germanicus Caefar apud Lactant. lib. I. c. 21,

— — *Illa putatur*
*Nutrix effe Iovis; fi vere Iuppiter infans*
*Ubera Cretaeae mulfit fidiffimae caprae,*
*Sidere quae claro gratum teftatur alumnum.*

fic etiam Terentius Eun. I. 2. vf. 102. Plin. lib. II. epift. 1. Seneca epift. 99. Salvianus epift. 2. et alii. Haec quidem pluraque talia tanti apud me funt ponderis, ut in loco propofito nihil novandum exiftimem, quamvis cl. Davifius tentaret, - - *dicit. Qui intelligi poteft* etc.? [6]) Atque eodem modo expedienda videntur ifta lib. III. cap. 1. *Spero enim te, ut foles, paratum venire. Tum Cotta, fi mehercule, inquit; neque enim*

*mus errore, nec habeat umquam quid fequatur.* Ita fcribendum eft, fi vis fententiae inhaeret verbis *quid fequatur;* fin vero intenditur negatio, recte fe habet *quod fequatur*, idque codicibus confirmatum recepit Erneftius. Verum eft, quod Erneftius ad Att. 15, 5. ex edit. Rom. reftituit: *plane non habeo, quod fcribam.* etiamfi id reprehenderint Heufingerus et Beierus. Nam Cicero id plane fibi deeffe fatetur, quod de confilio fuo fcribat. Si effet *quid fcribam*, dubitaret de re fcribenda. Quemadmodum p. Rofc. Am. 15, 45. *quid arguas non habes.* i. e. nefcis quid fit id, quod arguas.

6) Ad haec attendere opportuit criticos. Codicis Glogavienfis fcripturam *fed qui intelligi poteft*, apertum effe commentum interpolatoris, nemo non videt.

*mihi par ratio cum Lucilio eſt, ac tecum fuit.* ubi Manutius coniiciebat *ſane mehercule*, Lambinns *ſic eſt mehercule*, Daviſius accinente quodam codice, *non mehercule*, Boherius denique, *ſim mehercule*. At primum obſerva eleganter iungi *mehercule* cum coniunctione *ſi*, ut docuit Cortius ad Salluſt. Catil. cap. 52, 35. Adde quod coniunctio *ſi* ſaepius ita veniat ex antecedentibus ſupplenda et explicanda, quod modo videbamus ad cap. 9. et confirmari poteſt ex iis, quae dedit Vechnerus Hellen. pag. 352. et Burmannus ad Quinctil. Declam. I, 9. His ſi componas, quae iam de relatione eiuſdem coniunctionis diximus; *ſi mehercule* idem erit, quod *dubito ſane, vereor equidem ut ſe res ita habeat*, aut ſimile quid; qualis quidem 125 ſenſus Cottae menti eſt, ſiquid ego video, adcommodatiſſimus. [7])

7) At *ſi* non poteſt ita in apoſiopeſi, quam alii agnoverunt, dici, niſi certa haeſitantis orationis cauſſa intercedente, neque, quae affert Voorda, exempla optativi per *ſi* expreſſi verbo ſuo carent. Quod Erneſtio placuit *ſim*, offendit particulae defectu. Scripſit Cicero *ſic mehercule*, quod cum ironia quadam dicitur: ſcilicet ſic te ſperare neceſſe eſt, ſive, ſic iuvat dicere. Terent. Andr. 3, 3, 22. *ſic hercle: ut dicam tibi, amantium irae amoris integratio*.

## CAPUT II.

*Vulgata lectio in Cic. I. de N. D. ſepties vindicatur. Pronominis* quod *conſtructio tautologica. Locus de Fin. vindicatur.* Μακρολογία *illuſtratur. Pleonaſmus in loco Luciani adſeritur.* Ora ultimi. *Enallage praeſentis et imperfecti. Tullius obiter defenſus.* Credo, *ironice. Cicero ad Fam. corrigitur. Metatheſis illuſtratur. Jamblichus, Cyrillus et Aelianus defenduntur.* φιλοθηρέω *verbum eſſe bene Graecum probatur.*

Eodem lib. I. de Nat. Deorum cap. 15, 36. -- *ut ne hoc quidem diceret, illa inventa eſſe deorum, ſed ipſa divina. Quo quid abſurdius, quam aut res ſordidas atque deformes deorum honore adficere* etc.? Videri poſſent omnia iſta *quam aut* etc. reſecanda; quippe quae, maximo quidem conſtructionis impedimento, explanant tantummodo vim pronominis relativi *quo*, quae ſatis abundeque iam conſtat ex antecedentibus. An vero cum Lambino ſcribendum eſt, *Quaeſo quid abſurdius* etc.? qua ratione συντάξει certe fit ſatis? Mihi plane alia ſtat in animo ſententia, quandoquidem pronomen tam demonſtrativum quam relativum multis aliis in locis ſic per quandam tautologiam explicari video. [8]) ſic plane de Fin. I, 6. *ait enim declinare atomum ſine cauſa: quo nihil turpius phyſico, quam fieri ſine cauſa quicquam dicere?* ubi iſta, *quam*

8) Wopkenſium ſequutus eſt Reizius. Goerenzius, tamquam diverſa ſint, in loco de Nat. deor. interpretatur *quo, licet eo*, in loco de Fin. *ſed hoc.* Utrumque tamen non per ipſum pronomen indicatur, cuius conſtruendi ratio explicanda eſt. Egregie hoc factum eſt a Wopkenſio. Et ille abundantiam vidit ineſſe in addita coniun

*f. ſ.* c. *q. d.* delenda ſtatuunt Manutius, Lambinus et Guietus, ſed cl. Daviſius cum Bruto reponit. *quum nihil turpius* etc. Mihi vero a tantis viris diſſentire liceat, cui duo haec loca ſe invicem tueri ac defendere 124 videntur; praeſertim quum pari modo rurſus Acad. I, c. ult. -- *cenſebat* -- *nihil oportere* - - *adſentione approbare; cohibereque ſemper* -- *temeritatem: quae tum eſſet inſignis, cum aut falſa aut incognita res approbaretur: neque hoc* (nempe falſam aut incognitam rem approbari) *quicquam eſſe turpius, quam cognitioni et perceptioni adſenſionem approbationemque praecurrere.* ubi omnes, quantum ego ſciam, ſilent interpretes: quemadmodum etiam in his Lactantii, quae ſane haud minus dura ſunt, lib. V. cap. 10, 4. *Quid poteſt eſſe hac pietate dementius, quam mortuis humanas victimas immolare?* Eadem plane difficultas ſtructurae curſum impedit in his Tuſc. I, 36. *Hoc premendum etiam atque etiam eſt argumentum, confirmato illo, de quo, ſi mortales animi ſunt, dubitare non poſſumus, quin tantus interitus in morte ſit, ut ne minima quidem ſuſpicio ſenſus relinquatur.* vides ut illud *de quo* in ſequentibus ſic exponat auctor, ut illius elegantiae, quam flagitant critici, parum ſe ſtudioſum declaret. confer quae adnotabimus ad Divin. II, 41.

Cap. XVI, 43. *Ex illo coeleſti* etc. Quod Lucianum gloſſemate foedari exiſtimat doct. Daviſius, in his Icaromen. p. 187. *Μένιππος ἡμῖν διοπετὴς πάρεστιν ἐξ οὐρανοῦ*, dum duas poſtremas voces pro adſtitiis et ſpuriis delet; equidem hanc ſtyli abundantiam ex

ctione *quam*, non in pronomine praemiſſo, ut viſum eſt Ientzenio in *Cenſura inſign. loc. qui in Cic. 1. libro de Nat. deor. leguntur* p. 40. Apponitur enim explanatio, quae comparationi iniungitur per inſertum *quam.*

ipſo Luciano, aliiſque cuiuſcunque linguae auctoribus probatiſſimis defendi poſſe, vix dubitaverim. Ciceronem huiuſmodi rerum teſtem locupletiſſimum arbitror, qui ſic de Fin. lib. IV. c. 18... *quid ad honeſtatem aliud adiungant, quod ex eodem genere non ſit.* Min. Felix Oct. cap. 16. *Dicam equidem, ut potero, pro viribus.* quo praeter alia, hunc quoque
125 locum contulit ipſe vir cl. ex Dione Chyſoſt. Orat. VII. pag. 118. μάλιστα εὑρήσειν ἡγούμενοι τὴν τῶν πολλῶν διάνοιαν, ἃ δὴ καὶ τοῖς πολλοῖς ἐδόκει, περί τε τοῦ πλούτου καὶ τῶν ἄλλων, ἃ θαυμάζουσιν. adde D. Paul. 1 Corinth. IV, 47. ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς, χαϊκὸς. Plura nos ad Divin. I. c. 33. [9])

Cap. XIX, 50. *in qua* (infinitate) *intelligi neceſſe eſt, eam eſſe naturam, ut omnia omnibus paribus paria reſpondeant.* Licet illud *intelligi* a codice uno et altero abſit, ego tamen codices iſtos nobis fraudem dediſſe crediderim potius, quam hunc μακρολογίαν ullo iure poſſe damnari: quippe quam eandem cernere licet infra cap. 61. *Ex quo debet intelligi, nec naturam* etc. ſupra lib. I. c. 17. *cum enim* etc. *intelligi neceſſe eſt eſſe deos.* Tuſc. lib. III, 5. *Eos enim ſanos quoniam intelligi neceſſe eſt* etc. cap. 28. *intelligi neceſſe eſt, non rem* etc. de Fin. l. III. c. 11. *intelligi neceſſe eſt, pluris id aeſtimandum eſſe.* et lib. V. c. 19. *Quocirca intelligi neceſſe eſt, in ipſis rebus invitamenta ineſſe.* [10])

9) Vid. Matthiae Gramm. graec. p. 1311. edit. alt.

10) Ientzenius dum p. 46. negat dici poſſe *in qua neceſſe eſt, eam eſſe naturam*, modum excedit. Saepe enim ea, quae tantum intelliguntur vel ponuntur eſſe, ipſa eſſe re vera dicuntur. Codicum ſcriptura a Wopkenſio ſatis ſtabilita eſt.

Cap. XX, 54. *in quam* (immenſitatem) *ſe iniiciens animus et intendens, ita longe lateque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua poſſit inſiſtere.* Ad quod referri poſſit vox *ultimi*, plane ſe negat intelligere vir cl. ideoque legendum coniicit, *oram ultimam videat.* At ſcrupulus, qui ipſum male habebat, ſic forte eximi diſpellique poterit, ſi per vocem *ultimum*, quae ſaepius ita formam ſubſtantivi induit, intelligamus earum regionum, quas peragraverit animus, extremam et ultimam; [11]) per *oram* autem illius ultimae regionis terminum ſive finem, unde ulterius pergi nequeat. Paſſim hoc modo diſtinguuntur voces, quarum vis aliis in locis una eademque eſt: quemadmodum etiam illas *ora* et *ultimum* poſſe *συνονύμως* 126 adhiberi quis negaverit? Exempla videre licet in iis, quae contulimus ad Tuſc. V. c. 26.

Cap. XXII, 61. *Epicurus vero tuus quid dicit, quod non modo philoſophia dignum eſſet, ſed mediocri prudentia?* Codex Urſini cum in multis fidei ſubleſtae eſt, tum hic quoque fraudem dare videtur, quum pro *eſſet* refert *ſit.* Hoc quidem, fateor, *ἀκρίβεια* grammatica flagitat, quum praeceſſerit praeſentis temp. verbum *dicit*: illud tamen ne reſpuas, plurima faciunt ſimilis enallages exempla, quae intacta dimiſe-

11) Etiamſi vocabulum *ultimum* alibi pro ſubſtantivo ponatur, atque apud Ciceronem *mundi ultimum* legatur, bonorum ſcriptorum nemo ita loquutus eſt *ora ultimi.* Quare niſi alia exempla afferantur, ego quidem vocabulum *ultimi* a gloſſatore profectum putaverim. *Ora* ipſa eſt extrema regionum pars. De Fin. 2, 31, 102. *haec non erant eius, qui innumerabiles mundos, infinitasque regiones, quarum nulla eſſet ora, nulla extremitas, mente peragraviſſet.*

runt interpretes. [12]) sic supra cap. 15. *Idemque disputat, aethera esse eum, quem homines Iovem appellarent: quique aer per maria manaret* etc. infra lib. II. c. 56. *avertunt ab oculis - - ea quae - - tetri essent aliquid habitura,* lib. III. c. 28. *Huic loco sic soletis occurrere, non idcirco non optime a Diis nobis provisum esse, quod multi eorum beneficio perverse uterentur.* pro *utantur.* Tusc. lib. V. c. 7. *Nam quid profitetur? perfecturum se, qui legibus suis paruisset, ut esset c. s. s. armatus.* de Finibus lib. II. c. 11. *quod ita interpretantur, vivere cum intelligentia earum rerum, quae natura evenirent, eligente ea quae essent* etc. lib. III. c. 21. *defenditur nunquam aequitatem ab utilitate posse seiungi, et quicquid aequum iustumque esset, id etiam honestum - - fore.* lib. 1. c. 9. *sentiri hoc putat* (Epicurus)*; ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel; quorum nihil oporteret* (pro *oporteat*) *exquisitis rationibus confirmare: tantum satis esse admonere; interesse enim* etc. non erat cur literatores hic de coniectura reficerent, *quorum nihil opor-*

12) Dixi de hac re ad pag. 47. Wopkensius verum perspexit, sed exempla diversa miscuit. Alienus enim ab hac ratione est locus de Nat. deor. 2, 56, 141. ubi *quae profluentia necessario taetri essent aliquid habitura.* conditionaliter dicta sunt. Et 3, 28. ubi *uterentur* non est pro *utantur* positum, sed *provisum esse* perfectum est vulgari modo cum reliquis constructum. In libr. de Fin. 3, 21, 71. non tam facilis videtur esse interpretatio, atque Goerenzius existimavit. Nam neque agitur de praeceptis quondam propositis, et coeunt haec verba cum antecedentibus in unam formam ita, ut non possit non permira videri temporis transmutatio, cui caussa desit. Et in fine positum est *fore*, non *esse:* quod quid significaret, nemo declaravit.

*tere* etc. [13]) eſt enim ſubiunctivus talis, qualem illuſtrabimus infra ad lib. III. c. 7. de huiusmodi autem imperfecto alia quaedam dabo ad lib. II, 47.

Cap. XXIV, 67. *Sed ubi eſt veritas? In mundis, credo, innumerabilibus - - : an in individuis corpuſculis* etc.? Emendabat editor cl. *In mundis, cedo, innumerabilibus*, quia haec ipſi non εἰρωνικῶς, ſed ἐρωτηματικῶς proferri videbantur. At praeterquam quod verbum *cedo* numquam apud Tullium, quantum ego quidem adſequi potis ſim, ſic mediam ſententiam occupare ſoleat; non video, quare iſta *in mundis* etc., uſque ad interrogationem illam, *an in corpuſculis* etc.? abſolute ſenſu ironico nequeant accipi; cuiuſmodi ironiae in repellendis erroribus paſſim inſervire ſolet verbum *credo.* ut infra cap. 40. *quorum tandem? voluptatum, credo, nempe ad corpus pertinentium.* de Divin. lib. II. cap. 67. *quem enim tu Marium viſum a me putas? ſpeciem, credo, eius et imaginem, ut Democrito videtur.* Tuſc. lib. V. cap. 35. *cur igitur divitiae deſiderentur? ſignis, credo, tabulis, ludis.* vide etiam cap. 37. et alibi. Atque ita mihi nullum dubium eſt, quin lib. IV. ad Fam. ep. 5. legendum ſit, *At illius, credo, vicem doles. Quo-* 127

13) Etiam Matthiae defendit librorum ſcripturam *oporteret:* nam in ſcriptis libris nemo adhuc invenit *oportere,* quod ut neceſſarium eſſe demonſtraret Goerenzius, *quorum* explicuit *et horum.* At quid impedit, quo minus haec cum prima parte ſententiae proxime coniungantur? Immo alia ſuppetit cauſſa, qua integritatem librorum merito vindicemus. Etenim ſententiam ita conceperat Cicero: *ſentiri hoc putat, ut calere ignem, nivem eſſe album: quorum,* ſi quis rationes requireret, *nihil oporteret exquiſitis rationibus confirmare.* Igitur admixtus eſt conditionalis ſententiae color.

*ties* etc. non vero, *An - - doles?* ut pessime editum est. [14])

Cap. XXVI, 72. *In Deo quid sit quasi corpus aut quasi sanguis, intelligere non possum.* Cur velit doct. Walkerus *quasi corpus et quasi sanguis*, id quidem, ut plurima alia, quae excutere non vacat, nulla ratione, quae satis polleat, probavit. Cap. sequente: -- *rem nullo modo probabilem. Omnium quis tam coecus* etc.? Transponunt, *Quis omnium tam coecus* etc.? sed, salva ista sententia, verborum ordo inusitatior quidem ille, sustentari tamen posse videtur his Caesaris B. Gall. lib. VII. cap. 76. *nec erat omnium quisquam, qui* etc. Cic. de Leg. lib. I. cap. 7. *non vereor, condiscipulorum ne quis exaudiat.* [15]) Neque est illa metathesis durior, quam hae sequentes. infra lib.
128 II. cap. 4. *Senatus, quos ad soleret, referendum censuit.* et cap. 41. *Hunc circum ἄρκτοι duae feruntur* Tusc. lib. II. c. 6. *Hunc post Rhodius Hieronymus dolore vacare summum bonum dixit.* Acad. lib. II. cap. 2.

14) Ita iam Manutio visum erat, sed perperam. De hac re et de his Sulpicii verbis: *an illius vicem, credo, doles* i. e. nonne vicem doles, in Tursellino meo dixi p. 344. Usum vocabuli *credo* illustrat Schwarzius ad Plin. Paneg. 63. p. 232.

15) Haec diversi sunt generis, nec rem, cui destinata sunt, probant. Ernestius rariorem (ita eam appellat) formam praetulit *nullo modo probabilem omnium*, qua nihil insolentius aut magis ratione destitutum esse potest. A transpositione verborum autem, quam nonnulli commendaverunt, prudentissimus quisque abstinebit, quum reputaverit, librariis nullam fuisse caussam, cur formulam sibi cognitam mutarent. Equidem Davisio assentior; nam cur non recte dicatur, *omnium quis tam coecus*, nemo demonstrabit. An vero interrogativum *quis* primam sedem sibi propriam occupat semper?

*quorum ad -- laudes has adiungimus.* Plura colligit Pareus Lex. Plaut. V. Anaſtrophe. Et Graece Polyaenus Strat. lib. II. c. 4. *στρατοπεδεύσας τοῦ ποταμοῦ πρόσθεν*, *caſtris ad fluvium poſitis.* Iamblichus Vit. Pythag. cap. 35. pag. 211. *κρατήσαντος αὐτοῦ τὸν κίνδυνον ὑπὸ Θεάγους*, *cum eum in ipſo pugnae diſcrimine viciſſet Theages.* tranſponebat Lud. Kuſterus, *ὑπὸ τὸν κίνδυνον*, quod haud ſcio an ſit recte factum. [16])

Cap. XXX, 83. *Speculatorem venatoremque naturae.* Vocis *venator* uſum elegantem docte illuſtrat Daviſius; ſed locum Cyrilli, cui obiter medicinam facere conatur, ſicco pede praeterire non poſſum. Scilicet ita loquitur ille auctor, in Julian. lib. X. pag. 330. Ἐθέλουσι φιλοθηρεῖν εὖ μάλα τὸ ἀληθές. ubi legebat vir doctiſſimus *φιλοθηρεύειν*, pro *φιλοθηρεῖν*. At cur illud tandem? haud dubie, quamvis rationem referre non placuerit, quod ſimpliciter dicatur *θηρεύειν*, non *θηρεῖν*. Haec autem ſi ratio valeat, eodem iure, imo potiore, mutatione quippe minore, pro *φιλοθηρεῖν* reponi poſſet *φιλοθηρᾶν*: quemadmodum etiam video, cel. Perizonium, quia ſimplex *θηράω* dicatur, ideo *φιλοθηρῶσιν* pro *φιλοθηροῦσιν* reponendum con-

16) At ὑπὸ non poteſt a nomine Θεάγους avelli. Kieſslingius audacter correxit κρατήσαντες αὐτὸν κατὰ τὸν κίνδυνον ἐπὶ Θεάγους. In promptu haec eſt emendatio: καὶ γενομένης μάχης, κρατήσαντες αὐτὸν τὸν κίνδυνον ὑπὸ Θεάγους, ἐκείνῳ τὰ τρία τάλαντα παρὰ τῆς πόλεως ἐμέρισαν. i. e. commiſſo proelio quum ipſum periculum, a Theage belli auctore excitati, eoque duce ordinati, ſuperaviſſent, cum hoc pecuniam a civitate promiſſam partiti ſunt. Κρατεῖν κίνδυνον dicitur, ut κρατεῖν μάχην apud Demoſthenem: ὑπὸ auctorem notat rei agendae.

iicere, in his Aeliani Var. Hiſt. lib. IX. c. 3. *Λεοννάτῳ καὶ Μενελάῳ φιλοθηροῦσιν -- ἠκολούθουν.* Falli arbitror hoſce duumviros inſignes, qui terminationem verborum compoſitorum parum conſiderate ſimplicium ſono metiantur, quum nihil ſit certius, quam compoſita verba, hac in parte, ſaepiſſime a ſimplicibus degenerare. Ita cum ſimplicia ſint *λούω*, *χρηματίζω*, *σαρκόω*, *τεχνάω*· compoſita tamen ſonant, *φιλολουτρέω*, *φιλοχρηματέω*, *φιλοσαρκέω*, *φιλοτεχνέω.* [17])
129 Adde, quod cum dicatur *φιλόθηρος*, ac *φιλοθηρία*, hoc nos veluti manu ducit ad *φελοθηρέω:* quemadmodum ex. gr. a *φιλόσοφος* deſcendit *φιλοσοφέω*, atque hinc *φελοσοφία.*

---

## CAPUT III.

*Aliquot Tullii loca in vulgata lectione ſtabiliuntur. Unus ex codice adiuvatur. Perſonae ſecundae ac tertiae permutatio. Locus in Tuſc. Diſp. unus et alter defenditur. Ellipſis* ἀπὸ κοινοῦ *ſupplenda.* Numerare, *cenſere. Cicero in tranſitu defenditur.* Inſcientia, *imperitia. Cicero bis vindicatur.* Ita ſit, *i. e. inde ſequetur. Dicendi ambages in Tullio tolerandae.* Ad *pro quoad. Enallage,* Humana virtus accedit Deo, *pro divinae.* Aberrare a coniectura.

Cicero lib. eodem I. de Nat. Deorum, cap. XXX, 84. *Quam bellum erat, Vellei, confiteri potius, neſcire quod neſcires quam iſta effutientem nauſeare, at-*

17) In Aeliani loco Coraës reſtituit φιλοθηροῦσιν. Sed totius horum verborum compoſitionis legem acute, ut ſolet, explanavit Lobeckius ad Phrynichum. p. 627.

*que ipſum ſibi diſplicere!* Obſerva formas diverſas, *confiteri neſcire quod neſcires*, et *ipſum ſibi diſplicere;* quae permutatio perſonae ſecundae ac tertiae offendiculo doctiſſimis fuit commentatoribus, ut, renitentibus libris omnibus ſcriptis ac editis, *ipſum tibi diſplicere* legendum eſſe coniicerent. Ego vero et quae in ſecunda, et quae in tertia perſona efferuntur, imperſonaliter credo intelligenda, ut ſi dixiſſet Tullius: *Quam bellum, erat confiteri potius quemquam ignorantiam ſuam, quam iſta* etc. quem tam ſecundae, quam tertiae perſonae uſum ſatis eſſe vulgarem, probare non opus eſt, ſufficit monere. tertiae perſonae vim imperſonalem iam quoque adſtruximus ad Acad. I. c. 1. [18]) Eodem modo interpretor iſta, quae ſimilem formam re- 130
praeſentant, Tuſc. lib. I. c. 38. *Quare licet etiam, mortalem eſſe animum iudicantem aeterna moliri, non gloriae cupiditate, quam ſenſurus non ſit; ſed virtutis, quam neceſſario gloria, etiamſi tu id non agas,*

18) Librorum omnium ſcripturam iure defendit Wopkenſius. Transfer haec in aliam linguam, et videbis, cuiuscumque linguae uſu ita commutari formas imperſonales. Heindorfius abſtinere debebat ab omni ſuſpicione interpolationis, quae in verbis neceſſariis *ipſum ſibi diſplicere* omnino nulla eſt. Errat vero Ientzenius, quum, neſcio an verbo *nauſeare* activum ſenſum tribuens, explicat: ita deiici ſententia, ut aliis contemptui ſit. *Nauſeat*, qui vomere incipit et ructat, ut Cic. ad Fam. 12, 25. *quem ego ructantem et nauſeantem conieci in Caeſaris Octaviani plagas. Effutiens* autem dicitur, cui imprudenti verba elabuntur: quibus elapſis ipſe ſibi diſplicet. Hoc vero acerbae ſententiae Ciceronis addit gratam mitigationem, eum, qui ita ageret, non omni ſenſu deſtitutum fuiſſe, ſed imprudenter egiſſe.

*consequatur.* [19]) ubi viri docti rursum de coniectura scribunt, *quam sensurus non sis.* at post *iudicantem* potest subaudiri *quempiam*, atque ita tertia persona vim exseret imperfonalem; quo sensu etiam intelligi illud potest, *etiamsi tu id non agas*, Belgice, *schoon men daar niet op werkt.* Ita duo haec loca, vicissitudinem illam personarum quod attinet, mutuo se vindicant et confirmant. Sic porro de Leg. lib. II. c. 18. *ut non difficile sit, qui modo ingenio possit moveri, quaecunque nova causa consultatiove acciderit, eius tenere ius, cum scias a quo sit capite repetendum.* Davisius de coniectura reponit *sciat.* Addamus lib. II. Tusc. cap. ult. *Ut enim si cui naviganti; praedones si insequantur, Deusque qui dixerit Eiice te de navi; praesto est qui excipiat,-- vel equi Pelopis-- excipient te, et quo velis perferent; omnem omittat timorem: sic* etc. ubi *ista excipient te, et quo velis perferent,* compara cum antecedente *si cui*, et subsequente *omittat;* cui *omittas*, cum summo viro, substituere mihi quidem religio est. [20]) Haud sane lenior variatio est personae primae pluralis, et tertiae singularis, in his Min. Felicis Oct. cap. 11. *Anceps malum et gemina dementia! coelo et astris, quae sic relinquimus ut invenimus, interitum denuntiare; sibi mortuis* (h. e. nobis mortuis), *qui sicut nascimur et interimus, aeternitatem repromittere.* Rursum quum scribit Seneca epist. secunda: *certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat:* nonne ad diligentiam grammaticam aptius hoc modo

19) Correxi *consequatur.* Wopkensius scripserat *consequitur.*

20) De hoc loco dictum est p. 94 et 95.

locutus fuiſſet, -- *ſi homines velint aliquid* etc.? aut ſi in antecedente membro dixiſſet in ſingulari numero, *certo ingenio immorari* etc. Quid vero P. Syrus, cum in ſententiis dicit,

*Patria ſua eſt, ubicunque vixeris bene.* 131

ſi modo ſcriptio iſta vera ſit, quod tamen nemo praefracte inficias eat, nonne de induſtria captaſſe eiuſmodi *ἐναλλαγὴν* videtur? [21])

Sequitur eodem cap. 30, 85. *etſi hoc loco non populum metuis, ſed ipſos deos. Novi ego Epicureos omnia ſigilla numerantes: quamquam video* etc. Pro *numerantes* tentant *venerantes*, *inhiantes*, *munerantes*, quarum tamen coniecturarum nulla mihi ſcopum attingere videtur. Nemo quidem de loci ſanitate dubitaret, ſi legeremus, *omnia ſigilla deos numerantes*, h. e. pro diis habentes; quippe cum iſta phraſiologia Latiniſſima ſit, maximeque Tullio propria. ut ſupra cap. 13. *ubi deinde tot dii, ſi numeramus etiam coelum deum?* infra lib. III. c. 16. *ſingulas enim ſtellas numeras deos.* et cap. 17. *Age, porro, Iovem et Neptunum deos numeras.* Tuſc. V, 15. *quae iſti bona numerant.* Syneſius Epiſt. 47. *Ἀριθμεῖ καὶ Πέτρον ὀργὴν Πενταπόλεως: numera etiam Petrum perniciem Pentapolis.* Ut tamen verum fatear, vox illa *deos* faciliime mihi *ἀπὸ κοινοῦ* ſubaudiri poſſe videtur in verbo *numerare*, quum modo praeceſſerit *ſed ipſos deos.* [22]) Talis ellipſis

21) Minime. Quis enim ſanus ita loquitur? Aut *tua*, aut, ſi aliunde deſumptus eſt hic verſus, *vixerit* ſcribendum eſt.

22) Fruſtra laborabant critici in corrigendo hoc loco. Sed e ſuperioribus verbis non poteſt traduci nomen *deorum*.

eſt in his, de Finibus lib. II. c. 3.-- *qui ſe unus, quod ſciam, ſapientem profiteri ſit auſus: nam Metrodorum non putant ipſum profeſſum, ſed cum appellatur* (ſc. ſapiens) *ab Epicuro, repudiare tantum beneficium noluiſſe. Septem autem illi non ſuo, ſed populorum ſuffragio omnium, nominati ſunt* ſc. ſapientes. lib. V. cap. 13. *Animi autem--plures ſunt virtutes, ſed duo prima genera: unum earum, quae ingenerantur ſuapte natura, appellanturque non voluntariae; alterum autem earum, quae in voluntate poſitae, magis proprio nomine appellari* (ſc. virtutes) *ſolent.* non erat, cur
132 coniiceretur, *proprie eo nomine.* Quin loco illi, quem iam prae manibus habemus, ſimilis ac par eſt ibidem, lib. IV. c. 16.-- *qui in una virtute conſtituunt finem bonorum: quodque dicitis, informari non poſſe virtutem, ſi quicquam, niſi quod honeſtum ſit, numeretur* (ſc. bonum, vel bonorum finis); *idem dicetur ab illis, quos modo nominavi.* fruſtra eſſe Lambinum puto, qui duabus vocibus adiectis, legendum cenſet, *numeretur in bonis.*

Cap. XXXI, 85. *Quod ille inſcitia plane loquendi fecerit, feciſſe conſulto.* Quod codex aliquis repraeſentaret *inſcientia*, quod etiam voluerat Lambinus, illud omnino adſciſcendum putabat cl. Daviſius, cauſatus quod *inſcitia*, Feſto teſtante, idem valeat quod *ſtultitia.* At ſi hanc eius vocis conſtantem ſignificatio-

In ipſis ſigillis intelligamus deorum ſigilla. Atque is *numerat* res ſuas, qui maximopere eas curat, et ne quid omittatur cavet. Cicero igitur narrat, ſe noviſſe quoſdam Epicureos, qui omnia ſigna deorum tamquam ſuae venerationi expoſita numerarent, et ne quod praeterirent, ſuperſtitioſe curarent. Eodem fere modo rem explicuit Matthiae.

nem esse voluerit Festus, falli eum liquet, primo quod ingens locorum vis est, in quibus *inscitia* imperitiam denotet. Sic de Orat. lib. I. c. 22. *disputationis insolentia, atque earum rerum -- inscitia.* Et ne quae vel ex lexicis abunde possunt peti, operosius enumeremus, sic Tacitus *inscitiam* dixit *aedificandi*, *inscitiam regendi*, *inscitiam reip.* Horatius, *inscitiam rerum*, *inscitiam veri* etc. in quibus Horatii exemplis non potuit per scribendi compendium depravatio fieri. Iam vero secundo loco argumentemur ex ipsa analogia. Quis vero negabit *inscium* passim denotare ignarum, rudem et inconcinnum? unde quoque *inscius* et *imperitus*, tamquam *ἰσοδύναμα*, copulantur de Leg. II, 5. Quod si vox *inscius* imperitum designet, cur non *inscitiae* nomen, quod inde directe profluit, imperitiam exprimat? Per me igitur stet etiam illud, *negotii gerendi inscitia*, orat. de Provinc. Cons. cap. 5. ubi Lambinus rursus *inscientia* voluit; ac pristina lectio repetatur de Fato 16. *miserabilem inscitiam dis-* 133
*serendi:* ubi nobis de coniectura ediderunt *inscitiam.* [23])

23) De discrimine atque usu verborum *inscientia* et *inscitia* Gernhardus, ut ea, quae in Annalibus litter. Heidelbergens. a. 1812. n. 3. dixeram, refutaret, longum Excursum conscripsit et Catoni Ciceronis adiecit. Equidem ipsam significationis rationem nunc non considero: id unum addo, mirum videri, quod vir doctissimus ad defendendam verbi *inscientiae* cum genitivo coniuncti constructionem ne unum quidem locum affert, in quo non aliquorum certe librorum scriptorum varietas appareat. Neque enim in Cic. de Orat. 1, 54. desunt codices, qui exhibeant *propter dicendi inscitiam*, neque in locis Caesaris de bello Gall. 3, 13. et 3, 9. Argumentationem firmabunt ea tantum exempla, in quibus codicum consensus omnem dubitationem excludit.

Eodem cap. 31, 88. *Tollamus ergo omnia, quae aut hiſtoria nobis aut ratio nova adfert, Ita ſit, ut mediterranei mare eſſe non credant.* Amplector hanc lectionem quorumdam codicum, prae illa vulgata, *Ita ſit, ut* etc. locumque hanc in ſententiam enarro: Hinc illud de mediterraneis ſtatuendum erit, ut mare eſſe non credant. Illud *ita ſit* idem plane exprimit, quod *ita fiet*, quemadmodum Tullium ſcripſiſſe augurabatur vir illuſtriſſimus; nec poteſt iſta codicum ſcriptura hac ratione improbari, quod falſum eſt, mediterraneos mare eſſe non credidiſſe. Pari enim modo praeſens illud futuri vim habet infra cap. 43. *Ita ſit*, i. e. inde ſequetur, *ut non modo homines a dìs, ſed ipſi dì inter ſe ab aliis alii negligantur*, quod aeque falſum Ciceroni fuit, quam mare negari ab iis, qui illud non viderint. ſupra cap. 14. *Ita ſit, ut Deus -- nuſquam prorſus appareat.* quod velut abſurdum ex ſententia, quam commemoraverat, deducebat Velleius. Tuſc. II, 6. *Ita ſit, ut omnino nemo eſſe poſſit beatus.* de Legibus lib. I. cap. 15. *Ita ſit, ut nulla ſit omnino iuſtitia.* Atque eo ſenſu dicitur etiam, *ex quo efficitur.* vide, ſis, Acad. lib. II. cap. 6. et de Fato cap. 10. [24])

Ibidem: *Quae ſunt tantae animi anguſtiae, ut ſi Seriphi natus eſſes, nec unquam egreſſus ex inſula, in*

24) Adde Tuſcul. 3, 1, 1. *quidnam eſſe cauſſae putem, cur, — animi — medicina nec tam deſiderata ſit, antequam inventa, nec tam culta, poſteaquam cognita eſt —? an quod corporis gravitatem et dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non ſentimus? ita ſit, ut animus de ſe ipſe tum iudicet, quum id ipſum, quo iudicatur, aegrotet.* In his non ponitur praeſens pro futuro, ſed ex more latino per praeſens id exprimitur,

*qua lepusculos vulpeculasque saepe vidisses, non crederes leones et pantheras esse, cum tibi quales essent diceretur* etc. In his verbum *esses* suppositicium putant docti, qui tamen ad similes loquendi ambages passim ne γρὺ quidem.[25]) Sic vel hoc ipso cap. *Non animadvertunt*, inquit Cotta, *hic eum ambigue locutum esse; sed multis aliis locis et illum et Metrodorum tam aperte, quam paullo ante te.* Omnino animadvertebant Epicurum ambigue locutum, sed hoc vult Tullius, ut si dixisset: *non animadvertunt eum, qui hic ambigue locutus sit, multis aliis in locis iuxta cum Metrodoro tam aperte loqui, quam te.* Secundum censuram, cui locum, quem defendimus, subiiciunt viri cll., legendum hic esset: *non animadvertunt hic eum ambigue locutum, multis aliis locis cum Metrodoro tam aperte* etc. Rursum de Fato cap. 13. *Ut si esset dictum, Luctabitur Olympiis Milo; et referret aliquis Ergo sive habuerit adversarium, sive non habuerit, luctabitur; erraret: est enim copulatum* etc. hic legi oporteret: *ut si, quum esset dictum Luctabitur Olympiis Milô, referret aliquis* etc. Plura iam ad Acad. lib. II, 30. 134

quod nos conditionali forma imperfecti dicimus. Quemadmodum usurpatur *est*. Cic. Tusc. 1, 8, 17. M. *Quid? si te rogavero aliquid, nonne respondebis?* A. *Superbum id quidem est; sed nisi quid necesse erit, malo ne roges.* Nos *dies wäre freilich stolz.* Ita in pervagato illo *longum est*, quod Germani numquam non consueverunt mutare in *longum esset*, sive *foret*.

25) Walkerus non in verbo *esses* quaesivit caussam corruptionis, sed id ipsum abiecit, ut reliquorum verborum constructionem cum antecedentibus conciliaret. Verum vidit Davisius.

Cap. XXXIV, 96. *Ad similitudinem enim Deo propius accedebat humana virtus, quam figura.* Non erat quod Lambinus *Dei* pro *Deo* legeret, quamvis huic emendationi applauserint posteriores interpretes. Ante omnia enim observa, *ad similitudinem* hic esse similitudine, vel quod attinet ad similitudinem, quo praepositionis usu nihil est elegantius. ut infra lib. II. c. 34. *omnes mundi partes ita constitutae sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulcriores.* et cap. 36. *nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior; et ad orationem sollertiamque praestantior.* de Leg. III, 8. *insignis ad deformitatem puer.* et Lib. I. c. 6. *Commodius vero. et ad orationem instituti sapientius* sc. hoc fiet. Velleius Paterc. lib. II. cap. 120. *Caldus Coelius ad vetustatem familiae suae dignissimus.* sic enim illic legendum, non *vetustate f. s. dignissimus*, fidem facit editio princeps, iuxta cum autographi vestigiis; licet aliter visum fuisse intelligam viris insignibus. Plura de hac praepositionis
135 vi suppeditantur in Tursell. de Particulis.[26]) Quod autem porro in loco proposito adnotari meretur, est enallage ista, qua *forma* vel *virtus humana* dicitur *accedere Deo*, h. e. formae vel virtuti Dei. At neque hoc sane quicquam habet, quod nos Lambini emendationi sub-

26) Etiam Heindorfius defendit vulgatam scripturam, sed permira opinatione dativum dicit pendere a vocabulo *similitudinem.* Quod in his Graeci usurpaverunt, non sibi concesserunt Romani. Cautius rem tractavit Heusingerus in notis ad Vechneri Hellenolex. p. 264. Ille enim loquitur de substantivis verbalibus, quae casum verbi sui retineant. Neque vero Wopkensii interpretatio magis probanda est, nisi eam coniungas cum aliorum sententia, qui verba *accedere ad similitudinem* cohaerere dicebant. Nam nova ista doctrina de duarum constructio-

ſcribere cogat. ſic enim Acad. I. cap. 12.. *Comprehenſionem appellabant, ſimilem iis rebus, quae manu prenderentur.* i. e. ut explicat Guietus, ſimilem comprehenſioni earum rerum, quae manu comprehenduntur. lib. II. c. 5. *Sed neque Saturnius ſimile quicquam habuit veterum illorum*, i. e. eius quod veteres habuerunt illi. Tuſc. I, 1. *Iam illa, quae natura - - adſecuti ſunt, neque cum Graecia neque ulla cum gente ſunt conferenda.* i. e. cum iis, quae Graecia, vel ulla omnino gens adſecuta ſit. *Quae enim*, pergit, *tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut ſi cum maioribus noſtris comparanda?* i. e. cum maiorum noſtrorum virtute. lib. V. c. 16. *Huic ergo* (Epicuro) *ut dixi, non multum differenti a iudicio ferarum* etc. i. e. cuius iudicium non multum differt a. i. f. ſic quoque de Amic. cap. 28. Lactant. lib. V, 11, 1. Vellei. Pat. lib. I. c. 12. et alibi. [27]) Quibus abunde liquet, non eſſe cur Car. Sigonius *ſui* pro *ſuis* reponeret in his Sulp. Severi, H. S. lib. I., 22, 1. *Et enim illum ſibi Moſes ſucceſſorem conſtituerat, virum virtutibus ſuis ſimillimum.*

num confuſione, a multis propoſita et ad omnia, quae non intelligunt, adhibita, quamquam anguſtioribus limitibus circumſcribenda et ad paucos numeros redigenda erit, tamen in hoc quidem loco re vera coniunctae ſunt duae rationes unius verbi, quum dicatur et *accedere ad ſimilitudinem* et *accedere alicui propius.* Hinc recte dicitur etiam *accedere alicui ad ſimilitudinem.*

27) Graeci frequenter hanc comparandi formam uſurpabant. Ita expedienda eſt conſtructio verborum in Sophocl. Antig. 74. ἐπεὶ πλείων χρόνος, ὃν δεῖ μ' ἀρέσκειν τᾶς κάτω, τῶν ἐνθάδε. Pind. Ol. 1, 11. μήδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν. Vid. Rüdiger ad Demoſthen. Olynth. II, 10, 4.

Cap. XXXVI, 100. *qui etiamſi aberrant a coniectura, video tamen quid ſequantur.* Legit cl. Walkerus, *aberrant coniectura*, quod *aberrare a coniectura*, aut plane nihil, aut hoc ſaltem in loco nihil ipſi ſignificare videatur. Mihi autem, per hominem acutum, aliter ſentire liceat, qui phraſin iſtam hic faciſſime ſtare poſſe credo, dummodo per *coniecturam* pleno ſenſu intelligas coniecturam cum effectu, a bonis principiis bene procedentem, et qua quis proinde veritatem aut probabilitatem adſequatur. Sic accipio hanc vocem, ad Fam. lib. IX. ep. 2. *quamquam quo me coniectura*
136 *ducat, habeo.* coniectura non quaelibet nempe, ſed probabilibus rationibus ſuffulta. Atque eodem plane ſenſu ſimilis occurrit dictio, in or. XII. Philipp. cap. 9. *Nunc, quaeſo, attendite, num aberret a coniectura ſuſpicio periculi mei.* qui locus, ut rei propoſitae comprobandae adcommodatiſſimus, utinam viro doctiſſimo prae oculis fuiſſet! Cave autem, mihi iſta obiicias, ad Att. lib. XIV. c. 23. *quamquam vereor, ne nihil coniectura aberrem.* niſi enim inde exciderit praepoſitio *a*, quemadmodum ab his Tuſc. I, 34. *ſed te de aeternitate dicentem, aberrare propoſito facile patiebar:* excidiſſe credebat Lambinus; poteſt *aberrare coniectura* reſolvi, ut ſit *errare a coniectura;* aut ceteroquin alio, eoque communi ſenſu vox *coniectura* intelligi. [28])

28) Wopkenſii interpretationem amplexus eſt Heindorfius. *Aberrat coniectura*, qui falſa coniectura proſequitur rem, ſed *aberrat a coniectura*, qui coniecturam veritatis conficere non potuit.

## CAPUT IV.

*Tullius in I. de N. D. ter quaterve defenditur; ter quoad lectionem aut diſtinctionem emendatur; ſemel luce adſpergitur.* Frui et uti. Rationis motus. *Aſyndeta participia duo. Apollodorus defenditur. Polyaenus emendatur.* Idem *pro tamen. Lactantius emaculatur. Cicero defenditur. Synonymia illuſtratur. Duo loca Tullii ac Pomp. Melae adſeruntur. Vell. Paterc. et Cyprianus tentantur.*

Percurremus iam reliqua capita lib. I. Ciceronis de Nat. Deor. Cap. XXXVII, 103. *Utatur enim ſuis bonis oportet et fruatur, qui beatus futurus eſt.* Haud moveor codicibus iſtis, qui copulam *et* non agnoſcunt: quibus enim iuriſconſultorum locis lectionem iſtam ſtabilire conatus eſt vir eximius, illa mihi quidem videntur per ſe haud ſatis probare. Tullii adiungenda fuit 137
auctoritas, qui tamen copulam quoque addidit, infra lib. II. cap. 60. et alibi. Eodem cap. ſequitur: *Nam locus quidem his etiam naturis, quae ſine animis ſunt, ſuus eſt cuique proprius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua, ſuperior aether, ignibus altiſſima ora reddatur.* Ut varia exſtat loci lectio, ſic quoque non una eſt interpretum de vera ac genuina illius ſcriptione ſententia. Antiqui libri quidam dant *ſuperior aether*, alii dant *ſuperius aer*, alii *ſupremum aer*, alii denique *ſupremum aether:* unde coniiciunt critici, legendum *ſuperiorem aer*, ſc. locum teneat, vel *ſuperior aeri* ſc. ora reddatur, vel denique *ſuperior aetheri.* At quum plerique codices ſtent pro lectione, quam etiam edidit Gruterus, *ſuperior aether;* cumque Tullius *aetheris* voce nuſquam, quod ſciam, in huius-

modi certe locis, aerem appellaverit; rescribendum est, ὡς γ' ἐμοὶ κριτῇ, *SUPERIOR SIT AER;* quod vide, quam proximum sit depravatae scripturae *SUPERIOR AËTHER*, si characteras spectes. [28])

Ibidem: *ad quam denique rem motu mentis ac rationis utatur.* sc. Deus. Volebat vir cl. *motu mentis ac ratione:* sed quamvis huic emendationi codex unus et alter faveat, stare tamen vulgata lectio potest: cum enim *mens* et *ratio* passim συνονύμως accipiuntur, tum quoque *versari* et *in motu esse* non raro de ratione dicitur. infra lib. III. c. 26. *Quid ille funestas epulas fratri comparans? nonne versat huc et illuc cogitatione rationem?* Lactantius lib. VI, 17, 22. *student animum perturbationibus liberare - - Quod fieri non tantum non potest, quia vis et ratio eius in motu est* etc. [29])

28) Bona esset haec emendatio, nisi mirum videretur, a librariis illud verbum *sit* omissum, aut cum prima parte nominis *aether* commutatum esse. Probabilior ergo videtur Manutii coniectura: *superior aëri, ignibus altissima ora reddatur.* *Superior* et *superius*, quae in scriptis libris leguntur, simillima habent extremae syllabae compendia.

29) Altera lectio *motu mentis et rationis* fortasse ob auctoritatem plurium codicum praeferenda videbitur. At etiamsi recte dicatur apud Lactantium *rationem in motu esse* de animi perturbationibus, et apud Ciceronem *versare cogitatione rationem* de reputatione caussae, et in Acad. 2, 11, 34. *mentem moveri* de cogitatione, et quamvis diis tribuantur de Nat. d. 1, 2, 4. *mens atque ratio*, tamen Cicero ex suo more non dixit *motu mentis ac rationis*, nisi cum aliqua oppositione cogitationis. *Ratio* non est ipsa cogitatio, sed cernitur in mente, quae non inaniter movetur, et in animo, qui non affectus motu

Cap. XXXVIII, 105. - - *vos autem adventum in animos et introitum imaginum dicitis. Ut enim Tib. Gracchum cum videor concionantem in Capitolio vi-* 138
*dere, de M. Octavio deferentem sitellam, tum eum motum animi dico esse inanem; tu autem et Gracchi et Octavi imagines remanere, quae, in Capitolium cum pervenerint, tum ad animum meum referantur. Hoc idem fieri in Deo, cuius crebra facie pellantur animi* etc. Attende locum, confestim sordere interpunctionem istam intelliges. Quid enim ista *Hoc idem fieri in Deo*, nonne constituunt ἀπόδοσιν antecedentium, *Ut enim* etc.? Ea igitur minoris distinctionis nota a προτάσει disiungamus, hoc modo, - - *referantur: Hoc idem fieri in Deo* etc. atque ita nunc video distinctum esse in nupera cl. Verburgii editione. Quod autem doct. Boherius ista, *de M. Octavio deferentem sitellam*, coniunctione *et* cum praecedentibus connectenda esse retur, ego vereor, ne ista emendatio minus necessaria sit. Quamvis enim diversae actiones designentur, quam correctionis suae causam adfert vir amplissimus; possunt tamen illae duae actiones aliquomodo unius instar considerari, quatenus Gracchus eo tempore, cum in Capitolio concionaretur, de M. Octavio sitellam quoque deferebat. Quidquid est, saepissime sic ἀσυνδέτως iunguntur duo aut plura participia. [30])

perturbatur. conf. Acad. 2, 11. de Nat. d. 3, 28. Recte igitur se habet *motu mentis ac ratione* i. e. cogitatione, quae est in deo ratio.

30) In his accurate ea secernenda erunt, in quibus appareat participiorum proprietas. Nam participiis ea omnia sunt cum adiectivis communia, quae aut rhetorica vi anaphorae formantur, aut disiunctionem reconditam verbis simpliciter coniunctis exprimunt. Praeter haec duo re-

Tusc. lib. I. c. 1. *retuli me.. ad ea studia, quae retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi.* lib. II. cap. 7. *Itaque exclamat auxilium expetens, mori cupiens.* de Divin. II. cap. 41. *qui lactens cum Iunone, Fortunae in gremio sedens, mammam appetens, castissime colitur a matribus.* Livius lib. XXXVII. cap. 24. *contemplatus Eudamus hostes claudas mutilasque naves apertis navibus remulco trahentes, viginti paulo amplius integras abscedentes.* Nepos Dat. cap. 4. *Hac delatus in Ciliciam, egressus*
159 *inde, dies noctesque iter faciens, Taurum transiit.* vide Paus. c. 2. Caesar B. Gal. lib. III. c. 3. *ut, impedimentis relictis, eruptione facta,.. ad salutem contenderent.* Ammianus lib. XX. c. 8. *Quae cum frequentibus nuntiis didicisset Constantius, metuens ex-*

stant propria genera exemplorum. In altero participia iuxta posita pro verbis rectis accipi debent, quae quidem res significant uno conspectu comprehensas.. veluti apud Livium 37, 24. *hostes — trahentes — abscedentes.* Aliud autem genus, ratione diversum, duo participia complectitur, quorum alterum ex altero per caussae notionem pendet, ut in Hymn. Hom. in Apoll. Del. 70. τῷ ῥ' αἰνῶς δείδοικα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμὸν, μὴ; ὁπόταν τὸ πρῶτον ἴδῃ φάος ἠελίοιο, νῆσον ἀτιμήσας, ἐπειὴ κραναήποδός εἰμι, ποσσὶ καταστρέψας ὤσῃ ἁλὸς ἐν πελάγεσσιν. ubi non erat de interpolatione cogitandum: aut unum participium ad nomen pertinet, alterum cum verbo coniungitur: veluti Tacit. Agr. 28. *eadem aestate cohors Usipiorum per Germanias conscripta in Britanniam transmissa magnum ac memorabile facinus ausa est.* ubi non probanda erat scriptura *et in Brit.* Nam sensus est: cohors, quae per Germanias conscripta erat, facinus ausa est in Britanniam transmissa. Xenoph. Hist. 7, 2, 3. a Wopkenio allatus: ὁ ξεναγὸς τοὺς προδιαβεβῶτας λαβὼν ἀπολιπὼν αὐτοὺς ᾤχετο. Apud Graecos tertium genus comprehendit participia praesentis et aoristi coniuncta, quorum ratio nunc demum a grammaticis aliquantum cognita est.

*peditiones Parthicas hiemem apud Conſtantinopolin agens*, *impenſiore* etc. ſic ille ſaepius. Pariter Graeci. Xenoph. *Κυρουπαιδ.* IV. pag. 112. [6, 4.] *ἀλλ' αἰχμὴν παρά τινος τῶν ἑπομένων ἁρπάσας, παίσας εἰς τὰ στέρνα τὸν..παῖδα ἀφείλετο τὴν ψυχήν: ſed cuſpidem a quodam comitum accipiens, percutiendo in pectus adigens, filium vita privavit.* et Hiſt. Graec. lib. VII. p. 624. [2, 8.] *ἐπεὶ ὁ ξεναγὸς τοὺς προδιαβεβῶτας λαβὼν, ἀπολιπὼν αὐτοὺς, ᾤχετο: cum mercenariorum ductor, adſumtis qui anteceſſerant, iis relictis, abiret.* ſic ille paſſim. Apollodorus Biblioth. lib. III. p. 245. [14, 8, 3.] *ἔφθειρε καὶ ταύτην, εἰπὼν τεθνᾶναι Πρόκνην, κρύπτων ἐπὶ τῶν χωρίων: corrupit illam, dicens Procnam eſſe mortuam, abſcondens eam in agris.* Tan. Faber legebat *καὶ κρύπτων ἐπὶ τῶν χωρίων:* abſque cauſa quidem ſolida, ut ego puto. Polyaenus lib. I. cap. 31. *ἀλλήλων λαβόμενοι, τῆς πόλεως ἔξω προελθόντες, εἰς ταὐτὸν ἑκάτερος τὴν δεξιὰν χεῖρα καθιέντες, συνηγμένων τῶν δακτύλων ἐπεφώνουν: ſe mutuo apprehendentes, extra civitatem procedentes, in unum uterque manum dextram demittentes, complicatis digitis, acclamarunt.* lib. II. c. 3, 8. *ἐπεὶ δὲ οἱ στρατιῶται σὺν ἡγεμόσιν ἐς τὸ ἱερὸν ἐλθόντες, ἰδόντες τὰς θύρας ἀνεῳγμένας, οὐδενὸς τῶν ζακόρων παρόντος, εἶδον δὲ καὶ τὰ ὅπλα* etc. locus ille, haud dubie corruptus, ſic emendabatur a magno Caſaubono, ut pro *ἰδόντες τὰς θύρας* legeret *εἶδόν τε τ. θ.* vel *εἶδον μὲν τ. θ.* ſed cum iſta verbi *εἶδον* geminatio minus grate ſonet, equidem poſterioribus illis verbis *εἶδον δὲ καὶ* etc. manum medicam

51). Heynius a tranſpoſitione verborum medelam ſumſit haud probabilem. Scribendum videtur: *ἔφθειρε καὶ ταύτην, εἰπὼν τεθνᾶναι Πρόκνην, κρύπτων δ' ἐπὶ τῶν χωρίων.*

potius adhibuerim, itaque legerim, Ἔ*ΝΔΟΝ* δὲ καὶ
140 etc. quae etiam facilior est mutatio. sic hoc dicet Polyaenus: *Postea vero milites eum ducibus in templum ingressi, conspicati ianuas apertas nullo ministrorum praesente, INTUS autem arma,-- clamorem sustulerunt.* ἐπεὶ pro ἐπειδὴ satis usitatum esse, contra Leunclavium aliosque, qui illud negarunt, plurimis testimoniis ostenderem, nisi ista digressio hoc quidem in loco esset nimia. vide Viger. Idiot. cap. VII. sect. 6, 4.

Cap. XXXIX, 109. *Fluentium frequenter transitio fit visionum, ut e multis una videatur.* Quamvis imagines infra dicantur *continenter ferri*, non cerno tamen satis iustam esse rationem istam, cur rescribendum putaremus, *Fl. continenter.* Ea quae *frequenter*, h. e. numerose, fluunt, non ideo quidem dici possint *continenter ferri;* cur autem de iis, quae *continenter* feruntur aut fluunt, dici nequeat, *frequenter* fluere, ego sane non video.

Cap. XLIII, 121. *Cum enim optimam et praestantissimam naturam Dei dicat esse, negat idem esse in Deo gratiam; tollit id, quod maxime proprium est optimae praestantissimaeque naturae.* Ut modi convenirent, legebant critici, *dicit esse*, *negat* etc. vel *dicat esse*, *neget* etc. Est etiam, qui reponat, *dicat esse; negat tamen esse* etc. Mihi vero nihil innovandum videtur, modo interpunctionem sic restituas, ut verba *tollit id* etc. ab antecedentibus τελείῃ ὑποστιγμῇ separentur, ut est in priore Davisiana, et nupera cl. Verburgii editione factum. [32]) Tum vero vocula *idem*

32) Etiam Heindorfius probavit Walkeri emendationem *dicit esse*. Sed Cicero sententiam ita conceperat: Epicurus

eandem vim habebit, quam in locis ſequentibus. [33]) Tuſc. lib. II. c. 26. *Saepe enim multi, qui - - - - vulnera exceperunt fortiter et tulerunt, iidem, omiſſa contentione, dolorem morbi ferre non poſſunt.* lib. V. c. 10. *ut cum ea, quae ſupra enumeravi, in malis numerent, iidem dicant ſemper beatum eſſem ſapientem.* 141
Seneca de Conſt. cap. 3. *Cum ſapientem negaſtis ſervum eſſe, iidem non itis inficias, et vaeniturum* etc. Lactantius lib. II. c. 8, 12. *quod is qui providentiae fuerit aſſertor, . . idem nunc . . providentiam conatus eſt tollere.* et cap. v. 38. *Iam illud quam repugnans et abſurdum! quod cum coeleſtes ignes ceteraque mundi elementa deos adfirmant, item ipſum deum mundum dicunt.* legendum, ***IIDEM** ipſum d. m. d.* [34]) Aliquando vocula iſta omittitur, eodem tamen ſenſu manente. Acad. II. c. 36. *Tu, cum me incognito adſentiri vetes, . . tantum tibi arrogas, ut exponas* etc.

quamvis optimam naturam dei eſſe dicat, ſimul tamen negat eſſe in deo gratiam: tollit igitur id, quod maxime proprium eſt optimae naturae. Illud *igitur* omitti poterat in hac ſententia explicativa: nam maximam vim in ſe habet vocabulum *tollit* primo loco poſitum.

33) Walkerus erat, qui *tamen* coniiceret. At *idem* ita ponitur pro *idem tamen*: vid. Wolf. ad Sueton. Domit. 3. *uxorem Domitiam, ex qua in ſecundo ſuo conſulatu filium tulerat, alteroque anno conſalutaverat ut Auguſtam, eamdem Paridis hiſtrionis amore deperditam repudiavit.* Tum vero *idem* adiectiva forma uſurpatur pro adverbio *item*. Vid. ad pag. 159. Cornel. Attic. 4, 1. *idem poemata pronunciabat et graece et latine ſic, ut ſupra nihil poſſet addi.*

34) Heumannus etiam coniecit *iidem*. Dictionem Ciceronianae ſimillimam eamque bonam exhibent codices; *quod quum — affirment.*

ubi pro *tantum* legendum esse *tamen*, coniicit editor cl.; sed ellipsis omnino admittenda videtur.

Eodem cap. *neminem Deo nec deum nec hominem carum, neminem ab eo amari, neminem diligi voltis.* Notanda est synonymorum, aut ferme synonymorum coacervatio, quippe quam ad lapsus est Lambinus, in his de Fin. lib. III. c. 20. *Minime autem convenit, cum ipsi inter nos abiecti neglectique simus, postulare, ut Diis immortalibus cari simus et ab iis diligamur.* ubi vir doctus legebat, *curae simus.* sed cum *carum esse et diligi* satis aptum constituunt dictionis antecedentis oppositum, tum simili etiam modo ista coniunguntur ibidem lib. V. c. 10... *eorum enim haec est querela, qui sibi cari sunt seseque diligunt.* In hanc sermonis abundantiam saepius incidit Cicero, quod natura abhorreret a breviloquentia atque ariditate Laconica; tum etiam aliquando, ut pluribus nominibus rem unam quam maxime significaret, quod declarat Tusc. II. c. 19. Age quaedam adhuc exempla enumeremus, unde constet, quantopere sibi in iungendis ἰσοδυνάμοις indulgeat Tullius. [35]) Tusc. lib. I. c. 9. *in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum.* l. II.

35) Bene haec observavit Wopkensius. Ab eo discedit Goerenzius, qui ad libr. de Fin. 2. 15. p. 195. monet, ne vestigiis eorum insistamus, qui Ciceronem putaverint acervare synonyma vel ob numerum orationis. Quare in illis verbis *ait, eos — neque intelligere, neque videre, sub hac voce honestatis, quae sit subiicienda sententia.* aut *videre* accipiendum censet pro *clare perspicere*, aut potius tamquam glossam abiiciendum esse. At quorsum quis talia interpretamenta additurus esset in verbis haud difficilibus? Et quod duplex *neque* interponitur, monstrat verbum *intelligere* non pertinere ad ea, quae sequuntur, sed neutrali sensu significare *intellectu uti, sapere.* Reliqua cohaerent: *videre, quae sit subiicienda sententia.*

c. 7, *res ad patiundum tolerandumque difficilis.* et 142
cap. 13. *haec enim te .. relinquet et deferet.* de Legibus lib. I. c. 5. *cuius muneris colendi efficiendique caufa nati et in lucem editi fimus.* cap. 22. *ad obtinendam adipifcendamque fapientiam.* lib. III. cap. 2. *ut obtemperent obediantque magiftratibus.* cap. 13. *emendari et corrigi continentia.* de N. Deor. I, 8. *obedire et parere voluntati.* Fam. lib. III. ep. 7. *accipe et cognofce aequitatem expoftulationis meae.* de Fin. lib. IV. c. 9. *Haec videlicet eft correctio philofophiae veteris et emendatio.* cap. 23. *procedere et progredi in virtute.* de Divin. II, 43. *quod extremum atqae ultimum mundi eft.* Et quis, fi pergeremus, depromendorum ex Tullio exemplorum effet finis? Praeter illum, etiam omnes alii. Cyprianus Idol. Van. pag. 396. fic copulat *fallit et decipit*, in his: *Horum autem ratio eft illa quae fallit et decipit, et praeftigiis coecantibus veritatem, ftultum et prodigum vulgus inducit.* legendum putem, *ftultum et improvidum vulgus.* Tacitus lib. IV. Hift. c. 64. *lucem diemque hominibus aperuit.* ubi confule Pichenam. Min. Felix Oct. cap. 24. *fciunt, norunt.* cum nota Davifii. quo etiam confer, quae Cortius ad Salluft Cat. cap. 51, 25. et Dukerus ad Florum lib. II, 12. 2. lib. III, 18, 5. et lib. IV, 2, 46. Hinc forfitan colligi licet, imo neceffe eft, operam perdidiffe viros illos doctiffimos, qui litem fequentibus locis moverunt. Cicero fupra cap. 15. *communemque naturam, univerfa atque omnia continentem.* [36] quae

36) Alii libri habent *univerfam.* Sed praeftat altera fcriptura, emendatione non indigens. Nam per particulam *atque* exprimitur conclufio. Communis rerum natura continet univerfa eoque omnia fingula. vid. Turfellin. f. v. ATQVE.

ſynonymia haud minus ingrata eſt quam pleonaſtica illa loquendi ratio, qua dixit Plautus *univerſi omnes*, notante in Lex. Pareo. Velleius Paterc. lib. II. cap. 27, 3. *cuius abſciſſum caput ferri geſtarique circa Praeneſte Sulla iuſſit.* ſed *ferri* ibi denotat ſibi adferri, ut apud Sever. lib. I. c. 23, 10. Iuſtin. 1, 5, 10. et alibi; *geſtari* autem eſt circumferri. Quod non reputabat erud. Burmannus, qui ſynonymiam ingratam cauſatus, legebat *ferri*, *ſpectarique.*[37]) Pompon. Mela in prooemio: *Id quo facilius ſciri poſſit atque accipi,*
143 *paullo altius ſumma repetetur.* et lib. I. c. 12. *diver-*

37) Wopkenſius antea ſcripſerat: „ſed ibi tamen ſcriptum fuiſſe iam ſuſpicor *c. a. c. efferri geſtarique.*" Correxit haec in Addendis, et in Adverſariis, quae inſerta ſunt Miſcell. Obſerv. T. 8. p. 39. v. *ferri* interpretatus eſt, *adferri*, *ſibi exhiberi.* Tum eum acerrime impugnabat Burmannus in Miſcell. Obſerv. T. 8. p. 373. negans *ferri* aptum eſſe verbum rei deſcribendae, nec poſſe poni pro *adferri.* Ille tamen iterum ſuam ſententiam defendit in Miſcell. Obſerv. Tom. 9. p. 254. his verbis: „Burmannus legendum putabat *ſpectarique c. P. i.* Sed parum veriſimile eſt, ut Sulla conſpiciendi capitis Teleſini edictum dederit. Nec tali mutatione indigere locum in Lect. Tullian. Addendis ac deinceps in Adverſariis noſtris videmus, quoniam hic manifeſto verborum ſenſus, ut Sulla iuſſerit ad ſe ferri hominis huius caput, ac circa Praeneſte illud geſtari. Quid planius? Si praeſertim addes, quae de hac verbi *ferre* notione obſervavimus: quod ſic a ſpecialiore verbo *geſtare* diſtinguitur, quemadmodum nos noſtra *brengen* et *dragen* facile diſtinguimus, ut nempe poſterius ad certum ferendi modum reſpectum habeat." Haec omnia transmittens, Ruhnkenius veram lectionem inveniſſe ſibi viſus eſt in his: *cuius abſciſum caput ferri oſtentarique circa Praeneſte Sulla iuſſit.* quae quo modo a librariis depravari aut mutari potuerint, equidem non perſpicio. Si quae corruptela in alteroutro verbo latet, corrigendum erit illud *ferri*, quod nullo pacto dici poterat pro *ad ſe ferri.* De eadem re

*ſas opes maris atque terrarum ſacili commercio permutat ac miſcet.*

---

## CAPUT V.

*Tria loca Tullii in Lib. II. de N. D. adſeruntur. Conſtructionis confuſio illuſtratur. Lactantius vindicatur, atque etiam cum Caeſare, diſtinctionem quod attinet, emendatur. Indicativus in altero orationis membro adiuvatur, emendatioque Senecae et aliquot Tullii locorum dubia redditur.* Ἀκυρολογία, *qua voces eaedem aut ſynonymae ſibi invicem ſubiiciantur, illuſtratur, cum defenſione Tullii Velleiique Paterculi, ac redargutione Philonis Iudaei.*

Pergamus iam ad librum ſecundum de Nat. Deorum. Ibi Cap. IV. ſic loquitur Ciceronis Balbus: *Ne aegri quidem, quia non omnes convaleſcunt, idcirco ars nulla medicina eſt?* Non ſunt haec interrogatorie, ſed abſolute intelligenda, ideoque nullius loci eſt ſignum ἐπερωτηματικὸν, quod appoſuerunt. Malo etiam omine comma poſt *quidem* irrepſit, quandoquidem vox *aegri* ad verbum *convaleſcunt* eſt referendum: ut *aegri quia non omnes convaleſcunt*, ſyntaxi Ciceroni familiariſſima, dicatur pro *quia aegri non omnes convaleſcunt.* [38]) Sic ſupra cap. 38. *Gracchum cum video concionantem.*

Livius 4, 19, 5. *caput abſciſum victor ſpiculo gerens.* Iuſtin. 24, 5. *caput eius amputatum et lancea fixum tota acie ad terrorem hoſtium circumfertur.* Quare aut excidit nomen aliquod, aut Velleius ſcripſit *abſciſum caput adferri geſtarique circa P. Sulla iuſſit.*

38) Negatio duplex nullam habet offenſionem. Cic. in Verr. 1, 60, 155. *non enim praetereundem eſt ne id qui-*

Tusc. III, 5. *Eos enim sanos quoniam intelligere necesse est... qui contra affecti sunt, eos insanos appellari necesse est.* i. e. *quoniam enim eos sanos* etc. ubi Lambinum, τὸ *quoniam* exscindentem, merito redarguit cl. Davisius, qui tamen idem illud commisit, in his Lactantii Epit. cap. 15. *Ergo hoc Terentius a philosophia sumtum cum tam commode dixerit,* (i. e. *Cum ergo hoc Terentius* etc.) *nos.. non et dicemus*
144 etc.? ubi voculam *cum* delebat vir cl. iuxta librum Ursini; quae tamen a librariis videtur omissa potius, quam iniecta. Sic Seneca epist. 27. *Scelera etiamsi non sunt deprehensa,.. sollicitudo non cum ipsis abit.* Lactantius lib. VI. cap. 4. *haec enim vita temporalis quia brevis est, idcirco et bona eius et mala brevia sint necesse est.* huc quoque, post vocem *temporalis*, comma se importune ingesserat; quemadmodum etiam, post vocem *Caesar*, in locum istum Caes. B. Gal. lib. IV. cap. 11. *Caesar quum ab hoste non amplius XII. millibus abesset,.. legati ad eum revertuntur.* Iam vero quod τὸ *ne quidem* in loco proposito, interiecta voce *aegri*, discinditur, hoc etiam illustratum cernere licebit, in iis quae ad Divin. II, 72. conferemus. His ego omnino permoveor, ut locum Ciceronis propositum omni ex parte sincerum esse cum Iano Grutero existimem, quamvis eum virum pervicaciae accuset cl. Davisius, qui prava distinctione se passus induci, legebat *Ne aegris quidem, quia* etc.

Cap. VI, 18. *Animum denique illum spirabilem siquis quaerat unde habemus, apparet* etc. Latinitas,

*dem.* Nec tamen interpunctionem post *quidem* factam temere reprehenderim, siquidem verba *ne aegri quidem* continent sententiae alteram unam partem, quae antecedentibus opponatur: ne aegri quidem illud comprobant.

inquit vir cl., flagitat ut legatur *habeamus*. Grammaticam, ſive rigidas grammaticorum vix ulla cum exceptione regulas hoc flagitare, concedo; an vero Latinitas flagitet, hoc mihi quidem haud ita conſtat, quin rationem dubitandi exhibeant, quae obſervavit iam Vechnerus Hellen. lib. II. cap. 36.[39]) et Pareus in Lex. Plaut. V. Enallage et Syntaxis. Adde Corn. Severum in Aetna v. 274.

*Scire quid occulto naturae terra coërcet.*

ſic ſaepius poetae. Praeter hos autem Seneca epiſt. 4. extr. *ſcis quos nobis terminos ſtatuit.* epiſt. 13. extr.

39) Nimium iam diſputatum eſt a viris doctis de verbis *ſcire, quaerere, docere, videre, conſiderare* et aliis cum indicativo compoſitis. vid. Burmann. ad Lucan. 1, 126. Creuzerum ad Cic. de Nat. d. 1, 41. Goerenz. ad Cic. de Fin. 4, 24, 67. et 5, 10, 30. Nonnulli negligentiae aliquid concedendum eſſe putabant, alii certe poetis tribuebant libertatem grammaticis legibus non obnoxiam, alii denique, quid comici et priſcae linguae auctores uſurpaverint, accuratius diſtinguebant ab recentiorum uſu artis praeceptis formato. Indicativus a Latinis poni poterat in oratione magis ſoluta, nec ſententiarum arctiore vinculo conſtricta, in qua quae indicativo exprimuntur, per ſe conſtant et apponuntur verbo, inſtar unius nominis. Quae erat antiquae loquelae et vitae communis conſuetudo. At in ſcriptoribus, qui artem adhibuerunt verbis inter ſe nectendis, eiuſmodi dictiones negligentiae nomine ſuſpectae ſunt aut vitioſae. Atque in hac ſententiarum concinnitate requiritur coniunctivus. Ubi autem res cognoſcenda vel cognita deſcribitur, quae ipſa ſit, de qua non dubitatur, an ſit, ab optimo quoque ſcriptore indicativus ponitur. ut Cic. de Fin. 4, 24, 67. *at quo nituntur homines acuti argumento ad probandum, operae pretium eſt conſiderare.* i. e. *id, quo nituntur argumento.* conf. in Verr. 2, 53, 131. Nituntur enim re vera acuti homines argumento. Ita Acad. 2, 15, 46. *ut, quanta luce ea circumfuſa ſunt, poſſint agnoſcere.* Sed

*videbimus utrum veniet.* vide quoque epiſt. 34. et 116.
145 et dubiam haec facient rationem correctionis clar. Schultingii, qui *trepidaverit* pro *trepidavit* legendum putabat, in his Suaſor. I.. *de qua dixit, quomodo illa trepidavit, etiam quod Granicum tranſiturus eſſet.* 40) Min.

ubi conſideranda res nondum conſtat, neque tantum agnoſcenda, ſed adhuc quaerenda eſt, cognoſcendique argumentum ipſum in quaeritando cernitur, non poteſt coniunctivus non adhiberi. Si in Cic. de Off. 1, 7, 23. ſcribitur *audeamus Stoicos imitari, qui ſtudioſe exquirunt, unde verba ſunt dicta*, ſenſus eſt: qui exquirunt etymologiam verborum: ſin vero *unde verba ſint dicta*, Stoici dicuntur quaerere de re adhuc incognita et incerta, quid ſit unde verba dicantur. Atque illud voluiſſe videtur Cicero. Neceſſario igitur abſtinebimus a mutatione horum locorum de Fin. 5, 9, 24. *incipit progredi, ſeſeque agnoſcere, et intelligere, quam ob cauſſam habeat eum, quem diximus, animi appetitum.* Quae Bremius profert ad defendendum indicativi uſum, non vera ſunt. Appetitus ille enim certus erat, non cauſſa eius. de Nat. d. 1, 41, 116. *ſanctitas autem eſt ſcientia colendorum, qui quamobrem colendi ſint, non intelligo, nullo nec accepto ab iis, nec ſperato bono.* Indicativus ut locum obtineret, eſſe deberet *quamobrem coluntur.* In verbis, quae defendit Wopkenſius, boni codices praebent *habeamus.* Epiſt. ad Att. 7, 12. *ſin diſcedet, quo, aut qua, aut quid nobis agendum eſt, neſcio.* vitioſam eſſe ſcripturam, ipſum futurum monſtrat. Exſpectemus igitur emendationem ab auctoritate meliorum codicum. Poetas ſaepe metrum coegit, ut, antiquum morem ſequuti, pro coniunctivo indicativum ponerent. Neque vero exempla adhiberi poſſunt alieni generis, veluti Cic. p. Mur. 21, 43. *neſcio quo pacto ſemper hoc ſit.*

40) In primo Senecae loco una edit. Rom. exhibuit *ſtatuit:* codices omnes Schweighaeuſeri *ſtatuat.* In altero codices praebent *videbimus, uter vincat.* Suaſoriarum verba recte emendavit Schultingius. Apud Minutium c. 5. intelligitur *id, de quo quaerimus.* Prorſus alia etiam eſt ratio formularum *vide, adſpice ut.*

Felix Oct. cap. 5. *Quamquam tibi -- de quo cummaxime quaerimus, non ſit ambiguum.* cap. 18. *Coelum vide quam late tenditur* etc. Lactantius Epit. cap. 45. *videamus ergo, ſi ſermones illius veri ſunt, et tentemus, quae eventura ſunt illi.* cap. 14. *cur ita traditur, ratio certa eſt.* ubi *tradatur* coniicit vir cl. Saluſt. Iugurth. cap. 4; 4. *Qui ſi reputaverint, et quibus ego temporibus magiſtratus adeptus ſum* etc. [41]) Quin ita quoque Cicero multis, immo plurimis in locis quorum quaedam coniecturis ſuis aggreſſi ſunt interpretes, quaedam vero incaſtigata elabi ſiverunt. infra lib. III. c. 6. *Sed qui iſta intellecta ſunt, a philoſophis debeo diſcere.* de Divin. II, 71. *ut mihi mirum videatur, . . . quomodo iſti . . non ex multis potius uni ſidem derogant, quam ex uno innumerabilia confirmant.* Acad. lib. II. c. 15. *ut quanta luce ea circumfuſa ſunt, poſſint agnoſcere.* de Fin. I, 7. *Et quod quaeritur ſaepe, cur tam multi ſunt Epicurei; ſunt* etc. ſic lib. IV. c. 24. et lib. V. c. 9. Tuſc. III. cap. 5. *Graeci autem μανίαν unde appellant, non facile dixerim.* Haec loca cum emendatricem manum experta ſint, nil tamen monitum eſt ad illa, Tuſc. V. cap. 16. *parumne cognitum eſt, . . an delectationis . . cauſa locuti ſumus?* et cap. 41. *In quo quantum ceteris profuturi ſumus, non facile dixerimus.* de Nat. Deor. I, 41. *qui quamobrem colendi ſunt non intelligo.* [42])

41) Etiam hoc in loco praeſtantiores libri habent *adeptus ſim.*

42) In Libr. de Nat. d. 3, 6, 14. de Fin. 1, 7, 25. Tuſc. 3, 5, 11. reſtituta iam eſt meliorum librorum ſcriptura: nec dubitari licet, quin ſcribae etiam in Tuſc. 5, 41. vocalium ſimili ſono decepti, *ſunt* pro *ſint* dederint. In

Cap. IX, 25. .. *eaque* (terra) *hieme ſit denſior, ob eamque cauſſam calorem inſitum in terris contineat arctius.* Ad h. l. „Pronomen, inquit cl. Daviſius,
146 „ad *terram* dubio procul eſt referendum; quod ſi ſit, „qualis quaeſo haec erit locutio, *Terra calorem inſi-* „*tum in terris contineat arctius?* Aut igitur, pergit „ille, reponendum, *calorem inſitum intra ſe conti-* „*neat arctius*, aut quod malim, voces *in terris* ſunt „prorſus expungendae.“ Sic vir doctiſſimus. [43]) Haec autem miror non aeque facile potuiſſe concoqui ab illo, quam iſta lib. III. cap. 11. *Illa vero* (natura) *cohaeret et permanet naturae viribus.* ubi „Ampl., inquit, „Boherius nonnulla deeſſe putat, quia vix eſt ut Tul- „lius diceret, *illam* (naturam) *permanere naturae vi-* „*ribus.* Lacunam tamen haud agnoſco, et ſimilis lo- „quendi ratio eſt infra cap. 14.“ Sic ibi commentatur ipſe Daviſius, haud reputans ſe antecedente adnotatione ſua ſibi vineta caedere, doctiſſimumque Boherium ſic redarguere, ut ſe ſimul redarguat ipſe. In loco autem, quem allegat vir cl., ſic loquitur Tullius; *Etenim aut ſimplex eſt natura animantis, . . . aut concreta ex pluribus naturis:* quae ſane non tantum faciunt ad vindicanda iſta, quibus vindicandis adferuntur, ſed etiam ad ſtabiliendum illud *terra continet in terris*, quod hic ſollicitatur. Sed loquendi genus pluribus exemplis repraeſentari meretur, quoniam, ſi verum dicere velimus, non ab omni ſoloeciſmo immune-

Tuſc. 5, 16. Wopkenſius miro modo erravit. De reliquis exemplis antea diximus praeter illud de Divin. II, 71. ubi Hottingero credere oportet. Indicativo ibi nullus conceditur locus.

43) Haec extrema Daviſius in altera editione ſui libri omiſit.

eſt. [44]) Sic igitur noſter Acad. I. cap. 8. *Senſus autem omnes hebetes et tardos eſſe arbitrantur, nec percipere ullo modo res eas, quae ſubiectae ſenſibus viderentur.* i. e. ſibi ſubiectae. lib. II. cap. 33. *Quid fiet artibns? quibus? hiſne, quae ipſae fatentur coniectura ſe plus uti, quam ſcientia? an his, quae tantum id quod videtur, ſequuntur, nec habent iſtam artem veſtram, qua vera et falſa diiudicent.* ubi *artes* dicuntur habere *artem*, *qua diiudicent:* plane quemadmodum Seneca loquitur epiſt. 95. *Omnes iſtae artes circa inſtrumenta vitae occupatae ſunt, non circa* 147 *totam vitam. Itaque multa illas inhibent extrinſecus, et impediunt, ſpes, cupiditas, timor. At haec* (ſc. ars) *quae artem vitae profeſſa eſt, nulla re* etc. Nihil igitur innovandum Tuſc. II. cap. 17. *Sit ne igitur malum dolor, nec ne, Stoici viderint... Ego illud qnidqnid ſit, tantum eſſe quantum videatur non puto; fàlſaqne eius viſione et ſpecie moveri homines dico vehementius, doloremque eius omnem eſſe tolerabilem.* Hic, ſi recte attendas, *dolor doloris* dicitur, quoniam illud *doloremque eius* directo quidem ad *malum* pertinet, deinceps vero ad *dolorem;* quem is, qui haec diſputat, non concedebat eſſe malum, aut tan-

44) Ne ſoloeciſmum appelles id, quod ad conformationem notionum univerſalium pertinet. Poteſt enim in praedicato id iterum dici, quo ſubiectum conſtat. Sed Wopkenſius compoſuit diverſa exempla: at uſum dictionis egregie illuſtravit. Cicero ita loqui poterat, quum duas res diſtingueret, calidam aquam ex puteis iugibus trahi, et hibernis maxime temporibus id fieri ſolere. Illius cauſſa cernitur in eo, quod vis caloris cavernis continetur, hoc autem in eo, quod terra, in hieme denſior facta, calorem arctius continet. Haec, quae diſponi debebant, ex ordine appoſita ſunt.

tum certe malum, quantum videretur. Hoc non tolerabant critici, qui emendarunt *doloremque eis omnem*, vel *doloremque, velis, omnem*, vel *doloremque velis modo omnem*. Mihi vero, iuxta exempla quae protulimus, hoc loquendi genus eorum catalogo accensendum videtur, quae nimis urgere non liceat.[45]) Rursum de Fin. lib. III. c. 20. *consentaneum est huic naturae, ut sapiens velit gerere et administrare remp., atque ut e natura vivat, uxorem adiungere, et velle ex ea liberos.* hic est soloecum illud *velit velle.* quoniam vero illud *velit* et *velle* intervallo satis magno a se invicem distant, quid mirum, si Cicero in illud absonum de improviso inciderit?[46]) sic nihil esse videtur, cur cum viris cll. malimus legere, *et procreare ex ea liberos*, vel *et quaerere ex ea liberos.* Plurima vero huius *ἀκυρολογίας* exempla ex sacris scriptoribus collegit doct. Glassius lib. III. tract. II. can. 13. unde etiam illud refellere possemus, quod Philo Iudaeus lib. de somniis a Deo missis, pag. 599. B. argumentatus est ex verbis Genes. 31, 13. *Ἐγώ εἰμι Θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν*
148 *τόπῳ Θεοῦ.* Quae versio mala est verborum Hebraeorum, ut docuit ad istum locum illustrissimus Clericus, et quamvis esset bona, ne sic quidem inserviret super-

45) Non ita. In verbo *illud* non intelligitur malum, sed res quae excitet dolorem. Deest enim latinae linguae vocabulum, quod respondeat nostro *Gegenstand.* Et recte dicitur *dolor alicuius rei*, de dolore ab aliqua re excitato. Sic Cic. ad Att. 9, 9. *iniuriae dolor.*

46) At potius diversus est sensus unius verbi. Primum *velle* significat, apud se constituere, in se recipere, tum vero, impetrare, cupere. Per euphemismum quae dicta sunt, critici percipere noluerunt, librarii exposuerunt addito verbo *procreare.* Nihil deest, nec quod ista ratione coniungitur *velit velle*, putidum dixerim.

ſtitioſis hominis ingenioſi enarrationibus; ſed argumentum illud iam fuſius non perſequemur. Non poſſum autem quin hac occaſione defendam locum Velleii Paterculi, ubi non quidem vox eadem iſto modo geminatur, ſed haud minore cum duritie duae concurrunt voces, quae paſſim σvvovύμως accipiuntur. Sic loquitur ille auctor lib. II. cap. 7. *Factum Opimii, quod inimicitiarum quaeſita erat ultio, minor ſecuta auctoritas; et viſa ultio privato odio magis, quam vindictae publicae data. Ultio* dari dicitur *vindictae;* quae eſt ipſa ultio; ergo *ultio* dabatur *ultioni.*[47]) Tentant viri magni, *et viſum privato odio magis, quam vindictae publicae datum:* vel, *ut viſum privato o. m. q. v. p. dari.* Sed incommodum illud, quod iſtiuſmodi emendationem extorquebat his hominibus, idem plane exſtat in his Senecae Epiſt 95. *Inter inſaniam publicam, et hanc, quae medicis traditur, nihil intereſt, niſi quod haec morbo laborat, illa opinionibus falſis. Altera cauſas furoris traxit* etc. vides, ut *furoris* cauſas traxiſſe dicatur *inſania;* quae cum ipſe *furor* ſit, *furor furoris* cauſas, ſi argutari velis, traxerit, h. e. cauſas ſuas. Noſter Divin. II, c. 33. *Errabat enim multis in rebus antiquitas, quam vel uſu iam, vel doctrina, vel vetuſtate immutatam videmus. Antiquitas* paſſim idem valet, quod *vetuſtas;* at Tullius iſta neſcioquomodo diſtinguere geſtiit, cum diceret, *antiquitatem... vetuſtate immutatam.*[48]) Qualis

47) Scilicet privata ultio opponitur publicae. Id non reputavit Wopkenſius, quum immutaret ordinem verborum *quam publicae vindictae data.* Locum ſubtiliter explicuit Ruhnkenius.

48) Clara eſt diſtinctio. *Vetuſtas* eſt longinquitas temporis, et dicitur adeo de rebus poſteris. Cic. ad Att. 14, 9.

etiam M. Felicis incuria fuit, in his Oct. cap. 20. *non nos debet antiquitas imperitorum - - ad errorem mutui rapere conſenſus: cum philoſophorum ſuorum ſententiis refellatur, quibus et rationis et vetuſtatis ad-*
149 *ſiſtit auctoritas.* ***Iuſſa*** et ***imperia*** paſſim ἰσοδυναμοῦσι. ***Iuſſis*** tamen ***imperia*** ſubiicit Virgilius Aeneid. lib. VI. v. 455.

> *Sed me iuſſa Deum, quae nunc has ire per umbras,*
> *Per loca lenta ſitu cogunt, noctemque profundam,*
> *Imperiis egere ſuis.* —

quomodo etiam *poteſtati* et *auctoritati imperium* ſubiungit Min. Felix Oct. cap. 6. *Sic eorum poteſtas et auctoritas totius orbis ambitus occupavit: ſic imperium ſuum ultra ſolis vias. . propagavit* etc. ***Dulcedo corporis et titillatio, ex eave natâ laetitia***, nonne haec ipſa *voluptas* eſt? Attamen haec *voluptati* neſcioquomodo ſubordinat Tullius de Fin. lib. III. c. 1. *Voluptatem.. quidem conceſſuram arbitror - - dignitati: etenim ſit impudens; ſi. . pluris eſſe contendat dulcedinem corporis et titillationem, ex eave natam laetitiam, quam gravitatem animi atque conſtantiam.* cur non dicere maluit, *ſi.. pluris ſe eſſe contendat, quam gravitatem a. a. c.?* [49]) ***Commoda*** et ***Commoditates***, cum paſſim eandem notionem habeant, ſic tamen, quaſi quidpiam intereſſet, concurrunt de Nat. Deor. II. c. 5... *quam cepérimus ex magnitudine commodorum, quae percipiuntur coeli temperatione, fecunditate terra-*

49) Non potuit. Neceſſario enim diſtinguuntur *dulcedo corporis*, quae eſt voluptatis (conf. de Leg. 1, 17, 47), et *laetitia* exſultans, ab illa dulcedine excitata.

*rum, aliarumque commoditatum complurium copia.* [50]) Eant igitur, qui Ciceronem quasi deum plane *ἀναμάρτητον* suspiciunt, omniaque in eius stilo ad amussim nimia sane cum religione expendunt; et mirentur, quomodo excidere illi haec sermonis vitia potuerint. Caveamus tamen, ne talia scriptori tersissimo prae aliis quibusque probatissimis praecipua esse existimemus, quorum nemo non sic aliquando attentionem suam sufflaminari passus est.

---

## CAPUT VI. 150

*Cicero II. N. D. novies defenditur. Coniunctio copulativa pro adversativa in quibusdam tum Ciceronis tum Vell. Paterculi et Senecae locis stabilitur. Duo adiectiva sine copula. Cicero obiter defenditur.* Vanitas *pro instabilitate:* veritas *pro constantia. Duo Ciceronis loca in transitu defenduntur.* Nasci ab aliquo. *Cicero rursum defenditur. Repetitio eiusdem nominis, una cum constructione confusiore adstruitur. Tria Ciceronis loca cum Hygino, Curtio et M. Felice stabiliuntur.* Rite *pro recte.*

Cap. XV, 39. eiusdem lib. II. de Nat. Deor. de sole: *necesse est aut similis sit igni, quem adhibemus ad usum atque victum, aut ei qui corporibus animantium continetur. Atque hic noster ignis, quem usus vitae requirit, confector est et consumtor omnium--- Contra ille corporeus, vitalis et salutaris, omnia*

50) Non omnia commoda sunt commoditates. Intelliguntur autem commoditates vitae, quibus commoda percipiuntur. Haec igitur non vitio poterant dari Ciceroni. Aliter sensisse videtur Heindorfius p. 206, Ciceronem vocans scriptorem tot locis indiligentiorem.

*conſervat . . ſenſuque adficit.* Primo ἀντὶ τοῦ *Atque* emendabat vir cl. *Atqui*, licet editi ſimul et ſcripti prius illud repraeſentent. Similes eiuſdem viri emendationes exſtant ad lib. III. cap. 36. Acad. II. cap. 40. et Tuſc. II. cap. 20. et lib. III. cap. 7. At a contraria parte ſtare videtur Salmaſius ad Florum lib. II. c. 15, 2. et Cortius ad Salluſt. Iug. cap. 4, 3. et Catil. cap. 51, 35. Horum ſi ſententia vera eſt, quod quidem ut ſuſpicer, ingens facit exemplorum numerus, qui lancem in eam partem deprimit; agnoſcendum erit, orationem ſaepe per copulandi coniunctionem ſic continuari, ubi aut contraria connectantur, aut aliquid per occupationem ſubſumatur, ita quidem, ut proprius ibi videatur
151 adverſativae coniunctioni locus. [51]) Atque idem etiam de voculis *et*, *ac*, et *que* videtur ſtatuendum: ut nihil mutandum ſit infra lib. III. c. 10. *Et Chryſippus* etc. nec apud Vell. Paterc. lib. II. c. 33. *Et Lucullus* etc. et cap. 4. *Et Scipio* etc. nec in his Senecae Suaſ. I. extr. *Utriuſque vobis faciam poteſtatem. Et volebam vos experiri, non* etc. et Suaſ. II. initio: .. *Et nunc, proh dolor! concidunt* etc. Pluribus id, quod dico, confirmarem teſtimoniis, niſi in rebus tam exilibus et meo tempore, et lectoris attentione abuti vererer. conferantur, quae ad Tuſc. lib. III. cap. 3. Hoc primum erat ad locum propoſitum Ciceronis commentandum. Iam alterum eſt, quod vir clariſſimus in ſequentibus, verbo ſubſtantivo iniecto, legebat *vitalis eſt et ſalutaris.* Quae emendatio quibus rationibus nitatur, intelligo equidem iuxta cum ignariſſimis. Nam ſi verbum illud huic loco conveniret, poſſet ſubaudiri per ellipſin longe uſitatiſſimam; ſed omnino per appoſitio-

51) Conf. quae dixi in Turſellino ſ. v. Atque.

nem intelligenda videntur illa, *vitalis et ſalutaris,* quae per eiuſmodi periphraſin efferri potuerunt, *qui vitalis et ſalutaris eſt.*

Cap. XVIII, 48. *Ne hoc quidem phyſici intelligere potuiſtis, hanc aequalitatem motus conſtantiamque ordinum in alia figura non potuiſſe ſervari.* Non eſſe puto, cur malimus *conſtantiamque et ordinem:* intelliguntur enim iidem illi *ordines,* de quibus ſic ſupra c. 5... *multo magis in tantis motionibus, tantiſque viciſſitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam.. vetuſtas mentita ſit.* infra cap. 35. *motus eius finitos et aequabiles, omniaque ratis ordinibus conſtantia.* et cap. 38. *tam certos coeli motus, tam ratos aſtrorum ordines.* Quis non videt, quod hic de ordinibus illis dicitur, id in loco propo- 152
ſito *ordinum conſtantiam* commodiſſime appellari?

Cap. XX, 53. *Huic autem proximum inferiorem orbem tenet πυρόεις.* Offendebat virum doctiſſimum duorum adiectivorum ſine copula concurſus, quem ut tolleret, *proxime* pro *proximum* legebat. Similiter etiam in his lib. III. c. 21. *eodemque numero, quo proximae inferiores: proxime* reſtituebat. Mihi haec loca mutuae inter ſe defenſioni inſervire videntur, cum praeſertim plura ſimilia adiungi queant. ſic enim lib. I. ad Fam. ep. 9. *quem proximis ſuperioribus diebus acerrime oppugnaſſet.* in Orat. cap. 64. *non loquor de uno pede extremo. adiungo, quod minimum ſit, proximum ſuperiorem, ſaepe etiam tertium.* Tacitus Annal. I. cap. 77. *Theatri licentia proximo priore anno coepta.* Saepius autem duo adiectiva ἀσυνδέτως uni iunguntur ſubſtantivo. ut in Somn. Scip. cap. 5. *ſummus ille coeli ſtellifer curſus, cuius converſio eſt*

*concitatior* etc. Iſidorus orig. lib. XIV, 8. *continens terra perpetua.* [52]) Plura cumulate ſubminiſtrat Sanctius Min. lib. II. cap. 8. unde forte defenſio etiam ſuſcipi poteſt pro lectione iſta, infra cap. 21. *Coeleſtem ergo admirabilem ordinem, incredibilemque conſtantiam* etc. ubi vir cl. volebat, *Coeleſtium.* de Finibus lib. III. cap. 19. *ſic apparet a natura ipſa ut eos, quos genuerimus, amemus impelli. Ex hoc naſcitur, ut etiam communis hominum inter homines naturalis ſit commendatio.* ubi ille *et naturalis.*

Cap. XXI, 54. *Hanc tantam tam variis curſibus in omni aeternitate convenientiam temporum.* Quod

52) Quum agitur de concurſu duorum adiectivorum in iis quidem locis, qui non rhetorica vi ingraveſcunt, ſecernenda ſunt ea, quae aut ob ipſam diſtributionem nominum, aut ob alias rationes ad diverſa capita referri debent. Nam ubi alterum adiectivum nomini praecedit, alterum ei adiicitur, aut duo praemittuntur, eorum alterum cum nomine in unam notionem ita concurrit, ut unum tantum epitheton appoſitum videamus. *Alienum aes grande.* Salluſt. Cat. 14. *communis hominum inter homines naturalis commendatio:* ubi Daviſius temere interpoſuit *et.* Cic. de Fin. 3, 19, 61. Praeterea diſtinguenda ſunt tria haec genera nominum, participia, nomina vel tempus vel locum vel numerum ſignificantia, veluti *inferior, proximus, ultimus,* et pronomina: quae omnia non pro puris epithetis haberi poſſunt. Atque his generibus ea adnumeranda ſunt, quae Wopkenſius protulit. In Cic. de Nat. deor. 2, 21. dubitari non poteſt, quin ſcribendum ſit: *coeleſtium ergo admirabilem ordinem.* De Leg. 1, 9, 26. Goerenzius edidit *rerum plurimarum obſcuras neceſſarias intelligentias enodavit.* quod ferri nullo pacto poteſt, neque etiam allatis exemplis, quae admodum diſcrepant, illuſtratur. Aut vocabulum *neceſſarias* fortuito irrepſit e gloſſis, quae erat Schützii ſententia, aut oblitterato quodam nomine, factum eſt ex vocabulis, quae in aliis codicibus ſuperſunt, *nec ſatis.* Igitur lacunae ſignum apponamus.

codices quidam Lactantii, qui haec verba citavit iniecta praep. referunt, *Hanc tantam in tam variis curſibus* etc. id mihi quidem haud ita ridet, ut a vulgata Ciceronis et Lactantii lectione tranſverſum unguem ab- 153
ſcedendum putem. *Tam variis curſibus*, hoc eſt, quum tamen varii ſint curſus. ut alibi, *infirma valetudine*, *tanta hieme*, *tanta rerum commutatione*, *tam gravi morbo*, *nullo aprico horto*, *tam recenti gratulatione, hoc tanto incendio:* et innumera talia. [53])

Ibidem [XXI, 56.]: *Nulla igitur in coelo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas ineſt; contraque omnis ordo, veritas, ratio, conſtantia; quaeque his vacant, ementita et falſa plenaque eeroris eunt circum terras.* Exhibet codex aliquis, *nec erratio*, *nec varietas*, pro *vanitas:* ego tamen, ſpectatiſſimorum pace virorum, vulgatam lectionem praetulerim. Haec enim eleganter iungit oppoſita illa, *vanitas* et *veritas;* ut Tuſc. III. c. 1. *ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipſa cedat.* pro Quintio [6.]: *ſi veritate amicitia colitur, qui amicum prodit, vanum ſe fateatur neceſſe eſt.* Seneca epiſt. 13. *Quomodo intelligam vana ſint, an vera?.. neſcio quomodo magis vana perturbant: vera enim modum ſuum habent.* ſic epiſt.

53) In hunc modum emendandus eſt Plinii Panegyr. 27, 2. ubi codicum praeſtat lectio haec: *largiatur et auferat: alat et occidat: nec ille tam brevi tempore effecerit, ut omnes non poſterorum modo, ſed ſui parentumque poeniteat. Tam,* quod Erneſtio ineptum videbatur, recte dicitur in ſententia, quae admirationem exprimit, pro *quam.* Hac eadem ratione componitur cum ſuperlativo. Cic. Philip. 12, 5, 11. *nondum erat veſtris tam graviſſimis tamque multis iudiciis ignominiisque concisus.*

95, 110. et alibi. [54]) Caeterum tam *vanitatem* posse tribui rebus caducis et instabilibus, quam *veritatem* ratis et constantibus, id cum per se abunde liquet, tum quoque probari potest atque illustrari locis sequentibus. sic enim Acad. II. cap. 11. *Aut quomodo ista perspicua dicemus, aut impressa in mente subtilius, cum sit incertum vere inaniterne moveatur.* Claudianus in Ruffinum lib. I. v. 16.

> *vacuo quae currere semina motu*
> *Affirmat* —

*vacuo*, i. e. inani rationis, minime providentia quapiam ordinato, ut recte enarrat Barthius. Arnobius lib. II. pag. 45. *An numquid haec fieri passim et inaniter creditis? fortuitis cursibus adsumi has mentes?*
154 D. Paulus ad Rom. cap. 8, 20. *τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη.* His etiam lectionis illius elucet integritas, supra cap. 5. *in quibus nihil umquam immensa et infinita vetustas mentita sit.* ubi pro *mentita sit*, coniiciebat cl. Walkerus *mutaverit:* immerito, ut etiam

54) Bene. Atque in his acquiescendum est, ne cum Heindorfio in verbis nullo ordine compositis ea, quae invicem opponantur, subtiliter eligamus, et respondere dicamus fortunam constantiae, rationem temeritati, ordinem errationi, vanitatem veritati. Quidni constantia posset etiam cum vanitate, veritas cum erratione componi? Sed omnia haec cognata sunt, et cohaerent, et significant stabilem et non stabilem, et quum id, quod in se constat, a ratione et consilio regatur, veram et inanem ac ratione destitutam conditionem rerum. Quare altera lectio *varietas* non potest hoc argumento reiici, quasi varietas non reperiat verbum, cui opponatur, aut quasi post nomina fortunae et temeritatis ipsa languescat. *Vanitas* praestat propter defectum rationis simul indicandum.

monuit doct. Boherius. Quemadmodum autem in loco Tullii propofito, fic alibi faepius *veritas* quoque conftantia, et *verum* conftans, ratum ac ftabile dicitur; quod ut hic quibufdam teftimoniis demonftrem, elegans facit locus de Legibus, qui mihi defenforem requirere videtur. Sic igitur fupra cap. 20... *ut quidquid acciderit, id ex aeterna veritate, caufarumque continuatione fluxiffe dicatis.* et cap. 15. *eandemque fatalem neceffitatem appellat fempiternam rerum futurarum veritatem.* de Divin. I, 13. *Itane vero quidquam poteft cafu effe factum, quod omnes habet in fe numeros veritatis?.. fic enim fe profecto res habet, ut numquam perfecte veritatem cafus imitetur.* Ergo nil moveamus in his de Leg. lib. II. c. 5... *quamobrem lex vera atque princeps -- ratio eft recta fummi Iovis. Q. Adfentior, frater, ut quod rectum eft, verum quoque fit, neque cum litteris, quibus fcita fcribuntur, aut oriatur aut occidat.* ubi vir. cl. tentabat, *ut quod rectum eft, aeternum quoque fit.* [55])

Cap. XXIII, 60. *Itaque tum illud, quod erat a Deo natum, nomine ipfius Dei nuncupabant.* Verbum *natum*, pro quo *datum* vel *donatum* malebat cl. editor, fatis huic loco aptum et congruum videtur. Ita enim hoc ipfo cap. *Utilitatum igitur magnitudine conftituti funt ii dî, qui utilitates quafque gignebant.* i. e. a quibus nafcebantur. Ipfa autem phrafis *ab aliquo nafci*, maxime Tulliana eft: fic enim Off. II, 5. *nulla tam deteftabilis peftis eft, quae non homini ab*

55) Verum eft, quod in fe perftat, nec mutatur aliis rebus intervenientibus. Hoc intellexit Cicero. Ceterum cur Wopkenfius inverfo ordine verborum fcripferit *quod rectum eft*, equidem ignoro.

155 *homine nascatur.* de Leg. III. cap. 13. *Non vides, Luculle, a te id ipsum natum, ut illi cuperent.* Sic *oriri a se*, Tusc. III, 17. ubi Stephanus legebat *ex se*, sed immerito, ut ego existimo: vide enim de Fin. V, 24. et alibi. [56])

Cap. seq. [24, 62.] *Hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem nostri maiores auguste sancteque Liberum cum Cerere et Libera consecraverunt.* Posterius illud *Liberum* commentatores glossematis damnarunt. Cur illud tandem? Non sane quia sensu incolumi, vox illa hinc migrare possit: sic enim exstirpandi, urendi ac secandi nullus omnino finis esset. An ergo, quia eadem vox est in superioribus? sed passim fit, ut post pronomen relativum, etiam absque ulla necessitate, repetatur nomen antecedens. Rem plurimis exemplis probavit Sanctius in Min. lib. II. cap. 9. quibus adde quae contulit cl. Davisius ad ista Min. Felicis Octav. cap. 13. *Quid Simonidis Melici nonne admiranda omnibus et sectanda cunctatio? qui Simonides, cum* etc. Elegantiam autem habet nomen post relativum positum, quae etiam suadet, ut non librario, sed ipsi Tullio vocem *Liberum* attribuamus. [57]) Cum enim ex vulgari Latinitate diceres, *non eum Liberum,*

56) Miror Davisii coniecturam *donatum*; quae olim iam glossator codici Vratislav. adscripsit, Heindorfio et Mosero tamquam necessariam placuisse. Quasi ea mutaretur ipsa res. Natum *a deo* dicitur, quod per deum factum est, non ex deo ortum. Conf. Tursellin. Tom. I. pag. 25.

57) Etiam hoc loco recentiores editores sequuti sunt Davisium, de caussa interpolationis non quaerentes. Cicero ipsam consecrationis formulam exhibet. Atqui bene respexit Wopkensius appositionis rationem. Nam reddi debent ista verba ita: *als Liber mit Ceres und Libera.*

*quem noſtri maiores -- conſecraverunt;* Tullius ſic maluit, nomine *Liberum* pronomini poſtpoſito, *non eum, quem noſtri maiores . . Liberum . . conſecraverunt.* de qua ratione loco iam dicto plura Sanctius, quem aliis etiam exemplis adiuvit Perizonius. Noſter pro Fonteio: *Quis eſt ex eo numero, qui vobis auctor placeat?* Acad. II. c. 14. *nam qui voluit ſubvenire erroribus Epicurus iis, qui* etc. et cap. 31. *Etenim is quoque, qui a vobis ſapiens inducitur, multa ſequitur* etc. cap. 43. *quod mihi tecum eſt dogma commune.* Tuſc. lib. IV. c. 27. *videamus quanta ſint, quae a philoſophis remedia morbis animorum adhibeantur.* 156
ubi non erat, cur criticorum celeberrimus legeret, *quanta et quae a philoſophis* etc. et lib. V. cap. 10. *In his tot et tantis, atque etiam quae plura poſſunt accidere, poteſt eſſe ſapiens.* Lambinus legebat, *ad quae etiam p. p. accedere*, ſed lectio vulgata tolerari poteſt. [58]) de Leg. lib. II. cap. 12. *Cumque Veſta quaſi focum urbis (ut Graeco nomine eſt appellata, quod nos prope idem Graecum interpretatum nomen tenemus) complexa ſit.* conſtructionis ordo ille proprius eſt, *quod prope idem Graecum nomen nos interpretatum tenemus.* in quo loco non poſſum adduci, ut tria iſta, *Graecum interpretatum nomen*, pro gloſſa habeam, aut cum Lambino, *Graeco interpretatum* reponam. [59]) Hyginus Fab. cap. 29. *Poſtea quum nunciaretur ei, coniugem victorem adeſſe, minime curavit,*

58) Boni codices omittunt *quae.*

59) Poenitebit Moſerum coniecturae *nec interpretatum,* adeo in textum receptae, ſi modo reputaverit, certe ſcribendum fuiſſe *idem Graecum, non interpretatum;* neque vero hoc placere, praemiſſo vocabulo *prope.* Sententia Ciceronis eſt: quod nos prope non mutatum no-

*quod putabat, ſe coniugem ſuum vidiſſe Qui cum Amphitryon in regiam intraſſet* etc. ubi fallitur doct. Munkerus, qui aut reſcribendum, *Quod cum*, aut *τὸ Amphitryon* delendum putabat. [60]) Nec vero iſtiuſmodi conſtructionum turbae duriores ſunt, quam hae ſequentes. ſupra lib. I. c. 35. *quid haec ad vitam membra pertinent?* infra lib. III. c. 33. *Duodequadraginta Dionyſius tyrannus annos fuit opulentiſſimae . . civitatis.* cap. 26. *qui eſt verſus omnium ſeminator malorum.* cap. 32. *cur - - pontifex maximus eſt Q. Scaevola trucidatus?* de Finibus lib. I. c. 3. *ut a Scaevola eſt praetore ſalutatus Athenis Albucius.* lib. IV. Tuſc. cap. 2. *Graviſſimus auctor in Originibus dicit Cato.* pro Ligario cap. 1. *propinquus meus ad te Q. Tubero detulit.* de Leg. II. cap. 17. *omnia tum perditorum civium ſcelere, diſceſſu meo, religionum iura polluta ſunt.* Curtius lib. III. c. 11, 22. *omnia planctu tumultuque, prout cuique fortuna erat, caſtra repleverant.* ubi *τὸ caſtra* demebat Freinshemius, cui
157 equidem non accedo. Lactantius lib. I. cap. 15, 29. *quia hoc ſcelerato homini placuit Antonio.* Min. Felix Oct. cap. 9. *Audio eos turpiſſimae pecudis caput aſini conſecratum venerari.* ubi ordinem verborum ſuadere arbitrati ſunt viri eximii, ut deleatur vox *aſini*, quam ego tamen omnino putem genuinam.

Sequitur eodem cap. *quorum cum remanerent animi,.. rite Dî ſunt habiti.* Legendum ampliſſimo Bo-

men eodem ſignificatu, quem Graeci intelligunt, acceptum et translatum tenemus, cui nos eamdem ſignificationem tribuimus.

60) Et recte quidem. Talis enim negligentia ne in peſſimo quidem ſcriptore ferri poteſt.

herio videbatur, *recte Dî ſunt habiti*, vel iuxta codicem quemdam, *iure Dî ſunt habiti.* Hoc autem in loco ſi voculam emendes, in aliis nimium multis, ubi ſimilem plane vim obtinet, emendanda erit. ſupra lib. I. cap. 20. *Hunc Deum rite beatum dixeris.* de Legib. lib. I. cap. 7. *quae* (ratio) *cum adolevit atque perfecta eſt, nominatur rite ſapientia.* ſic cap. 19. et alibi.

---

## CAPUT VII.

*Cicero in lib. II. de N. D. aliquoties explicatur et defenditur. Lactantii auctoritati in citandis aliorum locis non nimis tribuendum. Idem auctor emendatur. Enallage caſuum illuſtratur. D. Lucae locus vindicatur. Enallage generis comprobatur duplex. Cicero et Seneca defenduntur.* Ab ardoribus ſolis conflagrare. Magnum, *i. e. eximium. Pleonaſmus adſtruitur. Cicero obiter defenditur.*

In libro II. Ciceronis de Nat. Deorum, quem iam verſamus, cap. XXV, 64. iſta legimus; *Saturnus autem eſt appellatus, quod ſaturetur annis.* Eſt in codicibus quibuſdam et editionibus *ſaturaretur*, quod adſciſcendum arbitrabatur Walkerus; ſed receptae lectioni adhaeret Daviſius, quod illam praeſtet Lactantius lib. I. c. 12. Mihi quidem pro utraque totidem 153
rationes militare videntur, ut plane neſciam utri palmam deferam. *Saturaretur* optime congruit cum praeterito, *eſt appellatus;* quum *ſaturetur*, ſi analogiam ſpectes, requireret potius praeſens *appellatur.* ſic cap. 27. *Diana dicta, quia noctu quaſi diem efficeret.* confer, quae infra ad cap. 47. et ad Acad. lib. II. cap. 23. Quod autem lectioni vulgatae Lactantii

auctoritatem adiungit vir cl., in ea ſane praeſidium ſatis firmum non habet; quandoquidem Lactantius, praeterquam quod depravatis libris uti potuerit; ſaepiſſime aberrat ab iis, quae alicunde profert; quod iam ſaepius monuimus, atque etiam ex aliis huius adlegationis partibus planum ac manifeſtum eſt. An vero his rationibus illud poterit effici, ut praeſens *ſaturetur* ferri plane nequeat? Non ſane videtur illa temporum enallage durior, quam quae a nobis illuſtrata eſt ſupra, ad lib. I. cap. 22. et alibi. [61])

Cap. XXVII, 68. *cum ſol dictus ſit, vel quia ſolus ex omnibus ſideribus eſt tantus, vel quia cum eſt exortus, obſcuratis omnibus, ſolus apparet.* Huc reſpexiſſe Lactant. lib. II. cap. 9, 12. iam monuit cl. Daviſius: nos tamen verba illius auctoris in medio ponemus, ut aliquam ab eo gratiam ineamus. *Nam ſicut ſol*, inquit, *qui oritur in diem, licet ſit unus, unde ſolem eſſe appellatum Cicero vult videri, quod, obſcuratis ſideribus, ſolus appareat; tamen quia verum ac perfectae plenitudinis lumen eſt, et calore potiſſimo et fulgore clariſſimo illuſtrat omnia: ita in Deo, licet ſit unus, et maieſtas, et virtus, et claritudo perfecta eſt.* Primo in his legendum videtur, niſi me quidem fallat animus, *calore POTENTISSIMO.* ut *ſolem potentem* loquitur Virgil. II. Georg. 373.

159 — *ſuper indignas hyemes, ſolemque potentem*

et lib. I, 92.

— *rapidive potentia ſolis.*
*Acrior, aut Boreae penetrabile frigus* —

61) Vid. Beier. ad Cic. de Offic. 2, 3, 9. p. 20. Ex more ſuo Cicero etiam hoc loco poſuit imperfectum.

Deinde legerim libenter, *LUSTRAT omnia*, pro *illuſtrat;* quo commodius verbum hoc referatur ad *calorem potentiſſimum*, quo ſol magis proprie *luſtrare*, quam *illuſtrare* dicitur omnia. ſic Virgilius lib. IV. Aen. 607.

*Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras.*

et paſſim alibi iſto ſenſu occurrit hoc verbum, ut idem quod circumire vel peragrare ſeve praeſentem ſiſtere ſignificet. Si tamen illud *illuſtrat* retinere velimus, confugiendum erit ad ea, quae Graevius ad Iuſtin. lib. I. c. 9. et Flor. III. c. 21, 27. Daviſius ad Cic. N. Deor. I. c. 17. Barneſius ad Eurip. Hel. vſ. 1550. Burmannus ad Quinct. Inſt. Or. VI. c. 1. Dukerus ad Flor. lib. II. c. 7. p. 361. et Cortius ad Salluſt. Iug. cap. 42, 4. Sed haec velut in tranſitu. [62]

Cap. XXIX, 74. *Ita ſalem iſtum, quo caret veſtra natio, in irridendis nobis nolitote conſumere-- Nec vero hoc in te uno convenit, moribus domeſticis ac noſtrorum hominum urbanitate limato; ſed cum in reliquos veſtros, tum in eum maxime, qui iſta peperit.*

62) Quod in codicibus quibusdam repertum eſt *calore potentiſſimo*, coniectura praeſumſit etiam Heuſinger in Emendat. p. 36. Eadem varietas ſcripturae occurrit in Quinctil. Inſt. 10, 3, 22. et in Plin. Epiſt. 4, 4. quibus in locis editores reſtituerunt *quod potentiſſimum eſt:* vereor ut recte. Apud Lactantium certior erat emendatio. Verbum *luſtrat* non reprehenderim, quamquam, cur magis etiam ad *calorem* referri debeat, nulla cauſſa eſt. At Somn. Scip. 4. de ſole: *tanta magnitudine, ut cuncta ſua luce illuſtret et compleat.* Ibi codices praebent *luſtret*, quod aut in *illuſtret*, aut in *colluſtret* mutaverunt. Hoc etiam Heinrichius comprobavit. Sed, quem affert Wopkenſius, Virgilius: *ſol qui terrarum flammis opera omnia luſtrat.*

„Fieri non poteſt, inquit ad hunc locum cl. Daviſius, „ut hoc, quod vult noſter, in Velleium omnino conveniat, cum fuerit Romanorum *urbanitate limatus*.. „Quin et ab horum interlocutorum cultu et elegantia „tales abhorrent contumeliae.“ Cum igitur alii viri docti eis de cauſis vocem *unum* aut delendam exiſtiment, aut reponendum *virum*, vel *omnino;* ipſe legit
160 *una*, i. e. ſimul. Si iuſtae ſunt rationes illae, quas adfert vir cl., ſalva atque incolumi lectione vulgata, res ſic expediri poſſe videtur, ſi ſyntaxin ita concipias, *Nec vero hoc in te convenit, uno -- limato*, i. e. qui ſolus, vel qui maxime -- limatus ſis. Sic Velleius ab ea ſtupiditate, quae ceteris Epicureis impingebatur, ſatis bene immunis praeſtabitur; quod urbanitas Velleii, et diſputantium εὐσχημονία flagitare interpreti doctiſſimo videbatur. Sed rationes illae ſi attente ſpectentur, haud recte talo niti liquebit. Quod enim ad urbanitatem Velleii attinet, illa quamvis hic molliendorum aliquomodo convitiorum cauſa commemoretur, non tamen erat tanta, quin cum Epicureis, qui ſe in plurimis ridicule dabant, turpiter erraret; quod ſatis ſuperque docent antecedentia. Neque vero cultus et elegantia interlocutorum vetat, quominus haec diſputantis verba ſic intelligantur, ut Epicureorum ſtultitiam Velleio impingere omnino voluerit; quaſi ita locutus fuiſſet: *Hoc cum in te conveniat, .. limato; multo quidem magis .. in eum -- hominem ſine arte* etc. Saepius ita Ciceronis Stoicus, aeſtu diſputationis ſe abripi paſſus, inclementer agit Epicureos non tantum, ſed ipſum quoque Velleium, qui illud diſputationis ſuae ſuperbia omnino meruerat. Tale etiam convitium erat illud Cottae, lib. I. c. 40. *Arbitror te, Vellei, ſimilem eſſe Epicureorum reliquorum, quos*

*non pudeat earum Epicuri vocum* etc. ſic enim legebat illic editor cl. „nam reliquorum, inquit, Epicu„reorum numero Velleium eximere non voluit Cotta. „ſi is eſſet eius animus, eum his verbis non alloquere„tur, *quem cibum, quos tactus, quos odores adhibe„bis ad Deos, ut eos perfundas voluptatibus?*" 63) Hoc primum: ſequitur iam, ut enallagen defendamus iſtam, 161 qua praepoſitio *in*, tam brevi intervallo, modo cum ablativo, modo cum accuſativo conſtruitur, quam permutationem cum alius alio modo tollere aggreſſus ſit, nos tamen omnino putamus tolerari et poſſe et debere. Quin tam Latine dicatur quid *convenire in aliquo*, quam *convenire in aliquem*, id nobis dubitare non ſinunt, quae obſervarunt viri ſummi I. F. Gronovius ad Sen. N. Quaeſt. lib. IV. praef. et G. Cortius ad Sal-

63) Ego quoque nondum deſpero, integram eſſe librorum antiquorum ſcripturam. Si accentum poſueris in vocabulo *uno*, ſententiam habebis non aptam: nam reliqui Epicurei ſimul comprehenduntur, quibus tamen vir urbanitate limatus opponitur: quod male ſe habere, bene perſpexit Daviſius: ſin vero graviori accentu eſſers vocabulum *te*, additur *uno* tamquam praedicatum non cum negatione coniungendum, ſed *unicum* ſignificans ita: nec vero hoc in te convenit, qui unus ex omnibus praeſtat, urbanitate limatus. Et ſi nulla interponitur interpunctio, fortaſſe aliquis haec coire cenſebit cum ſequentibus, quaſi ſcriptum eſſet: *uno moribus domeſticis ac noſtrorum hominum urbanitate limato.* At *unus* dicitur, qui ſeorſum et ex altera parte ſpectari debet, ſive qui, reliquis miſſis, per ſe venit in conſiderationem. Ita nunc defendo verba Cic. pr. Roſc. Com. 5, 15. *et advocatio ea eſt, quam propter eximium ſplendorem ut iudicem unum vereri debeamus.* quae vertas: *wie einen Richter an ſich betrachtet.* i. e. ex altera parte. Aliquando neceſſariam putabam Erneſtii emendationem *unum iudicem.*

lust. Cat. cap. LII, 12. [64]) unde etiam haud difficile iudicare est de sanitate loci Sulp. Severi H. S. lib. 1. c. 24, 7. *cum toties in Domino rebelles deprehendantur.* ubi Io. Vorstius legebat, *in Dominum rebelles.* At ista casuum vicissitudo, quam locus hicce Tullii prae se fert, longe est frequentissima. Sic quia dicitur *scribere alicui*, et *scribere ad aliquem;* hinc ad Att. lib. IV. ep. 11. *quare ut homini curioso, ita scribe ad me.* Quia dicitur *similis alicuius*, et *similis alicui;* hinc infra cap. 59. *plectri similem linguam, -- nares cornibus iis* etc. ubi vide Lambinum. Quia dicitur *Odium alicuius*, et *Odium in aliquem;* hinc Tusc. IV. c. 11. *ut odium mulierum, quale in μισογύνῳ est; ut in hominum universum genus.* ubi Lambinum, qui tentaret *ut hominum universi generis*, optimo iure refellit cl. Davisius; qui etiam contra eundem hanc phraseos variationem recte vindicat, ibid cap. 7. *Sed singulis perturbationibus partes eiusdem generis subiiciuntur, ut aegritudini invidentia... Sub metum autem subiecta sunt pigritia* etc. *voluptati malevolentia, laetans.* ubi Lambinus volebat, *Metui autem subiecta sunt* etc. sed pari quoque modo Virgilius Ecl. V. vs. 5.

*Sive sub incertas zephyris motantibus umbras,*
*Sive antro potius succedimus.*

cum nota Servii. Quia dicitur *probari alicui*, et *probari ab aliquo;* hinc ad Brutum epist. 15. *suspicor illud minus tibi probari, quod ab tuis familiaribus..*

64) Negat Heindorfius latine dici *in aliquo convenire* pro quadrare, congruere, et in Suetonii verbis Octav. 25. *nihil minus in perfecto duce quam festinationem — convenire arbitrabatur.* idem esse quod decere, decorum esse. Sed quod decet, aptum est et congruit. Et dixit Li-

*non probatur.* Addamus Senecam de Conſt. cap. 1. 162
*altera pars ad obſequendum, altera imperio nata.* cur non potius *ad imperium*, vel *ad imperandum?* Lactant. lib. I. c. 22, 7. *et fuit per eadem fere tempora, quibus Faunus.* cur non, *per quae Faunus?* cui loco convenit illud Cic. de Divin. II. cap. 42. *ſummos aſtrologos illius aetatis, qua erat ipſe:* pro *cuius erat ipſe.* Plura videre licet apud Sanct. Min. lib. III. cap. 14. et Cort. ad Salluſt. Cat. cap. 25, 2. et 33, 1. Hinc autem nihil movendum cenſeo in verbis D. Lucae Evang. I, 55. *καθὼς ἐλάλησε πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι* etc. ubi fruſtra ſunt Knachtbul et alii, qui enallagen, tanquam nimis ſoloecam, tollere nituntur.

Cap. XXXII, 82. *Qui ita dividit omnium quae ſint naturam, eſſe corpora et inane, quaeque his accidant.* Non eſt, cur malles, *Qui ita dicit*, etc. eadem enim loquendi forma cum alibi exſtat, tum quoque Tuſc. lib. V. c. 33. *Vides, credo, ut Epicurus cupiditatum genera diviſerit,.. partim eſſe naturales,.. partim* etc. [65])

Cap. XXXIV, 87. *Quod ſi omnes partes ita conſtitutae ſunt, . . videamus utrum ea fortuitane ſint, an eo ſtatu* etc. Enallage iſta generum non erat ſollicitanda. ſic enim infra lib. III. c. 8... *modo poſſe eum*

vius 44, 19, 3. *gratulatio conveniens in ea victoria, quam ipſe adiuviſſet.* i. e. quae aptum locum haberet in hac victoria. Atque mutaſſe videtur Cicero conſtructionem non ſine cauſſa, quum in reliquos verteretur vituperatio. Hoc indicari potuit mutata conſtructione.

65) Haec in ſuum uſum vertit Heindorfius, auctoris nomine non commemorato.

*animantem cogitare, vel potius ut caetera oculis, ſic animo hoc cernere.* et cap. 24. *quam nemo ab inconſtantia et temeritate ſeiunget, quae digna non ſunt Deo.* ſupra cap. 31. *mens, fides, virtus, concordia conſecratae et publice dedicatae ſunt. Quae qui convenit penes Deos eſſe negare, cum eorum auguſta et ſancta ſimulacra veneremur?* de Leg. lib. II. cap. 11. *Bene vero quod mens, pietas, virtus, fides conſecratur manu: quarum omnium Romae dedicata publice*
163 *templa ſunt: ut illa qui habeant.. deos ipſos in animis ſuis conlocatos putent.* ubi non opus eſt, cum viro cl. tentare, *ut illas qui habeant.* Acad. II. cap. 18. *ratione potius, quam auctoritate ducantur. Quod ſi utroque?* vide quoque Tuſc. IV. cap. 7. de Fin. lib. V. c. 8. de Fato c. 15. de N. Deor. I. c. 5. Senecae epiſt. 81. et ſi plura velis, adi P. Fabrum ad Acad. II. c. 14. Burmann. ad Quinct. Inſt. prooem. p. 10. Daviſium ad Min. Fel. cap. 16. et Cortium ad Salluſt. Cat. 5. [66])

Cap. XXXVI, 92. .. *deinde reliqua ſidera magnitudinibus immenſis. Atque hi tanti ignes tamque multi non modo nihil nocent terris rebuſque terreſtribus, ſed ita proſunt, ut ſi mota loco ſint, conflagrare terras neceſſe ſit a tantis ardoribus, moderatione et temperatione ſublata.* Docti pro *mota* tentant *motae*, hanc vocem ad *terras* referentes; vel *moti*, quod ſpectet ad *ignes*. Nihil autem vetat, quominus in voce *mota* intelligas *ſidera;* quae cum appellatione iſta *tantorum ignium* ſignificentur, quid mirum ſi illud

66) Vid. Perizon. ad Sanct. Min. 4, 10. p. 57. edit. Bauer. et p. 137. Ruddimannus Tom. II. p. 51. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 11. pag. 144. Heindorfius ad loc. de nat. deor.

masculinum in neutrum transierit? [67]) Hoc sane haudquaquam durius est, quam quod statuit vir cl. de his cap. 44.

*Fluminis inlustri tangentem corpore ripas.*

*Quem longe serpentem et manantem adspicies* etc. ubi ille; loquitur Cicero, inquit, quasi praecesserat *amnis* vel *fluvius*. vide reliqua. Isti autem loco componere licet verba Varronis de Re Rustica lib. I. *Sin cogare secundum flumen aedificare, curandum ne adversum eum ponas.* quod quidem exemplum debeo Aus. Popmae, de Usu Ant. Locut. lib. II. c. 2. qui plura talia ex Varrone aliisque collegit. [68]) Quibus etiam defendi posse opinor locum istum Senecae Suas. I. c. ult. *Efficit haec sententia* etc. *Barbarus dixit.. hunc sensum.. Fuscus* 164
*Arellius dixit, testor ante orbem tibi tuum deesse, quam militem. Latro sedens hanc dixit* etc. ubi doct. Schulting. *hinc* vel *hunc* pro *hanc* legebat. Haec pri-

67) „Recte, ni statim subiiceretur *a tantis ardoribus*. Scripsi igitur cum Walkero *moti.*" Haec Heindorfius, re non accurate considerata. Illud *moti* glossatoris est inventum. Nam verba *hi tanti ignes* et *a tantis ardoribus* dicta sunt in modum praedicati additi: haec sidera, qui tanti sunt ignes. Atque nisi ita concipis sententiam, partes eius non concordant, aut talibus opus est supplementis, qualia finxit Heindorfius. Quae mihi absona esse videntur.

68) Vid. Ruddimann. T. II. p. 24. et 386. Ciceroni in animo fuisse nomen Eridani, recte animadvertit Heindorfius. In Varrone non sufficit cogitationis permutatio. Deest enim caussa et ratio. Atque in antiquis libris legitur *earum*, quod iure reiecit Victorius. Depravatio igitur negari nequit. Litteris his ADVERSV̄MEVM fortasse continentur verba *adversum alveum*. Apud Senecam si quid corruptione laborat, scribendum est *haec dixit*.

mum erant in loco Tullii obſervanda: pergamus iam ad verba illius poſteriora, quaeque in ea commentatus eſt cl. Walkerus. Scilicet vir ille doctiſſimus iſta *a tantis ardoribus*, commate interpoſito, ab antecedentibus ſeiungenda, cumque ſequentibus iſtis *moderatione et temperatione ſublata*, conglutinanda putabat. Secus omnino, quam ego quidem ſentiam: cum enim non, niſi aliqua cum duritie, dici poſſe videtur *moderatio et temperatio tolli ab ardoribus*; tum ſane nihil uſitatius iſta praepoſitionis *a* cum verbo neutro conſtructione, qua *terrae* hic dicuntur *conflagrare ab ardoribus*. Sic infra cap. 55. *Nam quae ſpiritu in pulmones anima ducitur, ea coaleſcit primum ab ipſo ſpiritu*. Ovidius Metam. lib. I. v. 417.

> *— poſtquam vetus humor ab igne*
> *Percaluit ſolis —*

Lucretius lib. VI. vſ. 875.

> *Praeterea ſolis radiis iactatur aquaï*
> *Humor, et in luci tremulo rareſcit ab aeſtu.*

in quibus plurimiſque aliis locis praepoſitionis vis plane eadem eſt. [69]

Cap. XXXVIII, 97. *Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos coeli motus, tam ratos aſtrorum ordines.. viderit* etc.? Nonius ſic locum profert, ut pro *ratos*, *ſtatos* exhibeat. Quod, quamvis viro ampliſſimo mirifice blandiat, ego tamen priori vix praeferre auſim; vox enim *ratus* noſtro uſitatiſſima fuit in
165 commemorandis rebus caeleſtibus, quod de voce *ſtatus* quis auſit praedicare? ſupra cap. 35. -- *motus eius ſini-*

69) Vid. Turſellin. Tom. I. p. 28.

*tos et aequabiles, omniaque ratis ordinibus moderata.* et. Tufc. V. cap. 24. *quorum vagi motus rata tamen et certa fui curfus fpatia definiant.* [70])

Cap. XLV, 115. *Nec vero haec folum admirabilia, fed nihil maius, quam quod ita ftabilis eft mundus.* Legit Walkerus, *fed nihil magis*, fc. admirabile, quod *maius* hic ab elegantia Tulliana alienum exiftimaret. *Magnum* faepe idem dici, quod admirabile; illud quidem in controverfiam vocari nequit. fic de Fato cap. 3. *Quid autem magnum, et naufragum illum fine nomine in rivo effe lapfum* etc.? Tufc. I. cap. 22. *Eft illud quidem vel maximum, animo ipfo animum videre.* Seneca de Clem. I. c. 11. -- *eo maius eft mirabiliusque, quod* etc. vide quoque Lactantium lib. I. cap. 11, 2. et Epit. cap. 45. Sic etiam *μέγα* et *θαυμαστὸν*, tanquam plane fynonyma, coniunxit D. Paulus 2. ad Corinth. c. XI, 14. 15. [71]) Atqui hoc ipfum, inquit, male me habet, quod cum iam pofuerat Cicero *admirabilia*, hic fubdat vocem non eandem quidem, fed tamen aequipollentem *maius*. Similis fane elegantia cl. Bentleium litem quoque huic

70) Haec quoque in fuum ufum convertit Heindorfius, non nominato auctore.

71) Walkeri coniecturam recepit Heindorfius, nec confideravit, quae effet huius loci vera ratio. Admirabilia enim plura effe poffunt; quo nihil maius eft, unum exftat. Atqui ordo verborum monftrat fenfum ipforum hunc: nec tantum haec, quae dixi, admirationem excitant, fed aliud unum eft, quo nihil maius, i. e. maximum. Scribere poterat Cicero: *admirabilia haec, fed nihil maius:* ut Brut. 60, 218. *magna haec immemoris ingenii figna, fed nihil turpius, quam quod etiam in fcriptis oblivifcebatur, quid paullo ante pofuiffet.* Sed dixit *nec haec folum*, pro *praeter haec admirabilia.*

lectioni moveri coëgit, Tusc. III. c. 25. *ut eos.. aut non attingat aegritudo, aut perleviter pungat animi dolor.* At loca haec equidem vindicare posse videor plurimis istiusmodi locis, de quibus nullam *νοθείας* suspicionem incidisse viris doctissimis, ostendit eorum ad ista loca silentium. sic enim ibid. cap. 2. *nullam eminentem effigiem, sed adumbratam imaginem gloriae.* lib. IV. c. 28. *et opinionem falsam tollit, et aegritudinem detrahit.* quorsum illud *detrahit*, cum iam praecesserit *tollit?* sic etiam de Fin. lib. V. c. 19. et cap. 7. *Ita fit, ut quanta differentia est in princi-*
166 *piis naturalibus, tanta sit in finibus bonorum et malorum dissimilitudo.* de Offic. lib. I. c. 30. *Ut enim in corporibus magnae dissimilitudines sunt.. sic in animo existunt etiam maiores varietates.* Acad. I. cap. 12. *id sensum appellabat;-- sin aliter, inscientiam nominabat.* Plura illius generis loca contulit iam egregius harum elegantiarum promus G. Cortius ad Sallust. Cat. cap. 12, 1. Neque vero ab ista ratione refugiunt Graeci *ἀττικώτατοι;* quorum Xenophon facile princeps, sic *Κυρουπαιδ.* lib. I. p. 30. C. coniungit *ἀποδείξειν* et *παρασκευάσειν.* lib. II. p. 47. B. *προσποιουμένους* et *ὑπισχνουμένους.* lib. V. p. 130. *βούλεσθαι* et *ἐπιθυμεῖν.*

## CAPUT VIII.

*Anacreontis locus defenditur et explicatur. Ellipsis voculae τί. Xenophon defenditur.* Ἔχειν τινὶ, *pro* παρέχειν. *Hesiodi epitaphium vindicatur et illustratur. Ellipsis praepositionis* ἐν. Μέτρον, *cuiusque rei perfectio atque terminus.*

Hoc capite paullisper extra terminos vagabimur, et a Latinis in Graeca excurremus: neque enim de Tullio tantum, sed etiam de aliis, et utriusque quidem linguae auctoribus bene mereri conamur. Ad verba ista Ciceronis de Natura Deorum, lib. II. c. 47. *quarum* (animantium) *aliae coriis tectae sunt, aliae vellis vestitae, aliae spinis hirsutae:* adferebat cl. Davisius quaedam ex Anacreontis oda I. sed quam illis medelam adhibet, eam nos, bona cum venia viri honoratissimi, hic videbimus an necessaria sit. *Natura* inquit Poeta, *cornua tauris, ungulas autem dedit equis, velocitatem leporibus*--

*Τοῖς ἀνδράσι φρόνημα.* 167
*Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν.*
*Τί οὖν δίδωσι; κάλλος.*

„Si nihil amplius habuit natura, quod feminis daret, „qua ratione fieri potuit, ut eas vel pulchritudine, „vel alia re quavis donaret?" Ecce tibi scrupulum quem vir laudatus contra hanc lectionem movet; qui proinde legit,

*Γυναιξὶν οὐκ ΈΠΕΙΧΕΝ;*

*Viris prudentiam. Nullamne curam gessit mulierum? Quid igitur iis impertit?* Coniectura quidem homine

docto non indigna: videamus tamen an citra illam res expediri queat, ut verba ſenſum fundant per ſe non abſonum, mentique poëtae congruum. Ante omnia illud dicendum, phraſin illam ἐπέχειν τινι, ea quidem in ſignificatione, quam illi vir cl. tribuit, non adeo uſitatam fuiſſe huius aetatis poetis, quin exempla illius ſatis idonea iure quodam noſtro flagitare poſſe videamur. Iam vero quod ad ſcrupulum viri cl. attinet, eum haud aegre tolli arbitror, ſi verba iſta γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν, ſic intelligantur, ut ἀπὸ κοινοῦ ſubaudiatur σοφίαν· ut vertere liceat, *Mulieribus autem* illam *non etiam*, vel ſi mavis, *neutiquam habebat*, vel *dabat*. Licet hic ſenſus non ſit incongruus, non tamen intercedo, quominus his verbis interrogandi notam cum viro cl. apponamus; quod ſi fiat, eodem modo haec vertere poterimus, ut ex antecedente verſu repetenda ſit vox σοφίαν: vel etiam in hanc ſententiam accipi poterunt, ut non pendeant ex ſuperioribus, ſed ſubintelligenda relinquatur vocula τι. *Mulieribus an nequaquam aliquid impertiebat*? vel *Mulieribus an*
168 *non etiam aliquid impertiebat?* Has interpretationes menti auctoris apprime bene quadrare, quis non cernit? Ut autem conſtet, illas non minus cum verbis ipſis conſentire, tria iſta attente conſideremus. Primo quidem illud οὐκ ἔτ' verti poteſt *non etiam*, *non inſuper*, *non praeter illos* ſc. viros; vel etiam *non ſane, haudquaquam, minime.* [72]) Priorem dictionis vim nemo

72) Una eſt haec ſignificatio vocabuli οὐκέτι, neque particula ἔτι vim habet intendendae negationis, ut Perizonius opinabatur. Immo ut noſtrum vocabulum *weiter nicht* negationem quodammodo moderatur addita particula, quae ſignificat *praeterea*, ita graecum οὐκέτι negationem ad certam rem redigit, aut poſita una re, alias

nescit: posteriorem vero optime dilucidarunt doctissimi duumviri, Perizonius ad Aelian. Var. Hist. VI. c. 6. et Kühnius ad Pausan. VIII. c. 28. Ipse Anacreon audiatur Oda 29.

*Τὸ δὲ χεῖλος οὐκέτ' οἶδα*
*Τίνι μοι τρόπῳ ποιήσεις.*

Deinde ellipsis vocis *τι*, quam in verbis Anacreontis statui posse diximus, satis usitata est; ut observavit doct. Lamb. Bos Ell. et post illum cl. Schoetgenius. Unde etiam nauci esse liquet *τὸ τι*, quod auctoritate Stobaei post vocem *λαβεῖν*, inculcarunt in his Xenophontis lib. II. *Κυρουπ.* p. 47. C. [2, 12.] *καὶ ταῦτα φανεροῖς γιγνομένοις, ὅτι τοῦ λαβεῖν ἕνεκα καὶ κερδᾶναι ποιοῦσιν.* sic enim illud ipsum *λαμβάνειν* occurrit apud Isocratem contra Soph. p. 574. [c. 3.] *ὁ δὲ πάντων καταγελαστότατον, ὅτι παρ' ὧν δεῖ ΛΑΜΒΑΝΕΙΝ αὐτοὺς, τούτοις μὲν ἀπιστοῦσι, οἷς μέλλουσι τὴν δικαιοσύνην παραδώσειν* etc. -- *a quibus numeranda merces est* etc. Menander Fragm. p. 34. *Res facilis contemptu, o Gorgia, pauper est, quamvis iustissima dicat.*

*Τούτου γὰρ λέγειν*
*Ἕνεκα μόνου νομίζεθ' οὗτος, τοῦ ΛΑΒΕΙΝ.*

-- *ut aliquid accipiat.* D. Paulus 2 Corinth. 11, 20, *Ἀνέχεσθε γὰρ, εἴ τις ὑμᾶς καταδουλοῖ, εἴ τις κατεσθίει, εἴ τις ΛΑΜΒΑΝΕΙ* etc. ubi consule doct. Elsnerum. Hoc de ellipsi *τοῦ τι.* Postremo loco, ad defensionem loci Anacreontis illud omnino observari

reliquas negatione excludit: sicuti id exprimitur in Hesiod. Scut. Herc. 49. Θήβῃ ἐν ἑπταπύλῳ διδυμάονε γείνατο παῖδε, οὐκ ἔθ' ὁμὰ φρονέοντε.

169 oportet, verbum *ἔχειν* ſaepius a poetis cum dativo conſtrui, atque ita conſtructum per metonymiam idem ferme denotare, quod *παρέχειν*, *διδόναι*. Heſiodus *Θεογ.* vſ. 755.

> *Ἡ μὲν ἘΠΙΧΘΟΝΙΟΙΣΙ φάος πολύδερκες*
> *ἜΧΟΥΣΑ.*

Critobulus:

> *Τὸ γὰρ ἐνδελεχῶς μεθύειν τιν' ἡδονὴν ἔχει;*
> *Ἀποστεροῦντα ζῶνθ' ἑαυτὸν τοῦ φρονεῖν,*
> *Ὃ μέγιστον ἩΜΙΝ ἀγαθὸν ἜΣΧΕΝ ἡ φύσις.*

Menander Fragm. p. 254.

> *— δυσχερῆ δὲ πολλ' ἘΧΕΙΣ*
> *ΤΟΙΣ ΖΩΣΙ καὶ λυπηρά. —*

Theognis Sent. vſ. 464.

> *Εὐμαρέως τοι χρῆμα θεοὶ δόσαν οὔτε τι δειλὸν*
> *Οὔτ' ἀγαθόν· ΧΑΛΕΠΩι δ' ἘΡΓΜΑΤΙ*
> *κῦδος ἘΧΕΙ.* [73])

Euripides in Oreſte vſ. 1545.

> *Τέλος ἘΧΕΙ δαίμων ΒΡΩΤΟΙΣΙ, τέλος ὅπα*
> *θέλει.*

Phocylides Sent. vſ. 37.

> *Χώρη δ' οὔτι βέβαιον ἘΧΕΙ πέδον ἈΝΘΡΩ-*
> *ΠΟΙΣΙ.*

Atque huc etiam referre tentabam epitaphium illud Heſiodi, quod Pindaro fere tribuitur: [74])

73) Haec omitti debebant: nam ſenſu carent. Ingenioſe Brunckius reſtituit *ἔπι*, quod nunc codex Mutinenſis confirmat.

74) Apud Iacobſium Append. n. 62.

*Χαῖρε δὶς ἡβήσας, καὶ δὶς τάφου ἀντιβολήσας,*
*Ἡσίοδ', ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ μέτρον ΕΧΩΝ σοφίης.*

ut si verti posset, - - *hominibus mensuram adferens sapientiae.* 170
Iam vero alia mihi stat in animo sententia. Sine, rem paulo altius repetam. Erud. Graevius in Lection. Hesiod. cap. VII. se nescire fatetur, quid sit *ἀνθρώποις μέτρον ἔχειν σοφίης:* qui enim elliptice *ἀνθρώποις* pro *ἐν ἀνθρώποις* positum contenderint, illos vel silices posse concoquere. Veram igitur lectionem MSti Vossiani putat:

*Ἡσίοδ', ἀνθρώποις μέτρα χέων σοφίης.*

i. e. *Hesiode, hominibus tradens sapientiam,* vel *praecepta sapientiae.* Haec mihi aurem vellicant, ut quod de hoc loco ceteroquin verbo dixissem, iam paullo pluribus exponam. MSti quidem lectionem, cui palmam dabat vir summus, haud facile damnaverim: verumtamen quid habeat, cur vulgatae anteferenda sit, non sane perspicio. Ficulnea enim ratio est, qua edita lectio impugnatur; adeo quidem, ut mirer quomodo homini vere docto in mentem venire potuerit, ut tale quid et tanto quidem cum zelo causaretur. Omnino dici potest, milliesque in scriptis poetarum dicitur *ἀνθρώποις* pro *ἐν ἀνθρώποις*, vel *πρὸς ἀνθρώπων*, [75]) ut Pindarus [Pyth. 4, 508.]

*— ὁ γὰρ*
*καιρὸς ΠΡΟΣ ἈΝΘΡΩΠΩΝ βραχὺ μέτρον ἔχει.*

Nihil est tali ablativo, in quo praep. *ἐν* supprimitur, usitatius. Pindarus Isthm. oda 4, 41. [61.]

75) Vid. Matthiae Grammat. gr. 387. p. 709.

— μομφὰν ἔχει
παίδεσσιν Ἑλλάνων —

*culpam sustinet apud omnes filios Graecorum.* et Pyth. oda 10, 35. [33.]

171 — εὐδαί-
μων δὲ καὶ ὑμνητὸς οὗτος
ἀνὴρ γίνεται σοφοῖς,

etc. recte rursus int. - - *apud sapientes.* Eurip. in Hecuba, vs. 595.

— ἀνθρώποις δ' ἀεὶ
Ὁ μὲν πονηρὸς οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός.

Theognis vs. 245.

Οὐδέποτ' οὐδὲ θανὼν ἀπολεῖς κλέος, οὐδέ γε λήσεις,
Ἄφθιτον ἀνθρώποις αἰὲν ἔχων ὄνομα.

versu 900.

Ὅστις ἀνάλωσιν τηρεῖ, κατὰ χρήματα θηρῶν,
Κυδίστην ἀρετὴν τοῖς συνιεῖσιν ἔχει.

versu 718.

Ὡς πλοῦτος πλείστην πᾶσιν ἔχει δύναμιν.

ubi πᾶσιν idem est, quod ἐν ἀνθρώποις apud Euripid. Phoen. 442. Pluribus non opus, ut memoria ostendatur fuisse virum egregium, qui ablativos istiusmodi aspernabatur. Quod vero ad vocem μέτρον attinet, de qua diffident Graevius et Heinsius, illius vim non male expressisse videtur Coelius, quum Hesiodi epitaphium sic Latine redderet:

*Salve cui pubes, tumulusque bis obtigit unus,*
*Tu sapis Hesiode, quantum homini sapere est.*

Μέτρον σοφίας est modus vel terminus sapientiae, ul-

tra quem procedere non detur, five fapientia fumma et perfecta, *σοφία τελεία.* ut *μέτρον ἔχειν* idem fit, quod *τὸ τέλειον ἔχειν* dixit Ifocrates contra Soph. p. 580. Sic Solon in Sent. vf. 52.

> *Ἄλλος, Ὀλυμπιάδων Μουσέων πάρα δῶρα διδαχθεὶς,* 172
> *Ἱμερτῆς ΣΟΦΙΗΣ ΜΕΤΡΟΝ ἐπιστάμενος.*

Theognis vf. 876.

> *Οἶνε, τὰ μέν σ' αἰνῶ, τὰ δὲ μέμφομαι· οὐδέ σε πάμπαν*
> *Οὔτε ποτ' ἐχθαίρειν, οὔτε φιλεῖν δύναμαι.*
> *Ἐσθλὸς καὶ κακὸς ἐσσί· τίς ἄν σέ γε μωμήσαιτο;*
> *Τίς δ' ἄν ἐπαινήσῃ, ΜΕΤΡΟΝ ἘΧΩΝ ΣΟΦΙΗΣ;*

Non vertendum,.. *mediocrem habens fapientiam*, fed *qui fapientiae habeat quantum fatis eft;* vel *qui fapientiae terminum adfecutus fuerit, qui in fapientia perfectus fit.* Ita quoque *μέτρον ἡλικίας* eft adulta aetas, apud D. Paul. Ephef. IV, 13. *πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, .. εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ. Μέτρον ἥβης,* eft *ἡ ἐν ἀκμῇ ἥβη,*[76]) et amplius aliquid dicit quam ipfa tantummodo *ἥβη*, ut interpretabatur Graevius, ad illud Hefiodi *ἐργ.* 131.

> *Ἀλλ' ὅταν ἡβήσειε, καὶ ἥβης μέτρον ἵκοιτο.*

quomodo etiam Theognis vf. 1115.

> *Ἥβης μέτρον ἔχοιμι.* —

*Μέτρον οἴνου, fatis vini, affatim vini:* idem vf. 475.

76) Vid. Welcker. ad Theognid. 985. p. 128.

*Αὐτὰρ ἐγὼ, μέτρον γὰρ ἔχω μελιηδέος οἴνου,*
*Ὕπνου λυσικάκου μνήσομαι, οἴκαδ' ἰών.*

*Κατὰ μέτρον*, *non nimis parum*, *multum.* Aratus *Διασημ.* pag. 124. [315.]

*Πρῖνοι μὲν θαμινῆς ἀκύλου κατὰ μέτρον ἔχουσαι.*

Phocylides vſ. 133.

*Μὴ κτήνους θνητοῖο βορὴν κατὰ μέτρον ἕληαι.*

confer Ierem. Proph. 30, 11. His tandem illud facillime intelligitur, vulgatam epitaphii Heſiodei lectio-
173 nem, qua nihil poteſt eſſe integrius, neutiquam cum lectione MSti permutari neceſſe eſſe. Heſiodi autem epitaphium dum illuſtrem, ipſum non poſſum facere ut dimittam, antequam loco illius uni et alteri luminis aliquid attulerim. Sed hoc erit ſequentis capitis argumentum.

---

## CAPUT IX.

*Heſiodi locus quod ad verſionem et interpunctionem adiuvatur, Poetae Graeci imperfectum pro praeſenti uſurpant. Heſiodus emendatur: deinde etiam ſemel atque iterum enodatur, et probae interpretationi reſtituitur. Xenophon vindicatur. Anacreon tentatur.*

Ex diverticulo in diverticulum delapſae ſunt animadverſiones noſtrae. Deflectebamus a Tullio noſtro ad Anacreontem; ab illo rurſum ad Heſiodum, cuius epitaphium luce quadam adſpergebamus, reiecta in hocce caput nonnullorum illius auctoris locorum, illuminatione. Age ergo, omiſſo noſtro Tullio, promiſſum praeſtemus, relictoque Latio, amoeniſſimis his Graeciae viretis nos adhuc paulliſper detineri patiamur. He-

ſiodus *Θεογον.* vſ. 552. loquens de dolis, quos Prometheus Iovi ſtruxiſſet, ſic pergit:

— *Ζεὺς δ' ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς*
*Γνῶῤ οὐδ' ἠγνοίησε δόλον· κατὰ δ' ὄσσετο θυμῷ*
*Θνητοῖς ἀνθρώποισι, τὰ καὶ τελέεσθαι ἔμελλεν.*
*Χερσὶ δ' ὅγ' ἀμφετέρῃσιν ἀνείλετο λευκὸν ἄλειφαρ.*

Equidem neque hanc interpunctionem probo, neque iſtam interpretationem: *Iupiter autem, aeterna conſilia ſciens, cognovit certe nec ignoravit dolum: mala autem concipiebat animo adverſus homines mortales, quae et perficienda erant. Manibus vero hic utris-* 174
*que ſnſlulit album adipem.* Comma, quod poſt *ἀνθρώποις* ſedem importuniſſimam occupavit, poſt *θυμῷ* collocetur: neque enim *ὄσσεσθαι κατὰ ἀνθρώποις* eſt phraſis Graeca, neque omnino tranſferri poteſt *concipere mala adverſus homines.* Heſiodus haec verba *κατὰ -- ἔμελλεν,* tamquam *γνωμὴν* ſive ſententiam addidit, qua iam generalibus enuntiat et amplificat, quod ſpeciatim de manifeſtatione doli Promethei dixiſſet. Sic autem vertenda puto iſta verba: *mala enim praeſentit ſecum, quae a mortalibus hominibus ſunt perficienda* [77]). Primo quidem obſerva, hanc eſſe vim dictionis *ὄσσεσθαι* vel *ὅπτεσθαί τι θυμῷ.* ſic Homer. Odyſſ. Σ. vſ. 153.

— *δὴ γὰρ ΚΑΚΟΝ 'ΟΣΣΕΤΟ ΘΥΜΩι.*

*etenim malum animo praeſagiebat.* adi H. Stephani Theſ. Deinde coniunctio *δὲ* paſſim pro *γὰρ* ponitur. Aeſchylus contra Thebas vſ. 292.

77) Senſus vulgari interpunctione conſtitutus praeſtat poetica vi. Dativi rationem quis nunc non expeditam habet?

*Γείτονες δὲ καρδίας μέριμναι*
*Ζωπυροῦσι θάρβος.*

Schol. *τὸν δὲ συνδεσμὸν ἀντὶ τοῦ γὰρ νοητέον.* Sic etiam non ligatae solummodo, sed et prosae scriptores, ut Xenophon, Arrianus aliique. Postremo imperfectum *ὄσσετο* accepi pro praesenti, isque eius usus Hesiodo ceterisque poetis est frequentissimus [78]). Sic *Θεογ.* vs. 910.

*Τῶν δ' ἀπὸ βλεφάρων ἔρος εἴβετο —*
*quarum e palpebris amor destillat.* *Ἔργ.* vs. 512.

*Θῆρες δὲ φρίσσουσι, οὐρὰς δ' ὑπὸ μέζε' ἔθεντο.*

Theognis Sent. vs. 208.

*Ἄλλον δ' οὐ κατέμαρψε δίκη· θάνατος γὰρ ἀναιδὴς*
*Πρόσθεν ἐπὶ βλεφάροις ἕζετο, κῆρα φέρων.*

175 - - - *super palpebras sedet.* Homerus Odyss. Ι. 131. - -

*— ὅθεν ὑδρεύοντο πολῖται.*

*unde aquantur cives.* Menander Fragm. p. 192.

*— Τοῦτο δὴ τὸ νῦν ἔθος.*
*Ἄκρατον ἐβόων, τὴν μεγάλην. ψυκτῆρά τις*
*Προὔπινεν, αὐτοὺς ἀθλίους ἀπολλύων.*

*Hic vero hodiernus mos est: merum, inclamant, magnum calicem: psycterem quis porrigit, illos miseros perdens.* Et haec quidem de loco Hesiodi proposito tantum. Perlustremus iam alium.

Eodem lib. *Θεογονίας*, vs. 610. *Cui vero*, inquit, *nuptiarum conditio contigerit, pudicam ut habeat coniugem et sapientem.*

78) Minime gentium. Res ipsa hodie non eget declaratione.

*Τῷ δὲ ἀπ' αἰῶνος κακὸν ἐσθλῷ ἀντιφερίζει*
*Ἔμμεναι.*

Vertitur: *Huic perpetuo malum cum bono certat.* H. Stephanus in app. Thesauri, reddebat: *Huic malum cum bono pari contentione nititur adesse.* Neutra quidem interpretatio verborum sensum satis exprimere videtur; vix enim fieri posse arbitror, quod prior illarum supponit, ut ἔμμεναι pleonastice accipiatur; quia pleonasmus ille, quamvis quibusdam in constructionibus locum habeat, hic tamen foret durissimus. Neque vero Graeca phrasi dicitur, quantum ego sciam, *ἀντιφερίζειν τινὶ εἶναι*, vel *ἔμμεναι*, *niti alicui adesse;* nam *ἀντιφερίζειν τινὶ* est cum aliquo ita certare, ut te illi aequiparare, neque illo inferior esse velis; ut bene interpretatur Hesychius, qui illud exponit *τῷ ἐξισοῦσθαι, ἀντιστῆναι.* Est autem verbum activum, quamvis neutrius formam referat, supprimiturque *ἑαυτὸν*, ut iudicavit erud. Kusterus ad Aristoph. Equit. vs. 810.
vide illud apud Hesiod. *ἔργ.* vs. 210. Pind. Pyth. ode 9. 176
Homer. Iliad. *Φ.* vs. 411. Quid multa? ipsa scriptura Hesiodi, non versio tantummodo laborat; vixque ego dubito, quin pro *ἔμμεναι*, reponendum sit *ἔμμενες*[79]; ut tale quid voluerit Poeta:

*Attamen ab aeterno malum cum bono certat semper.*

Pergamus iam ad tertium Hesiodi locum. Eiusdem lib. vs. 823. de Typhoëo:

*Οὐ χεῖρες μὲν ἔασιν ἐπ' ἰσχύϊ ἔργματ' ἔχουσαι.*

79) Tantum abest, ut verbum ἔμμεναι corruptela laboret, ut ad proprietatem antiquae dictionis pertineat, adeoque necessarium videatur ad sustinendum verbum ἀντιφερίζειν: nam malum cum bono certat de obtinendo loco. Nihil igitur falsum deprehenditur hoc in versu, nisi quod ab initio legendum est, τῷ δὴ ἀπ' αἰῶνος.

Vertunt: *Cuius manus quidem sunt ob robur operibus aptae*, vel *occupatae*. Recte quidem vidit cel. Graevius ἔργματ' ἔχειν, esse idem quod ἐργάζεσθαι; quod ut probaret, cum multa alia exempla, tum illud quoque adferre potuit, ex Solonis Sent. 57.

*Ἄλλοι, Παιᾶνος πολυφαρμάκου 'ΕΡΓΑ 'ΕΧΟΝΤΕΣ.*

etc. Neque illud ita durum, quod *manus* dicuntur *operari:* sic enim vel prosae scriptor Aelian. V. Hist. lib. XIV. c. 12. *Persarum rex iter faciens, ne taedium ei obreperet, tabellum tenebat, et quo eam raderet cultellum. Καὶ τοῦτο 'ΕΙΡΓΑΖΟΝΤΟ 'ΑΙ βασιλέως ΧΕΙΡΕΣ: Atque hoc faciebant manus regis.* Quod autem vir laudatus verborum sensum sic exprimit, *Cuius manus quidem ob robur semper operantur:* hanc quidem interpretationem frigidiorem esse, recte viderunt duo viri doctissimi. Horum alter legendum coniicit ἐπ' ἰσχύϊ θαῦμα τ' ἀκοῦσαι, alter voci ἔργματ' *impedimenti* significationem, a verbo εἴργω, *coërceo*, petitam, attribuit, spirituque leni reposito, ex οὗ facit οὐ, ut ista sententia sit, *Nec manus, propter vires, habent quidquam quo impediri queant.* At ista vocis ἔργματα significatio tam inaudita atque inusitata est, ut eam nisi summa necessitate compulsis adsciscere non liceat, quae tamen heic neutiquam nobis incumbit;
177 quod si probaverimus, facile etiam patebit non esse necessaria Guieti emendationem. Miror equidem, viros insignes, qui locum hunc Hesiodi tractarunt, non vidisse ἐπ' ἰσχύϊ hic non esse *ob* vel *propter robur*, sed *robore*, *robuste*, ἰσχυρῶς. cuiusmodi etiam praepositionis usus est supra v. 540. δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ, *dolosa arte.* atque ita apud Herodian. I, 13. ἐπὶ ἡσυχίᾳ,

*quiete*, idem eſt, quod Aelian. V. Hiſt. III, 17. *ἐφ' ἡσυχίας* dixit. Verte igitur locum, quo nihil poteſt eſſe ſincerius, *Cuius manus quidem ſunt cum robore operantes:* quo tamen fortitudinis elogia poeta non tam ſignificat, *operari continuo manus Typhoëi*, quam *eſſe ad operandum robuſtiſſimas.*. Quaecunque illius manus operarentur, operabantur fortiter.[80])

Unum adhuc Heſiodi ad locum animum advertemus, antequam illum miſſum faciamus. Eodem libro, vſ. 990.-- *Quem ſane iuvenem*, inquit, . . *Venus*

*Ὦρτ' ἀνερειψαμένη, καί μιν ζαθέοις ἐνὶ νηοῖς*
*Νηοπόλον νύχιον ποιήσατο, δαίμονα δῖον.*

Haec ita vertuntur: *Incitavit, abripiens, et ipſum* etc. Sed vertendum fuit, *Venit abripiens* etc. quemadmodum idem hoc verbum *ὦρτο* recte vertitur *ἔργ.* 568. et *ἀσπ.* 30. Cauſa interpreti erroris fuit, quod verbum *ὦρτο* cum praecedente accuſativo conſtrueret, ad quem *τὸ ἀνερειψαμένη* pertinet. Eſt autem *ὦρτ' ἀνερειψαμένη*, vix quidquam amplius, quam *ἀνερείψατο, abripuit*[81]): quales *περισσολογίαι* frequentes ſunt in poematibus Graecorum. Eurip. Hec. vſ. 671.

80) Ante omnia interpungenda ſunt verba hoc modo: *οὗ χεῖρες μὲν ἔασιν, ἐπ' ἰσχύϊ ἔργματ' ἔχουσαι, καὶ πόδες ἀκάματοι κρατεροῦ θεοῦ.* Atque intelligendae ſunt manus, quae dum ſuo robori negotia adhibent, ſeu ſuas vires negotiis exercent, divinam naturam praeſtant.

81) Non ita. Nunc melius ſcimus, quid conveniat epicae dictioni. Ceterum verba *ὦρτο ἀνερειψαμένη* non ſignificant *venit abripiens*, ſed abrepto iuvene ſe concitavit. Alia eſt ratio participii in locis Euripidis et Homeri, et apud Solonem iamdudum reſtitutum eſt *ἦλθ' ἀποτισομένη*. Illud, quod affert Wopkenſius, nullum praebet ſenſum.

— νεκρὸν τὸν δέ μοι Πολυξένης
Ἥκεις κομίζων —

178 ubi ἥκεις κομίζων idem est, quod κομίζεις. *Cadaver hoc mihi Polyxenae adfers.* Homerus Iliad. B. vs. 302.

— οὓς μὴ κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι.

ἔβαν φέρουσαι, id est ἔνεγκον. bene int. *quos Parcae mortiferae non abstulerunt.* Solon. in Sent. ait, de Iustitia loquens, vs. 104.

Τῷ δὲ χρόνῳ πάντως ἦλθ' ἀποτισαμένη.

*suo autem tempore omnino vindicat.* Imitatus fuit Xenophon Sympos. pag. 887. C. [4, 45.] ἐγὼ γὰρ ἥξω παρ' αὐτοῦ δανεισάμενος τὸ μηδενὸς προσδεῖσθαι: *ego enim ab illo hoc mutuabor, ut nullam rem praeterea expetam.* Leunclavius legebat, δανεισόμενος; cui emendationi vix equidem subscripserim, neque enim aoristum praeteriti significatione intelligi necesse est, ut ex Hesiodi et Solonis locis apparet [82].

Per Anacreontis amoenitates a via nostra digressi, iam tandem per easdem reditum faciamus. Oda XXIII.

*Εἰ δ' οὐδὲ τὸ πρίασθαι*
*Τὸ ζῆν ἔνεστι θνητοῖς,*
*Τί καὶ μάτην στενάζω;*

Legit cl. Davisius οὐδέπω, pro οὐδὲ τὸ, quia nihil praecesserit aut sequatur, cum quo οὐδὲ possit con-

82) Egregie emendavit Leunclavius. Id omnes editores agnoverunt, de ordinandis verbis frustra dubitantes. Scribendum autem erat ἐγὼ γὰρ ἥξω παρ' αὐτοῦ δανεισόμενος τὸ μηδενὸς προσδεῖσθαι, οὕτω πεπαιδευμένος ὑπὸ Ὁμήρου ἀριθμεῖν ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας, — δώδεκα δ' ἵππους, σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ· ὡς πλείστου πλούτου ἐπιθυμῶν οὐ παύομαι.

iungi. Videant tamen eruditi, an *οὐδὲ* ita poſſit retineri, ſi vertatur *nequidem*, quae huius voculae ſignificatio haud ita rara eſt. Ego quidem libenter fateor, elegantem eſſe viri elegantiſſimi coniecturam [83]. Idem poëta Od. XXV.

*Θανεῖν με δεῖν κἂν μὴ ϑέλω.*

Non placet viro laudato doct. Barneſius, qui deſertis omnino priſtinae ſcripturae veſtigiis, réfingebat, 179

*Θάνοιμι κἂν μελήσας.*

Ipſe malebat,

*Κἂν μὴ ϑέλω, ϑανεῖν δεῖ.*

Quidſi,

*Θανεῖν με δεῖ, κἂν μέλλω,*

vel ſi propter metri vitium diſpliceat haec ſcriptura, leviuſcula potius mutatione refingas, *Θανεῖν με δεῖ. τί μέλλω; mori me oportet. quid refugio?* quemadmodum enim *σπεύδειν* eſt *deſiderare*, ut diximus ad Tuſc. lib. I. c. 31. quid novum, ſi ſic *refugere* dicatur *μέλλειν; μὴ ϑέλων* igitur a gloſſatore profectum forſitan, qui nobis verbum *μέλλω* explanare voluerit [84].

83) Codex Vaticanus praebet εἰ δ' οὖν μὴ τὸ πρίασθαι, quod cur mendoſum vocaverit Brunckius, non video.

84) Nunc aliter de metris anacreonteis iudicari, neque iſta verba metri depravatione laborare, non eſt quod hic demonſtremus.

## CAPUT X.

*In lib. II. Cic. de N. Deor. lectio recepta quater defenditur. Imperfecti usus in re praesente illustratur, Cicero bis obiter vindicatur. Lactantius emendatur. Ellipsis pronominis demonstrativi adstruitur; qua occasione aliquoties Tullius, nec non Iustinus etiam ac Curtius vindicantur.* Illa admirabilia, *i. e. talia plura admirabilia. Eustathius defenditur.* Αὑτοῦ *Graeci pro* αὐτοῦ *dicunt. Pleonasmus* τοῦ etiam *vel* quoque. *Cicero bis adseritur.*

Ad Tullium nostrum redimus. Is autem sic loquitur II. de Nat. Deor. cap. 47, 123. *Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum.* Ex duabus editionibus legebat editor cl. *habeant*, pro *habebant*, rationem adferens istam duplicem, quod quae praecedant, verba sint praesentis temporis, et non tantum
180 olim, sed nunc pariter elephantes, propter molem corporis manu indigeant. Sed quamvis verba praecedentia sint praesentis temporis, observandum tamen praeteriti temporis esse proximum illud *data;* quasi dixisset Cicero, *Manum etiam dedit natura elephantis, quia* etc. Adde quod ita pergat Tullius, *At quibus bestiis erat is cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem*[85]). Atque hoc exemplo altera quoque ratio diluitur ista, quod non tum so-

85) His argumentis usus est Heindorfius. Quo autem pacto Creuzerus illud *habeant* tamquam elegans et ciceronianum approbare potuerit, equidem non intelligo, sed miror. Velim, unum locum boni alicuius scriptoris similem addidisset. At nullus exstat.

lum cum elephantum genus a natura produceretur, sed etiam nunc difficiles ad paſtum aditus habeant. Et paſſim alibi de rebus, praeſenti tempore adhuc uſu venientibus, in praeterito imperfecto loquitur noſter. ſupra cap. 23. *Utilitatum igitur magnitudine conſtituti ſunt ei Dî, qui utilitates quasque gignebant.* an non tunc temporis adhuc easdem utilitates ab his naſci credebat hic Stoicus? quis dubitat? infra cap. 56. *Jam guſtatus, qui ſentire eorum, quibus veſcimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, qua* etc. ubi vix auſim, cum cl. Walkero, *quia .. debet*[86]. vide quoque Lactant. de Opif. Dei cap. XVI, 4. et Inſtit. lib. VI, 2, 4. *qui* (Deus) *hanc ipſam lucem* (ſolem) *ſic moderatus eſt, ut neque nimio fulgore, neque calore vehementi noceret animantibus; tantumque iſtarum rerum dedit ei, quantum aut mortalia corpora pati poſſunt* (lege *POSSENT*)[87] *aut frugum maturitas poſtularet.* Tuſc. lib. II, c. 18. *Atqui vide, ne .. ab ea* (virtute), *quae una ceteris omnibus excellebat, omnes nominatae ſint.* Camerarius legebat *excellat*, Lambinus *excelleat*: facillima nos mutatione *excelleret* reponeremus, niſi modum eiusmodi indicativum Ciceroni non plane inuſitatum eſſe dudum obſervaſſemus. Ceterum huic praeterito imperfecto illuminando poſſunt etiam conferri, quae ſupra iam collegimus ad Acad. lib. II. c. 23. 181

86) Hic locus prorſum diverſus eſt, nec poteſt illud *deberet* locum ſuum obtinere, et ne ſi corrigitur quidem *veſceremur.* Unde autem *deberet* ortum ſit, nemo quaeſivit. Suſpicor olim fuiſſe ſcriptum *debetet*, quod ita reſtituendum: *iam guſtatus, qui ſentire eorum, quibus veſcimur, genera debet, etiam habitat in ea parte oris, qua eſculentis iter natura patefecit.*

87) Ita in codicibus quoque legitur.

Cap. XLVIII, 123. *At quibus bestiis erat is cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem.* Nimius hic est Lambinus, qui pronomen demonstrativum ante ista *aut vires* etc. elapsum putaret; quippe cuius omissione pronominis, nihil usitatius. sic infra cap. 52. *ex quibus pullos cum excluserint, ita tuentur* (illos), *ut et pennis foveant*, etc. cap. 54. *cum depulsum . . cibum accepit, depellit* sc. illum. Acad. II, 33. *quos quoniam appetitio consequatur, actionem sequi.* in Orat. c. ult. *quo qui contentus est, utatur.* Tusc. I, 8. *ne mors quidem est malum* (ei), *cui proximum tempus est post mortem, in quo* etc. lib. V. c. 7. *nos vellem praemio elicere possemus, qui nobis aliquid attulisset.* lib. IV. c. 23. *qui remp. salvam esse vellet, se sequi iussit.* de Fin. lib. II. c. 28. *Sed qui -- loquitur ut Frugi ille Piso, non audio*, de Leg. I. c. 9. *Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed et sensus tanquam satellites attribuit ac nuntios*, sc. ei. Seneca epist. I. *In huius rei possessionem natura nos misit, ex qua expellit* (eum), *qui vult.* epist. 8 *Qui hoc faciunt, non evertit fortuna, sed* etc. Felix Oct. cap. 26. *auguriis et auspiciis renitentibus, sprevit: eo facilius* etc. Caesar B. Gal. IV. cap. 7. *quod Germanorum consuetudo haec sit a maioribus tradita, quicunque bellum inferant, resistere neque deprecari.* Plura P. Burmannus ad Quinctil. Inst. Or. VIII, 4 et G. Cortius ad Cic. Fam. lib. V. ep. 1 [88]). His

88) Conf. p. 142. Vid. Casaubon. ad Sueton. Caes. 1. Bremi ad Cornel. Nep. Themist. 9, 1. Goerenz. ad Cic. de Fin. 3, 13. p. 367. Librarios fere ubique addidisse pronomen, quis nescit? At in omisso pronomine ne elegantiam dictionis frustra quaeramus, considerandae nobis erunt conditiones, quibus hic usus temperatur. Atque facilius et saepius omittitur pronomen praemissa enuntiatione relativa, et ubi intelligitur impersonale *aliquis*, ut allato in lo-

facile eſt irritis virorum doctiſſimorum conatibus obviam ire. Tuſc. III, 29. *inſtat, nec reſiſti poteſt.* ubi Lamb. cum codice quodam, *nec ei reſiſti poteſt*[89]). lib. IV. c. 25. *Utile eſt enim uti motu animi, qui uti ratione non* 182 *poteſt.* tentant *u. e. eum uti*, vel *u. e. enim eum uti* etc.[90]) lib. V. c. 7. *praemium propoſuit, qui inveniſſet.* ubi valeat ille codex, qui *ei* ante *qui* repraeſentat.[91]) lib. I. cap. 35. *volgo ex oppidis publice gratulabantur.* Lambinus *ei* iniicit. de Fin. lib. II. c. 23. *tu enim eam* (voluptatem) *ipſam vis, quam modo ego dixi; et nomen imponis, in motu ut ſit.* idem vir doctus, *et ei nomen imponis.* lib. III. c. 20. *quoniamque ea natura eſſet hominis, ut cum genere humano quaſi civile bellum intercederet;* etc. ille rurſum, *ut ei cum genere* etc. atque ita etiam lib. IV. c. 9. Iuſtinus lib. I. c. 9. *fratrem ſuum ſubiecit Oropeſten: erat enim et oris et corporis lineamentis perſimilis.* coniiciunt, *erat enim ei oris* etc. vel, *erant*

co Tuſcul. 5, 7. Sed ante relativum ponendum pronomen demonſtrativum a bonis ſcriptoribus non niſi alia cauſſa intercedente omittitur. Ex iis exemplis, quae Wopkenſius affert, in ſecundo libro de Nat. deor. c. 54. ſuſpectum eſt verbum *depellit:* vid. p. 257. Tuſcul. 1, 8. corrupta videntur verba: apud Senecam recte legitur in codicibus: *ex qua expellit quicumque vult,* nec quidquam deſideratur.

89) *Reſiſti* dicitur neutrali ſenſu, ut ſaepe fit: quod lexica monſtrant.

90) Quod non male factum puto. Id etiam ſenſiſſe videtur Erneſtius, qui emendaturus erat *poſſit.*

91) Etiam hoc loco Erneſtium arbitror verum vidiſſe, codicum ſcriptura *ei, qui* non repudiata. Nam quod Goerenz. ad libr. de Fin. p. 137. comparat: *nos vellem praemio elicere poſſe, qui nobis aliquid attuliſſet.* diverſae eſt rationis. Intelligitur enim *aliquis.* Reliqua, quae Wopkenſius defendit, ad alienum genus pertinent.

*enim et oris et c. l. persimiles.* Curtius lib. III. c. 5. *descendit in flumen, vixque ingressi subito horrore artus rigere coeperunt; pallor deinde suffusus est* sc. ei. Heinsius, *pallore deinde suffusum os est.* confer Senecam epist. 11. et nomen *os* hic exprimi necesse non esse, facile intelliges.

Sequitur eodem cap. *Ut in araneolis aliae quasi texunt; ut si quid inhaeserit, conficiant, aliae autem ex inopinato observant, et siquid incidit arripiunt.* Mirum videbatur doct. Boherio, quod hic de araneis legitur, aliam texere rete, aliam vero illo uti, ut praedam arripiat quae incidat, quum experientia nos utrumque ab una eademque aranea fieri, aperte doceat. Legendum itaque suspicatur, *Ut in araneolis alias q. r. texunt, .. alias autem ex inopinato* etc. Sed quis non videt, quam hic comminiscitur vir amplissimus, loquendi formam esse duriusculam? Cum bona quidem illius venia, lectionis vulgatae hunc sensum esse arbitror, ut Tullius hic non de natura dissimili aranearum loquatur, quasi una aranea solummodo rete texat, et nihil agat
183 praeterea; altera reti texto tantum utatur, ut quidquid inciderit, arripiat. Illud autem dicit, cum aliquot eius generis animalcula laboribus suis intenta videamus, tum quaedam conspici rete texentia, dum alia, eo iam contexto, ex inopinato observent, et si quid inciderit, arripiant [92]). Sic unae eaedemque formicae et protudere fru-

92) „Ab inepta correctione ineptiore etiam explicatione locum vindicat Wopkensius. Quasi gregatim ut formicae, ita araneae quoque operarentur.“ Ita Heindorfius. At hercle non haec erat Wopkensii sententia, quam ipsam non absurdam dixerim. Audiamus harum rerum peritissimum magistrum, celeberrimum Cuvierium, cuius verba Schinzius ita expressit Tom. 3. p. 110. *Diejenigen, welche*

menta folent, et protrudentium agmina cogere: quod tamen non vetat, quo minus cum Virgilio dicamus, ubi formicarum contemplamur labores:

*— Pars grandia trudunt*
*Obnixae frumenta humeris: pars agmina cogunt,*
*Inftigantque moras. —*

Cap. XLIX, 126. *Iam vero illa etiam notiora, quanto fe opere cuftodiant beftiae, ut in paftu circumfpectent, ut in cubilibus dilitefcant; atque illa admirabilia.* Legebat praefes ampliffimus, *atque alia admirabilia.* Quam quidem emendationem filentio praetergreffus cl. Davifius, eodem tamen modo cum Lambino, *et pleraque alia* legebat in his de Leg. lib II. c. 25. - - *Solonis lege fublata funt, quam legem - - in decimam tabulam coniecerunt. Nam de tribus riciniis et pleraque illa Solonis funt: de lamentis vero expreffa verbis funt.* Loca fe invicem vindicare videntur; cum praefertim pronomen *ille* paffim idem exprimat quod *talis,* et vox illa pofterior eundem, fi quid ego video, ufum obtineat [93]). Tufc. lib. I. c. 39. *His et talibus rationibus* etc. haud incommodius, fi voluiffet Tullius, ita fcripfiffet, *His et*

*Netze ausfpinnen, wohnen ganz ruhig im Mittelpunct des Netzes, oder in einem Schlupfwinkel nahe dabei, fo wie aber eine aufferordentliche Bewegung im Netze anzeigt, dafs fich etwas darin gefangen habe, fo ftürzen fie mit gröfster Schnelligkeit hervor etc. andere bemächtigen fich ihrer Beute blos fprungsweife aus dem Hinterhalt.* Hoc eft, quod Cicero dicit *ex inopinato.*

93) Non ita. In Leg. 2, 25. *illa* fignificat ea, quae antea commemorata et iam nota funt. In loco de Nat. deor. *atque illa admirabilia* fcribi poffet, fi fequerentur haec emendata, *quae nuper — reperta funt,* omiffis verbis *quid ea* vel *quam ea.* Unde vero haec? Nefcio: illud tamen video, fervatis his verbis commutari debere vocabulum *illa.*

*pluribus huius generis rationibus.* vel *His et aliis rationibus.* rurſum lib. IV. cap. 37. *aut miſericordes, aut invidi, aut tale quid.* lib. V. cap. 25. *quibus et talibus rebus exquiſitis* etc. Locum Euſtathii in Hexaëm. pag. 28. quem ad ea, quae modo antecefferunt, docte allegat
184 clar. Daviſius, equidem, ſalva illius viri ſententia, omni menda carére arbitror *Αἱ δὲ γέρανοι*, inquit auctor, *ὁμοῦ πᾶσαι ἐξ ἴσου ἵπτανται, μία δὲ προηγεῖται αὐτῶν, καὶ τακτόν τινα χρόνον προηγησαμένη, εἰς τὸ κατόπιν περιελθοῦσα τῇ μετ' αὐτὴν τὴν ἡγεμονίαν τῆς ὁδοῦ παραδίδωσιν.* Emendabat ille, *τῇ μεθ' αὐτὴν.* Sed *αὐτοῦ* pro *αὑτοῦ* vel *ἑαυτοῦ* eſt uſitatiſſimum [94]). Ne verba apponam, vide Aelian. V. Hiſt. lib. VIII. c. 1. p. 482. et lib. XII. c. 21. princ. Iſocrat. in Epiſt. p. 805. C. et D. p. 806. A. et B. et alibi. Palaeph. de Incr. §. 50. Lucian. I. p. 5. Xenoph. Cyropaed. lib. I. p. 31. A. lib. V. p. 119. B. p. 125. D. p. 137. B. p. 144. E. lib. VIII. p. 202. C. bis. et p. 213. D. Haec iam, de innumerabilibus, pauca quae ad manum ſunt.

Cap LII, 130. *Accedit etiam ad nonnullorum animantium, et earum rerum, quas terra gignit, conſervationem et ſalutem, hominum etiam ſollertia et diligentia.* Alterutrum *etiam* in hoc loco plane vacat. Sed an ideo exſcindendum ? Ego non arbitror, neque pleonaſmus hic diſplicuit erud. commentatoribus, ſiquid ex illorum ſilentio colligi liceat. Sic Pomponius D. de Teſtamentis: *nam etiam compotibus mentis perſonales actiones etiam ignorantibus acquiruntur.* quem locum

94) Innumerabiles loci ab editoribus temere mutati ſunt. Vellem, aliquis de hac re diſtinctius diſputaſſet: nam multiplex eſt et varia. In verbis, qualia ſunt Plutarch. Alex. c. 10. πικρῶς ἐλοιδόρησεν ὡς ἀγεννῆ καὶ τῶν ὑπαρχόντων περὶ αὐτὸν ἀγαθῶν ἀνάξιον; ubique ſcripſerunt αὑτόν.

ſuppeditavit Auſ. Popma de Uſu Ant. Locut. lib. II. c. 9. Noſter ſupra lib. I. c. 22. *non enim poeta ſolum ſuavis, verum etiam cetera quoque doctus ſapiensque traditur.* et Tuſc. lib. IV. cap. I. *Quin etiam arbitror - - Numam quoque regem Pythagoreum a poſteris exiſtumatum.* Seneca epiſt. 11. *Hic illum, quantum ſuſpicor, etiam cum ſe confirmaverit, - - ſapientem quoque ſequetur.* Gellius lib. XVIII. c. 12. *Poteſt etiam id quoque . . ſimiliter dictum videri.* Novatianus de Reg. Fidei cap. XXVIII. *Nec non etiam ſubdidit illud quoque.* Lucretius lib. V. vſ. 714. 185

*Eſt etiam quoque uti proprio cum lumine poſſit*
*Volvier* etc.

vide quoque Plautum, Epid. IV. ſc. 2. et prol. Poenuli [95]). Hinc fruſtra erat Schefferus, qui *etiam* cancellabat in his Curtii lib. III. c. 6. *Aetas quoque vix tantis matura rebus, ſed abunde ſufficiens, omnia etiam eius opera honeſtabat.* Nec minus dura eſt iſta τοῦ *tamen* geminatio: Lactant. Opif. cap. VII, 9. *Cum tamen ipſa nuditas hominis mire ad pulchritudinem valeat; non tamen etiam*

95) Conf. p. 55. Sed uſus verborum *etiam quoque* non poterat comparari. Goerenzius contulit de Leg. 3, 2, 4. et de Orat. 2, 11, 48. et Acad. 2, 18, 58. quae tamen diſſimillima ſunt; neque *et etiam* ſaepe dicitur pro *vel adeo*, niſi ubi *et* vim habet copulandi. Cum Cic. de Leg. 3, 2, 4. *quod et in his etiam, qui nunc regnant, manet.* comparari poteſt Liv. 21, 54, 5. *ut et numero etiam, non animis modo valeatis.* In loco de Orat. legitur: *nam et teſtimonium ſaepe dicendum eſt, ac nonnumquam etiam accuratius.* Et in Academicis *etiam* non in una enuntiatione bis ponitur. In iis autem, de quibus Wopkenſius loquitur, verbis Heindorfius cur alterum *etiam* poſt *hominum* damnaverit, numquam perſpexi, neque ipſe alterum utrum vocabulum abſque codicum auctoritate abiicere auſus eſſem. Occurrunt multa in Cicerone, quorum inſolentiam miremur, et multa adeo, quae nobis quidem diſpliceant.

*capiti congruebat.* Pari modo *iam* vacat poſt *nunc*, ad Fam. lib. X. ep. 20. *Nunc vero etiam iam erroris cauſa ſublata eſt:* ubi non audiendi ſunt, qui *iam* delent, aut transponendum putant: eandem enim κακοφωνίαν multis iam comprobavimus ad Acad. II, 2. *Igitur* etiam πλεονάζει poſt *ergo*, de Nat. Deor. lib. III. c. 17. *Quid igitur? ne ceteri quidem ergo Dii, quorum* etc.? ubi doct. Walkerus volebat, *Igitur ne ceteri quidem Dii, quorum* etc.? ſed ita Lactantius et alibi paſſim, et Epit. cap. 49. *Si ergo Iudaei a Deo reiecti ſunt, - - nulla igitur alia ſpes homini propoſita eſt.* His confer, quae iam plura collegimus ad haecce verba Acad. I. c. 13. *Tunc, Varro; Tuae ſunt nunc partes, inquit, qui ab antiquorum ratione nunc deſciſcis.* Quibus adde quoque, quae ab lib. II. c. 27. *Sed de Phyſicis mox, - - ne tu - - videare mentitus. Sed ut ad* etc.

---

186 
## CAPUT XI.

*Cicero in libro ſecundo de Nat. Deorum bis defenditur. Geminatio eiuſdem verbi minus grata illuſtratur. Caeſaris locus tentatur. Tria Ciceronis et Paterculi loca defenduntur.* Adſpiratio *utrumque ſpirandi actum notat. Cicero de recta hominis figura loquens ex Lactantio illuminatur, Daviſiique lectio confirmatur; qua occaſione* rectum *quoque animum non minus, quam* erectum *poſſe dici, in defenſionem Plinii, probatur; Lactantiique loci, in quibus de ſublimi hominis natura agitur, unus emendatur, alius illuſtratur et adſtruitur.* Communis, *id eſt conſociatus.*

Eodem lib. Tullii ſecundo de N. Deor. c. LIV. 135. iſta de oeſophago legimus: *Atque is agitatione et motibus linguae cum depulſum et quaſi detruſum cibum ac-*

*cepit, depellit.* Offendebat illud erud. Daviſium, quod verbum *depellit* intervallo tam exiguo poſt illud *depulſum* recurreret; cui orationis inconcinnitati tollendae ſic operam dabat, ut pro *depellit* reſcriberet *deglutit.* Quum vero verbum *deglutire* ſeculi Tulliani eſſe haud ſatis conſtet, ego reſcribere malim, *cum D I V U L S U M et quaſi detruſum cibum accepit, depellit;* vel potius, *cum D E P R E S S U M et quaſi detruſum* etc. quo ſenſu verbo *deprimere* uſus eſt Lactant. de Opif. cap. 10, 16. ubi de lingua loquens, inter alia dicit: - - *cibos colligit et conglobatos vi ſua deprimit et transmittit ad ventrem.* Quin autem cibus, cum iam ſit ab oeſophago aſſumtus, recte dicatur *depelli,* non dubitare poſſumus. ſic enim infra cap. ſeq. *Quemadmodum autem reliquiae cibi depellantur, tum adſtringentibus ſe inteſtinis, tum rela-* 187
*xantibus, haud ſane difficile dictu eſt.* vide quoque de Divin. lib. II. cap. 26. Quid ſi tamen in lectione vulgata nihil omnino moveamus, an repetitio haec erit intolerabilior, quam iſta? ſupra cap. 39. *Adde huc - - ſpeluncarum concavas altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines.* ubi haec notabat editor cl. „Huiusmodi negligentia viris ſummis interdum obrepit, „ut hanc ob cauſam forte non mutanda ſit vulgata le- „ctio. Vide, pergit, quae diximus ad Min. Fel. Oct. cap. 8. p. 51.“ Verba Minucii digna ſunt, quae hic ponantur. *Templa,* inquit, *ut buſta deſpiciunt, deos deſpuunt, - - honores et purpuras deſpiciunt.* Et revera locorum iſtiuſmodi numerus adeo eſt ingens, ut mirum videri non debeat, ſi etiam in loco propoſito illud ſermonis vitium ipſi Tullio dormitanti debeatur, non librario.[96])

96) Quod Heindorfius excidiſſe putat, *inferius,* non neceſſarium videtur. Sed codices Creuzeri et Norimberg. inte-

Acad. lib. I. c. 13. *qui.. nihil ſciri poſſe dixerunt; anguſtos ſenſus..., omnia tenebris circumfuſa eſſe dixerunt.* ubi recte rurſum Manucio obviam ibat Daviſius. lib. II. cap. 18. *Soletis dicere, cum viſa in animis imprimantur, non vos dicere, inter* etc. parum profecto grate ſonat illud geminatum *dicere*. de Finibus lib. V. cap. 27. *dico ea, quae dicat praeclare inter ſe cohaerere.* de Divin. lib. I. c. 34. *Tum ea ſacerdos dixiſſe dicitur,* etc. et cap. 44. *tum ex his quidam dixiſſe dicitur, non omnia illum transfugam auſum eſſe ſenatui dicere.* Tuſc. lib. V. c. 10. *cum ea, quae ſupra enumeravi, in malis numerent.* in his quid aures non plane obtuſas quodammodo poſſit offendere, non opus eſt demonſtrem. de N. Deor. II. c. 58. *nam et virtutes, et vitia cognoſcunt: iratum, propitium; laetantem, dolentem; fortem, ignavum; audacem timidumque cognoſcunt.* ubi notetur illud iteratum *cognoſcunt*. Caeſar de B. Gal. lib. I. c. 29. *In caſtris Helvetiorum tabulae repertae ſunt, literis Graecis confectae--; quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat,*
188 *qui numerus domo exiſſet eorum, qui arma ferre poſſent, et item ſeparatim pueri, ſenes, mulieresque.* legendum illic forſitan, *et item ſeparatim, QUI pueri* etc. Sed hoc in tranſitu. Non abſurdum fuerit, ſi quaedam etiam ex auctoribus Graecis, quos verſavimus, in rem praeſentem adducamus. Polyaenus lib. III. c. 9, 43. *οἱ Λακεδημόνιοι τὸ πλῆθος φοβηθέντες, καὶ τὴν φυγὴν τῶν ὀχυρῶν τόπων φοβηθέντες, ἀμαχεὶ φεύγοντες ᾤχοντο.* lib. IV. cap. 7, 4. *αὐτὸς δὲ ἐπὶ μιᾶς πλέων, καὶ Νικάνορα προσλαβὼν, ἔπλει πρὸς τὸν λιμένα τῆς Ἐφέσου.* et cap. 8, 4. *ὁ δὲ τοὺς ἡγεμόνας ἐκέλευ-*

gram ſcripturam ſervant hanc: *atque is, agitatione et motibus linguae quum depulſum et quaſi detruſum accepit, cibum depellit.*

σεν - - ὕλην ἱκανὴν καῦσαι, τὰ δὲ πυρὰ καίειν, πρώ-
της μὲν φυλακῆς δαψιλῆ etc. Xenoph. Cyropaed.
lib. II. p. 56. [4, 2.] καὶ τῷ δευτέρῳ ἐκέλευσε ταυτά
τοῦτον παραγγεῖλαι, καὶ διὰ πάντων οὕτω παραδι-
δόναι ἐκέλευσε. lib. I. p. 35. D. [6, 38.] Καὶ σφόδρα μὲν
καὶ ἐν τοῖς μουσικοῖς τὰ νέα καὶ ανθηρὰ εὐδοκιμεῖ,
πολὺ δὲ καὶ ἐν τοῖς πολεμικοῖς μᾶλλον τὰ καινὰ μη-
χανήματα εὐδοκιμεῖ. non accedo Mureto, qui τὸ εὐδοκι-
μεῖ ex priore loco delendum cenſuit, quod ſemel ſufficeret.
Haec autem et plura id genus exempla faciunt, ut etiam
in ſequentibus his locis, quae aliter ab alio tentantur,
vix quidquam ego mutare auſim. de Fin. lib. I. cap. 14.
*et ipſius fortunae modice ferre docet iniurias, et omnes
docet vias* etc. ubi de Lambini coniectura editum eſt,
*et omnes monſtrat vias.* [97]) Tuſc. IV. cap. 15. *ex qua con-
citantur, quae ſunt ... turbidi animorum concitatique
motus.* coniiciunt docti, *ex qua cooriuntur*, vel *gig-
nuntur.* et cap. 37. *Inveteratio autem -- aegrius depel-
litur, quam perturbatio; citiusque repentinus oculorum
tumor ſanatur, quam diuturna lippitudo depellitur.*
ultima vox malum pedem huc intuliſſe videbatur Davi-
ſio. Ita quoque immerito, aut rationibus ſaltem minus
certis, ſollicitari puto iſta Velleii Pat. lib. I. c. 9. *deſti-* 189
*tutum omni ſpe coëgit e Macedonia profugere. Quam
ille linquens, in inſulam Samothraciam profugit.* lib.
II. c. 16. *cuius de virtutibus cum alii, tum maxime Q.
Hortenſius -- retulit. Cuius pietati plenam P. R. gra-
tiam retulit.* et cap. 17. *Nec aut Caeſari quidquam
ex victoriis ſuis fuit laetius, quam ſervaſſe Corvinum,
aut maius exemplum hominis grati ac pii, quam Cor-
vinus in Caeſarem fuit. Non aliud bellum cruentius*

97) **Meliora docet Goerenzius.**

*caede clarissimorum virorum fuit.* ubi vexabatur illud *fuit;* sed componamus ista Tusc. V. c. 1. *Quod si ab his inventa et perfecta virtus est, et si praesidii ad beate vivendum in virtute satis est: quis est, qui non* etc.? Lucret lib. I. vs. 361.

> *Nam si tantundem'st in lanae glomere, quantum*
> *Corporis in plumbo'st, tantundem pendere par est;*
> *Corporis officium est quoniam premere omnia*
> *deorsum.*

Seneca de Ira lib. I. cap. 8. -- *difficilis ad salutem recursus est. Quoniam nihil rationis est, ubi semel affectus inductus est, iusque illi aliquod voluntate nostra datum est.*

Cap. LV. 136, *In pulmonibus autem inest raritas quaedam .. ad hauriendum spiritum aptissima: qui tum se contrahunt adspirantes, tum se in respiritu dilatant.* Lectio haec ab ingenio cl. editoris est, qui illam ex diversis codicum scripturis fabricatus est, qui dant *tum se spiritu*, vel *tum in se spiritu*, vel *tum se in spiritu dilatant.* Sed lectio ista parum vel nihil habere videtur, quo palmam praeripiat vulgatae isti, *tum in respiritu dilatant;* quandoquidem *se* facillime subauditur ex antecedentibus, licet non dixerit ibi auctor, *qui se tum contrahunt adspirantes*, sed *se* postposito, *qui tum se c. a.* vide quae diximus ad Acad. lib. II. c. 17.
190 Ut tamen verum fatear, non displicet mihi illa codicum impressorumque aliquorum scriptio, *tum se spiritu dilatant.* Nescio enim, an vox *respiritus* sit forte sequioris tantummodo Latinitatis. [98]) *Adspirare* autem pos-

98) Recentiorum criticorum suspiciones nil iuvant. Lambinus id proposuit, quod unicum poterat probari *tum in respiratu dilatant.* Et quod nonnulli codices exhibere

se utrumque spirandi actum, denotare, constat inde, quod supra cap. 33. *adspiratione aeris* sustineri dicuntur animantes; quae quidem *adspiratio* talis est, ut receptionem aeris, eiusdemque vicissim proiectionem complectatur. Sic volet Tullius, dum aerem ore naribusque hauriamus, vicissimque emittamus, pulmones sic affici, ut tum se contrahant, tum se aere immisso dilatent.

Cap. LVI, 140. *Qui primum eos humo excitatos, celsos et rectos constituit, ut Deorum cognitionem, coelum intuentes, capere possent.* Bene omnino se habet illud *celsos et rectos*, quod doct. Davisius ex codicibus deprompsit, vulgataeque lectioni substituit isti *celsos et erectos.* Duobus Lactantii locis, quos ille in testimonium adduxit, tertium et quartum addam, haud minus insignem atque luculentum. Sic autem non ineleganter loquitur hic auctor de Opif. Dei cap. 19, 10. *Qui si -- desideriis se carnis addixerit, cadet et premetur ad terram. Sin autem, . . statum suum, quem RECTUM recte sortitus est, promte constanterque defenderit, --vitam merebitur sempiternam.* lib. II. cap. 1, 15. *Parens enim noster ille unus et solus, cum fingeret hominem, id est animal intelligens et rationis capax; cum veró ex humo sublevatum, ad contemplationem sui artificis crexit.. Ipsi ergo sibi renuntiant, seque hominum nomine abdicant, qui non sursum adspiciunt, sed deorsum. nisi forte id ipsum, quod RECTI sumus, sine causa homini attributum putant.. Sed nobis proprie datum est, coelum rigidis ac stantibus intueri; ut*

dicuntur *respiram*, non aliam in se habet oblitteratam vocem quam *respiratu.* Nam sunt codices, in quibus *tu* et *m* vix dignoscas.

191 *religionem ibi quaeramus, ut Deum, cuius sedes illa est, quem oculis non possumus, animo contemplemur.. Est autem pravissimum, cum ratio corporis RECTA sit, quod est temporale; ipsum vero animum, qui est aeternus, humilem fieri: cum figura et status nihil aliud significent, nisi mentem hominis eo spectare oportere, quo vultum; et animum tam RECTUM esse debere, quam corpus, ut id, cui dominari debet, imitetur.* Ex quo loco *rectum* quoque *animum* dici posse constat, cum vulgo et non male quidem dicere soleamus *erectum;* quod mihi aurem vellicat, ut emendationem literatissimi Wassei supervacuam videri declarem, qua *erectos* legebat pro *rectos,* in hisce Plinii Paneg. cap. 44. *Amas constantiam civium, rectos ac vividos animos non, ut alii, contundis ac deprimis, sed foves et extollis.* Has Ennius in Fragm. p. 59. vocat *mentes, rectae quae stare solebant:* eoque modo Horatius lib. IV. oda 9. *animum* dixit *secundis temporibus dubiisque rectum.* vide quoque I. F. Gron. ad Senecae epist. 104. quo plura ex Seneca, Cicerone, Ammiano aliisque adderem, si necesse esset.[99] Atque haec quidem de Plinii loco hactenus. Iam quoniam de praestanti et sublimiore hominis natura sermo fuit, illud adhuc verbo addamus, *eodem* pro *eadem* legendum videri in his Lactantii de Opif. Dei cap. 8, 2. -- *hunc ad coeli contemplationem rigidum erexit, bipedemque constituit, scilicet ut eadem spectaret, unde illi origo est.*[100] Epitomes autem cap. 71. *Non potest* (homo) *esse solubilis, qui cum Deo et vultu et*

99) Vid. Burmann. ad Propert. 1, 19, 24. p. 181.

100) Ita iam Erasmus emendaverat, et omnes assensi sunt. At non necessaria est correctio. Quidni enim recte dicatur *eadem, unde?* quum accusativo idem exprimatur, quod adverbio.

*mente communis eſt* [101]) *:* fuit aliquando, ut cum viro quodam eruditiſſimo exiſtimarem, ſcripſiſſe Lactantium, *cui cum Deo et vultus et mens communis eſt:* ſicuti loquitur ille auctor Inſtit. lib. VII. cap. 5, 6. et de Opif. Dei cap. 8, 3. At poſtea me de neceſſitate emendationis illius 192
dubitare coëgit ſimilis uſus vocis *communis*, Acad. l. I. c. 12. *opinio, quae eſſet imbecilla, et cum ſalſo incognitoque communis*, i. e. conſociata.

---

## CAPUT XII.

*In lib. II. Ciceronis de Nat. Deor. quatuor loco in lectione vulgata ſtabiliuntur. Ambiguitas, qua verbum ſit ad nomen remotius referendum, adſtruitur. Cicero bis vindicatur, una cum loco Curtii ac Paterculi. Encliticum* que, *pro quoque, initio pericoparum.* Arte, *i. e. dextre, perite. Ciceronis locus de Divin. tentatur.*

Verſemur adhuc paulliſper in libro ſecundo Ciceronis de Nat. Deorum, ubi cap. LVII, 142. *Quis vero,* inquit, *opifex, praeter naturam, qua nihil poteſt eſſe callidius, tantam ſollertiam perſequi potuiſſet in ſenſibus? Quae primum oculos membranis tenuiſſimis veſtivit et ſepſit: quas primum perlucidas fecit, ut per eas cerni poſſet; firmas autem, ut continerentur.* Elegantior erit, concedo, et concinnior oratio, ſi cum Lambino reſcribemus, *ut continerent*, ſcilicet oculos; nam ſi *continerentur* adſervemus, ſubaudire oportebit vox *oculi;* quod non niſi aliqua cum difficultate fieri poteſt, quum verbum *continerentur* a ſubiecto ſuo (ut loquimur) *oculi*

101) Sic Heumannus quoque coniecit: nec ſufficit comparare locum Academ., qui non eamdem conſtructionem habet.

vocem *membranae* dirimatur. At ſaepenumero fit, ut verbum aliquod aut pronomen cum nomine remotiore ſit conſtruendum. Id clare docet illud *idque providit,* in his quae ſequuntur: *Sed lubricos oculos fecit,* (natura) *et mobiles, ut et declinarent, ſiquid noceret, et aſpectum quo vellent facile converterent. Acieſque ipſa, qua cernimus, quae pupula vocatur, ita parva eſt, ut*
193 *ea quae nocere poſſint, facile vitet. Palpebraeque ſunt tegmenta oculorum,* (ſic enim lego, vel *Palpebrae quoque,* non *Palpebraeque, quae* etc. nam parentheſis, quam hic fingit editor clariſſimus, incommodior videtur) *molliſſimae tactu, ne laederent aciem, aptiſſime factae et ad claudendas pupulas, ne quid incideret, et ad aperiendas: idque providit,* (ſc. natura) *ut identidem fieri poſſet cum maxima celeritate. Munitaeque ſunt* etc.[102]) confer illud *compegit* et *noluit* Lactantii de Opif. cap. V, 4. Itaque Caeſar de B. Gal. lib. I. c. 18. *Caeſar concilium dimittit, Liſcum retinet. Quaerit ex ſolo ea quae in conventu dixerat. Dixit* (Liſcus nimirum) *liberius atque audacius. Eadem ſecreto ab aliis quaerit* (ſcilicet Caeſar): *reperit eſſe vera.* Nepos Epam. cap. 10. *Hic uxorem nunquam duxit; in quo cum reprehenderetur.. a Pelopida, qui filium habebat infamem; maleque eum in eo patriae conſulere diceret* (Pelopidas), *vide, inquit, ne tu peius conſulas, qui* etc. Plura And. Boſius ad Pelop. cap. 3, 3. Sulp. Severus Hiſt. Sac. lib. I. c. 18, 3. *Si quis ſervum proprium, ſervamve percuſſerit, exque eo ictu obierit; reus iudicio fiet.* Hyginus Fab. cap. 8. *Antiopam vinctam adduxit in Citheronem: parit geminos,* ſc. Antiopa. ubi talia larga

102) Hanc egregiam emendationem Heindorfius ignoravit, aut ſilentio repudiavit. Quam ipſe fecit, emendatio non praeſtat. *Que* exprimit rationis aequalitatem.

manu coacervantem vide doct. Munkerum. conſule quoque illuſtr. Clericum, Crit. P. II. S. I. cap. 10, 8. et in comm. ad Geneſ. XXIX, 28. Quae cum ita ſint, parum abeſt quin etiam loca ſequentia ſincera eſſe perſuaſum habeam. ſupra cap. 31. - - *virtus, concordia. . dedicatae ſunt. Quae qui convenit penes Deos eſſe negare, cum eorum anguſta et ſancta ſimulacra veneremur?* ubi doct. Boherius *Quas* et *earum* reſcribit, ne quis illud *eorum* ad proximum ſubſtantivum *Deos* referat.[203]) Tuſc. lib. I. cap. 38. *Endymion vero - - neſcio quando* 194
*in Latmo obdormivit, qui eſt mons Cariae; nondum, opinor, experrectus.* ubi varie fluctuant viri docti. de Divin. lib. I. c. 52. *nam et ad hoſtiam deligendam poteſt dux eſſe vis quaedam ſentiens, quae eſt toto confuſa mundo: et tum ipſam cum immolare velis, extorum fieri mutatio poteſt.* ubi Lambinus legebat, *et tum cum hoſtiam ipſam immolare velis,* etc. Curtius lib. III. c. VI, 2. *Nulli promiſſum eius placebat, praeter ipſum cuius periculo pollicebatur* ſc. medicus : in quibus non erat, quod verbum *pollicebatur* παθητικῶς accipiendum exiſtimaret Raderus. Vell. Paterc. lib. II. cap. 15. *arma adverſus Romanos cepit* (Italia). *Quorum ut fortuna atrox, ita cauſa fuit iuſtiſſima: petebant enim* etc. *Quorum* refer ad ſubſtantivum remotius *arma;* ut phraſis ſit illi ſimilis, ibid. cap. 16. *Tam varium atque atrox fortuna Italici belli fuit.* Feſtinabat igitur vir eruditiſſimus, cum pro *Quorum, Sociorum* reponebat.

Cap. LVIII, 145. *Omnisque ſenſus hominum multo antecellit ſenſibus beſtiarum.* Encliticum *que* tranſi-

203) Vid. Heindorſius ad h. l. In Tuſcul. nunc reſtitutum legitur: *ut neſcio quando in Latmo obdormivit, — nondum opinor, eſt experrectus.*

tioni minus aptum videbatur doct. Walkero, quam, quod ſubſtituendum putabat, *quoque*. At vero tranſitus, quem hic facit Tullius, non eſt talis, quin aliquam habeat connexionem cum antecedentibus, quibus ſenſuum facta deſcriptio eſt. Quidquid id eſt, ſaepiſſime ſic novam ſententiam inchoat particula copulativa; ſive ea ſit *que*, ſive *et*, *ac*, vel *atque*.[104]) Neque exempla huius rei e longinquo arceſſenda ſunt: hoc ipſo cap. ſe oggerunt. Tale eſt illud, *Auriumque item eſt* etc. et rurſus, *Nariumque item eſt* etc. cap. ſuperiore: *Aciesque ipſa* etc. cap. 52. *Multaque alia* etc. Tu loca, ſi tanti eſt, inſpice, et confer quae iam alibi in antecedentibus de patentiſſimo copulativorum uſu diximus. Sequitur eodem cap. *Nariumque item et guſtandi et arte tangendi magna iudicia ſunt.* Non video, cur contra iſtam lectionem tot inſurrexerint eruditi. Guielmius coniiciebat, *et perite tangendi;* Manutius ac Lambinus, cum codice uno et altero, legebant *et pariter tangendi;*
195 Daviſius denique, transpoſitis vocibus reficiebat *pariter et tangendi;* quod etiam ſuadere putabat codicem Med. et Lincoln., in quibus erat, *guſtandi arte et tangendi.* Niſi vero hanc codicum iſtorum lectionem a Tullio eſſe velimus, vulgata ſatis eſſe ſincera videtur, ſi modo illud *arte* ſic accipiamus, ut ſignificet *perite*, *dextre*, *apte*, ut etiam Belgae dicimus *met konſt.*[105]). Ea quidem

104) Aliquantulum differunt hae particulae. Vid. Turſellin. ſ. v. ATQUE.

105) At quid *arte tangere* ſit, non intelligitur. Omnis ſcripturae varietas orta videtur lineola forte ſuperducta. Nam *apte* alii legerunt *aperte*, alii *arte*, alii fecerunt *pariter*, quod omnium maxime eſt ſuperfluum. Sed *apte tangere* id eſt, quod ad iudicium tactu conficiendum requiramus: nam niſi apte admotis manibus, nulla ineſt in

huius nominis vis haud inuſitata eſt. ſic enim Virgil. Georg. IV. vſ. 56. de apibus, - -

— *hinc arte recentes*
*Excudunt ceras, et mella tenacia ſingunt.*

Aeneid. lib. I. vſ. 643.

*Arte laboratae veſtes, auroque ſuperbo.*

lib. V. vſ. 442.

*Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat*
*Arte locum*, etc.

et lib. VII. vſ. 755.

*Mulcebatque iras, et morſus arte levabat.*

Phaedrus lib. II. epil.

*Et arte fictas animus ſentit fabulas.*

ubi lege novum commentarium erudit. Burmanni. Atque hinc forte procedere licet ad emendanda iſta Divin. lib. I. cap. 48.

*Hinc Remus auſpicio ſe devovet, atque ſecundam*
*Solus avem ſervans. At Romulus* etc.

Quamvis cl. Daviſius ediderit, *Solus avem ſervat*, non tamen de nihilo eſt vulgatum illud participium *ſervans;* quod eo, nos ducit, ut ſic Tullium dediſſe ſuſpicemur: 196

— *ARTE ſecundam*
*Solus avem ſervans.* —

Quam coniecturam probavi etiam aliquando conſanguineo meo amiciſſimo, viro doctiſſimo et acutiſſimo, Tib.

hoc ſenſu cognitio. De voc. *aptus* vide quae affert Nonius 4, 5. et inter ea Ciceronis verba in libro de philoſophia: *altera eſt nexa cum ſuperiore, et inde, apteque pendens.*

Hemsterhuis; quo quidem magis confidere licet, non infelicem me in hac divinatione fuisse augurem.[106])

Cap. LIX, 147. *De quo dum disputarem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam.* Enallage temporum quamvis imitanda non sit, non tamen loco est movenda, nec dica, quod fecit cl. editor, librariis scribenda. Sic certe silentio praetermittenda non fuissent ista cap. 1. huius libri: *Eundem equidem mallem audire Cottam, dum.. veros inducat.* pro *induceret.*[107])

106) Codices praebent *servat:* recte. *Servans* scripserunt, qui de mensura verbi solliciti erant.

107) De discrimine dictionum *velim* et *vellem* disputavit Heindorfius ad Horat. Sat. 1, 1, 55. et ad Cic. de Nat. d. 2, 1, 2. et ad 2, 59, 147. utrumque locum ex ea ratione corrigens, qua Latini cum Graecis *vellem* dixissent de re, quae non fuisset, aut non potuisset fieri. At ipsos Graecos etiam *ἐβουλόμην* dicere de re praesente, quam quis fieri velit, observat Matthiae Gramm. p. 970. Et quum dico *velim fieri,* nonne rem opto, quae non est? Neque vero *vellem* temporis praeteriti notionem in se habet, sed praesentis. Quid igitur interest inter loquutiones has? Liv. 2, 37, 4. *nimio plus quam velim nostrorum ingenia sunt mobilia.* Cic. ad Fam. 7, 3, 21. *habes epistolam verbosiorem fortasse, quam velles.* Utrumque recte dicitur. Igitur distinguamus ante omnia necesse erit modum optativum, quo, quid optemus fieri, pure exprimitur, et eum modum, quo optativa enuntiatio submittitur conditioni, quae saepe in eo cernitur, quod res non possit fieri, aut non facta sit. Potentialem eum appellaverim, sed ab eo, qui ex universa conditione nominatur, aliquanto diversum. Haec autem ab eo qui loquitur interdum confunduntur ita, ut rei conditioni tribuatur, quod tantum in animi cogitatione et voluntate positum est. Ponitur *vellem,* ubi diceres *velim:* utrumque enim praesens est. Sic nos Germani dicimus: *ich wünschte* pro *ich wünsche, ich glaubte wol* pro *ich mag wol glauben.* Atque recte legitur apud Ciceronem de Nat. d. 2, 1. *eumdem equidem mallem audire Cottam, dum qua*

Nec sane tolerabilior est illa permutatio, de Leg. lib. II. c. 19. *ut, ne morte patrisfamilias sacrorum memoria intercideret, iis essent ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit.* pro *venisset.* de Fato cap. 20. *Ita quum attulisset nullam causam, q. i. d. e., tamen aliquid sibi dicere videtur, quum* etc. malles *attulerit*, vel *dicere videbatur.* Acad. II. c. 32. *Quae cum exposuisset, adiungit* etc. sic quoque de Fin. IV. c. 6. Min. Felix Oct. cap. 34. *et cum ipsum mundum perpetuum et insolubilem diceret esse fabricatum, addit tamen* etc. et cap. 3. *ut.. enataret, dum leni impetu labitur; vel .. emergeret, dum assiduo saltu sublevatur.* et cap. 20. - - *Dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere, sacra facta sunt, quae fuerant adsumta solatia.* Lactant. lib. IV. c. 17. *praedixerat fore ut propheta maximus mitteretur a Deo, qui sit supra legem, qui*

*eloquentia falsos deos sustulit, eadem veros inducat.* i. e. vellem, si possem, quod modestius dicitur quam *volo.* In 2, 58, 147. utrumque bene dicitur: *de quo dum disputem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam.* et: *de quo dum disputarem, tuam mihi dari vellem eloquentiam. Dum* est per illud tempus, *solange.* Sed per *velim* exprimitur, rem in optatis esse; per *vellem* autem, si fieri posset et res ipsa concederet, optatum iri. Apud Horatium Serm. 1, 2, 54. non falsum esset, quod damnabat Heindorfius: *ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna vel cyatho et dicas: magno de flumine mallem, quam ex hoc fonticulo tantumdem sumere.* Nam *dicas* et *mallem* non cohaerent constructione, et *mallem* significat: si fieri potest seu posset, (quo certe non affirmatur, id fieri non posse) optarem: qua tamen moderatione sententiae hic quidem non opus est. Cic. Brut. 71, 249. quod in codicibus legitur, probari poterat, non refelli: *nae ego, si ita est, vellem tibi eum placere quam maxime:* quae reddas: *wenn dies also ist, möchte ich wünschen.* quod modestius dictum quam *velim.* Est enim, vellem, si permissum esset.

*voluntatem Dei ad homines perferat.* vide quoque de
197 Opif. Dei cap. 11, 4. Nepos Eum. cap. 8. *Utque quam minime fieret ignis in castris, iter, quod habebat, omnes celat.* Auctor de B. Afr. cap. 85. *Ducem aliquem requirunt, quem respicerent.*[108]) Plura doct. Iensius Lection. Lucian. lib. I. cap. 4. et Cortius ad Salluft. Cat. cap. 34. et 44. Hifce munimientis quoque fe defendere poffe loca fequentia videntur. Acad. lib. II. c. 18. *An non videmus hoc ufu venire, ut quos nunquam putaffemus a nobis internofci poffe, eos, confuetudine adhibita, tam facile internofceremus* etc. ubi clar. Davifius, propter feqq. imperfecta, legebat *veniffe*, pro *venire;* fed vel illud *venire* fi in imperfecto intelligas, quid abfurdum? [109]) quemadmodum etiam in loco Ciceronis propofito vel omnis fublata erit enallage, fi infinitivum *dari* imperfecti fignificatione accipiamus. Rurfum lib. I. Tufc. cap. 7. *fic enim mihi in praefentia occurrit, ut appellarem ἄξίωμα.* ubi idem ille literator cum codice quodam, legebat *appellem.* [110]) lib. IV. c. 11. *nam cum eft*

108) Wopkenfius mifcuit varia exempla. In Cic. de Leg. 2, 19. perfectum infervit notioni conftituendae eorum, ad quos penuria venerit. Non hiftoricum eft. Ex reliquis plura habent praefens pro praeterito in afferendis dicentium verbis: alia pertinent ad ufum vocabuli *dum*, de quo vid. Heindorf. ad Horat. Sat. 1, 5, 72. Apud Lactantium correxerunt *mittatur*: fed verba *qui fit—perferat* ille de fuo adiecifle videtur explicandi cauffa. In Nepot. Eum. 8. punctum ponendum eft poft *caftris.*

109) „Sed eft hic infinitivus perfecti graeci loco, et recte per *venire folere* explicatur.“ Ita Goerenz. ad h. l. Intellexiffe videtur praefens graecum. Altera pars fententiae ad quodcumque tempus refertur, altera ad rem aliquando factam: quod aliquando fimilia internofcebamus, id ad ea pertinet, quae ufu veniunt.

110) *Occurrit* perfectum eft. In 4, 11. *quae fanaret* effet, quae fi adhiberetur, fanaret. Sed alii codices praebent

*concupita pecunia, nec adhibita continuo ratio,..quae ſauaret eam cupiditatem; permanat in venas* etc. ubi legendum coniicit Bentl. *quae ſanet* etc. lib. II. cap. 15. *quae* (arma) *quidem ita geruntur apte, ut, ſi uſus foret,.. pugnare poſſint.* ubi idem vir doctus ſcribit: *ſi uſus ferat.* Eleganter autem eodem ſenſu *uſus eſſe* dicitur, quod docuit Daviſius ad iſta Caeſ. B. Gal. lib. IV. c. 2. *ad quos ſe celeriter, quum uſus eſt, recipiunt.*

---

## CAPUT XIII. 198

*In lib. II. Cic. de N. Deor. recepta lectio bis terve vindicatur atque emendatur.* Percipere *pro* pertrahere. *Relativi* qui *uſus quidam ſingularis illuſtratur. Salluſtius, Seneca, Felix, et Paterculus defenduntur. Ellipſis pronominis* is. *Tria Ciceronis loca obiter adferuntur.* Reputare et cogitare. *Cicero vindicatur.*

Perveneramus iam ad cap. 59. libri ſecundi Cic. de Nat. Deorum, in quo unus et alter locus adhuc occurrit ventilandus. *Primum enim,* inquit Cicero, *a pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet; per quam vox, principium a mente ducens, percipitur et funditur.* Non video equidem, quomodo hic *,proiiciatur',* quam *percipiatur,* aptius videri poſſit. Vox oritur a mente, deinde per arteriam, a pulmonibus usque ad os intimum pertinentem, percipitur, et funditur. Quid dici potuit ordinatius? Verbum autem *percipere* eandem vim habebat ſupra cap. 56. *Et aures, cum ſonum percipere debeant, qui natura ſublime fertur,* etc. ubi

*ſanet.* In 2, 15. *foret* ineptum eſt: recte emendarunt *ferat.*

tamen docti volebant legi *accipere, excipere*, vel *recipere.* Sed eodem modo Lactantius quoque *percipi* ad auribus vocem dicit per cavos finus, cum de Opif. Dei cap. 8, 7. fic loquitur: *Nam et forma ipfa mirandum in modum ficta, quod earum foramina voluit effe nuda et inobfepta; quod et minus decorum, et minus utile fuiffet, -- nifi perceptam per cavos finus* (vocem) *et repercuffu retentam foramina ipfa convehererent*, etc. [111]) Iam verbi *percipere* vis elegans, nifi ego quidem fallor, in aperto eft; ut tam ori, quod vocem per arteriam
199 haurit, quam auribus, quae eam per finus fuos recipiunt, attribui fatis Latine queat. Si ftatuerint viri doctiffimi, *percipere* feculo Tulliano nil aliud denotaffe, quam intelligere, cognofcere, erraffe mihi plane videntur.

Sequitur ibidem: *Deinde in ore fita lingua eft, finita dentibus. Ea vocem inmoderate profufam fingit et terminat, quae fonos vocis diftinctos et preffos efficit.* Coniiciunt -- *terminat, fonosque vocis* etc. vel *terminat, atque fonos vocis.* Ego, fola diftinctione mutata, lego, -- *terminat. Quae fonos vocis* etc. Saepe enim fit, ut pronomen relativum fic periodos inchoet, ut demonftrativi pronominis vicem aliquomodo praeftare videatur, nexumque cum antecedentibus paulo incommodiorem habeat. [112]) Exemplis res certior erit at-

111) „Quorum tamen locorum diverfa eft ratio, quum fonus ibi aut vox fignificetur, quae extrinfecus percipiatur. Hic quidem arteria vocem a mente ductam rectius, opinor, diceretur *recipere* vel *excipere*, tum *fundere*, feu *emittere.*" Haec Heindorfius. Sed arteria non tantum excipit vocem, fed complectitur et tenet. Hoc eft *percipere.* Plinius Hift. nat. 21, 5, 13. *calorem percipere.*

112) Hic ufus uti non erat declarandus demonftratione exemplorum, ita ab hoc loco alienus eft. Inconcinna exfiftit oratio, praemiffo pronomine *ea.* Scribendum eft *atque.*

que clarior. infra lib. III. c. 34. *Atque homo acutus -- in eadem ſententia perſeverabat. Qui cum ad Peloponneſum claſſem appuliſſet* etc. ubi mallet quis, *Ii cum* etc. de Divin. lib. I. c. 33. *Haec improbantur a Peripateticis, a Stoicis defenduntur. Quorum alia ſunt poſita in monumentis* etc. ubi eodem iure, quo in loco de N. D. propoſito, reponere liceret, - - *defenduntur, atque eorum alia* etc. ſed conticuerunt interpretes, et bene meritoque conticuerunt; ut et ibidem cap. 24. *Poſt triennium ante devovit ſe, et in aciem Latinorum irrupit armatus: quo eius facto ſuperati ſunt et deleti Latini. Cuius mors ita glorioſa fuit*, etc. quae quidem melius hoc modo inter ſe cohaererent, - - *Latini. Atque huius mors* etc. vide quoque cap. 17. et cap. 51. de Fato cap. 14. *Itaque premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam. Cuius erat haec concluſio* etc. Tuſc. lib. II. 18. *Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edidit? Cui cum Deianira -- tunicam induiſſet*, etc. hoc eſt, *Nam cum ei Deianira* etc. Inſpicienda iſtiusmodi exempla in contextis ſunt, ne 200
nos in deſcribendis verbis nimium prolixi eſſe cogamur. Talia quoque multa reperiuntur in Corn. Nepote. Sic in Themiſt. cap. ult. *Huius ad noſtram memoriam monumenta manſerunt duo: ſepulcrum prope oppidum, in quo eſt ſepultus: ſtatuae in foro Magneſiae. De cuius morte multis modis apud plerosque ſcriptum eſt, ſed* etc. mallet forte quis ex ſuae linguae idiotiſmo, *De huius autem morte* etc. in Epam. cap. 7. - - *erat enim ibi privatus numero militis. A quo cum peterent opera* etc. Pari modo Salluſtius Catil. cap. 4. *Igitur de Catilinae coniuratione quam veriſſime potero, paucis abſolvam: nam id facinus inprimis ego memorabile exiſtimo, ſceleris atque periculi novitate. De cuius*

*moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.* En tibi locum omnem, ut hac occasione Rivium frustra esse declarem, qui *hominis moribus* rescribat, ne quis pronomen *cuius* ad proxime superius substantivum referat; quem errorem, quamvis tacite adsumserint Wasseus et Cortius, refellere tamen possunt ista, quae non hic tantummodo, sed etiam supra ad cap. 57. collegimus. [113]) Caveamus porro, ne de puritate loci illius dubitemus, Senecae rhetoris Controv. lib. IV. p. 321. *Necessitas magnum humanae infelicitatis patrocinium est. Haec excusat.. Romanos, quos ad servilem dilectum Cannensis ruina compulit. Quae quicquid coëgit, defendit.* sic enim distinguendum, non uti vulgo, . . *compulit, quae q. c. d.* [114]) Ne anxios de loci integritate reddat animos, quod doct. Schultingius ad h. l. Vellet, inquit, forte quis, *eaque;* sed vulgatum, addit ille, non est temere damnandum. Nos vero, vulgatum non esse ullo modo sollicitandum, adfirmare ausimus. Standum etiam arbitror pro sanitate lectionis illius, Min. Fel. Oct. cap. 36. *aves sine patri-*
201 *monio vivunt, et in dies pecua pascuntur: et haec nobis tamen nata sunt: quae omnia si non concupiscimus, possidemus.* ubi Iac. Perizonius multo concinniorem sententiam fore dicit, si legas, *qui omnia* etc. Nec minus sana sunt ista Velleii Paterc. lib. I. cap. 1.. *factum eius a Diis comprobatum, spatio vitae et felicitate imperii apparuit; quippe vixit annis nonaginta, regnavit septuaginta.* , *Qui se etiam a Pyrrho*, - *virtute*

113) Omnes libri perhibent *de cuius hominis moribus.*

114) Nec comma, nec punctum ponendum videtur, sed colon: nam valet relativa vis pronominis, quod saepe ponitur pro *nam is,* ut apud Graecos ὅς pro ὅς γάρ. vid. Matthiae Gramm. p. 893. edit. sec.

*vindicavit.* ubi Th. Munkerus volebat, - - *ſeque etiam a Pyrrho* etc. [115].

Cap. LXIII, 158. *Canum vero tam fida cuſtodia, tamque amans dominorum adulatio,* . . *tanta alacritas in venando, quid ſignificat aliud, niſi ſe ad hominum commoditates eſſe generatos?* Quid ibi iſta volunt, - - *quid ſignificat aliud, niſi ſe . . eſſe generatos?* An *ſe* hic erit pro *illos?* cuius generis exempla quaedam collegit doct. Munkerus ad Hyg. Fab. cap. 60. [116]) Ego potius maximam iſtam duritiem minima mutatione ſuſtulerim, expungenda vocula *ſe* poſt coniunctionem *niſi;* ex cuius ultima ſyllaba, dormitante ſcriba, facillime prognaſci illud *ſe*, Ciceronique obtrudi potuit. Sic dicet auctor, per iſta canum admiranda declarari, eſſe eos ad hominum commoditates generatos. Scilicet ſubaudiendum relinquitur pronomen *eos*, quam ellipſin nemo ignorat eſſe vulgarem; ut plura illius exempla proferre non opus ſit, quam fecimus ad Tuſc. lib. I. c. 36. facturique ſumus ad Divin. lib. I. cap. 17. Hic tantum loca quae-

115) Iterum defendit vulgarem ſcripturam in Miſcell. Obſerv. Tom. 8. p. 21. additque praeterea emendationem *quin ſe etiam*, quam Ruhnkenius non repudiandam cenſet. Equidem dubito. Nam quod per *quin etiam* adiicitur, maius eſſe debet antecedente, cui opponitur, re. Sed virtutem parem recte intellexit Heinſius. *Virtus* enim hoc loco dicitur iuſta ultio. Quare aſſentior Wopkenſio vulgarem ſcripturam defendenti. Graecis communis eſt hic uſus relativi.

116) Ab antiquis poetis et a recentiſſimis ſcriptoribus ſaepius *ſe* pro *eum* ponitur, ubi, quo referatur pronomen, ex antecedentibus colligi poteſt. Vid. Buchner. ad Venantium p. 56. Ex optimis autem ſcriptoribus exempla protulit Ruddimannus Tom. II. p. 54. quae cum hoc loco Ciceronis apte comparabuntur.

dam apponam, in quibus habeo, quod eruditorum conatibus fubfcribere vix aufim. Acad. lib. I. c. 11. *Sed quia nihil, quod cadere in eam* (comprehenfionem) *poffet, relinqueret, quodque natura quafi normam fcientiae et principium fui dediffet, unde* etc. ubi tentant, *quodque eam natura*, vel *quamque natura* etc.
202 de Leg. lib. I. c. 8. *ut ea - - non fortuito nata videantur, nec folum ea - - fed etiam pecudes; quod perfpicuum fit, partim effe ad ufum hominum - procreatas*; fcil. eas pecudes. ubi cl. editor legendum ducit, *quas perfpicuum fit*, etc. [117]) item lib. III. cap. 8. *At mehercule ego, frater, quaero de ifta poteftate* (tribunorum plebis) *quid fentias. Nam mihi quidem peftifera videtur, quippe quae in feditione et ad feditionem nata fit. Cuius primum ortum fi recordari velimus, inter arma civium - - procreatum videmus.* legebat idem vir doctus, - - *velimus, tribunatum inter arma civium - - procreatam videmus.* ego potius leviffimo brachio repofuerim, - - *velimus, inter arma civium - - procreatam videmus*, fcil. illam poteftatem. nifi forte fit fchema ad rem fignificatam, quo ita loquatur Tullius, tanquam fi fupra non *poteftatem* tribunorum, fed mafculini ge-

117) Haec emendatio non facta erat ob intelligendum pronomen *eas*, fed propter conftructionis difficultatem in verbis *quod perfpicuum fit*. Illud *quod* enim non poteft accipi pro *ut*, neque etiam pro *ita ut hoc*, quemadmodum explicuerunt viri docti. *Perfpicuum fit* dictum videri poteft, uti paullo poft c. 9. *perfpicuum fit illud:* et *quod*, pro *quo* pofitum, reddatur *in wie fern*. Eft autem quoddam attractionis genus, quod faepe fefellit criticos. Quo refero etiam Catulli 62, 20. *Hefpere, qui coelo fertur crudelior ignis? Qui natam poffis complexu avellere matris.* Nam *qui* nominativus eft, et *qui poffis*, quod eft *quippe qui poffis*, dicitur pro *quomodo poffis*.

neris vocem *tribunatus* nominaſſet. de quo ſchemate diximus iam ad huius de N. D. libri cap. 36. [118])

Cap. LXV, 163. *Multa cernunt haruſpices; multa augures praevident; - - quibus cognitis, multae ſaepe res hominum ſententia atque utilitate partae, multa etiam pericula depulſa ſunt.* Et hic quoque locus maximam iniuriam a librariis ſcriptoribus paſſus eſt: quis enim nobis Oedipus ſenſum aliquomodo idoneum ex his exſculpat, *multae ſaepe res hominum ſententia atque utilitate partae?* Lambinus igitur coniectura audacula recepit, *multae ſaepe res ex animi ſententia atque utilitates partae.* Daviſius legebat, *multae ſaepe res horum ſcientia atque utilitates partae*, vel omnia iſta *hominum ſententia atque utilitate*, tanquam ex marginali nota conflata, tollebat. Cum vero hi viri induſtriam noſtram, ad genuinam loci lectionem perſcrutandam, ſuo exemplo excitent; nil vetat, quominus aliud in ſymbolam conferre, atque loco prorſus male 203
affecto gratiam quandam inire conemur. Iſta autem mihi incidit ſuſpicio, ſcripſiſſe noſtrum auctorem, *multae ſaepe res hominum SOLERTIA AC SEDULITATE partae.* Per haruſpicinam, auguria, etc. monſtrari vult Balbus hominibus, quae res, quibusque modis captandae ſint aut fugiendae; eisque ſignificationibus divinis hominum accedentem ſagacitatem atque

118) Hanc alteram ſententiam approbavit Goerenzius, emendationem autem Erneſtius et Wyttenbachius. Si legatur *procreatum*, id cum nomine *ortum* coniungamus neceſſe erit. Atque iam fecit Forcellinus ſ. v. *ortus* et *procreatus*. Idque approbare, aliis abſurdum videbitur, non mihi. Unde Wopkenſius ſumpſerit *velimus*, quod vulgo legitur *volumus*, equidem neſcio.

diligentiam perfeciſſe, ut res multae partae, multaque mala ac pericula depulſa fuerint. [119])

Eodem cap. mox ſequitur: *Haec igitur ſive vis, ſive ars, ſive natura, ad ſcientiam rerum futurarum homini profecto eſt, nec ab alio alicui quam a Dis immortalibus data.* Codices quidam habent, *nec alicui quam a Dis i. d.* abſque illo *ab alio;* quae quidem lectio nos ad eam coniecturam ducit, ut a Tullii manu fuiſſe opinemur, *nec ALIUNDE quam a Dis immortalibus data.* h. e. ab alia quapiam natura. Conſtructionem ita concipias, - - *homini profecto data eſt, nec aliunde quam a Dis immortalibus*, data ſcil. Vult Balbus probare providentiam divinam; eumque in finem, hominem ſcientiam rerum futurarum ſortitum, nec aliunde, quam a Deo. nactum eſſe ponit. [120])

Cap. ſequente 67, 168.: *Tu autem, Cotta, - - eandem cauſam agas, teque et principem civem putes, et pontificem eſſe cogites.* Sunt codices, qui illud *putes* omittant. Sed quamvis verbum illud, ſenſu omnino ſano atque integro, ſolum vertere poſſit, orationisque exitum nulli bono remoretur; delectatur tamen Tullius iſtiusmodi pleonaſmis, ut iam fuſius probatum dedimus,

119) Praeſtare videtur Boherii emendatio *ex hominum ſententia:* attamen non intelligitur, quo pacto haec ſcriptura oblitterari potuerit, neque omnino recte eſt conformata haec enuntiatio: divinis ſignis cognitis, multas res ab hominibns ex ſua ſententia et utilitate eſſe partas. Quare puto ſenſum a Daviſio et a Wopkenſio ſubtiliter et bene eſſe perceptum, etiamſi, quomodo verba reſtituenda eſſent, neuter eorum inveniſſet.

120) Bene vidit Wopkenſius id, quod codices praebent, *nec alicuiquam*, ob ipſam negationem eſſe falſum. Scripſit Cicero *alii cuiquam.*

ſupra ad cap. 45. Si itaque nihil mutemus, *putes* erit hic idem, quod *reputes*: ut etiam loquitur Maro lib. VI. 204
Aen. vſ. 331.

*Multa putans, ſortemque animo miſeratus iniquam.*

ad quem locum Servius: *Putans, reputans, cum animo pertractans.* Alioquin, mutatione non ita difficili, *civem REPUTES* ſubſtituere poterimus; quemadmodum *reputare* et *cogitare* iunguntur quoque in or. pro Deiot. cap. 13. *Haec ille reputans, et dies et noctes cogitans* etc. ubi elegantia Patricii, legentis *et dies ac noctes* vel *et dies nocteſque,* eſt nimia. [121]).

---

## CAPUT XIV.

*Tranſitus fit ad lib. III. Cic. de Nat. Deor. In quo Tullius aliquoties defenditur et illuſtratur: bis emendatur. Pleonaſmus pronominis. Cicero obiter vindicatur. Locutio* Neſcis quomodo, *intendit orationem. Aſyndeton periodorum. Cicero vindicatur. Lactantius corrigitur. Phraſes* quid ſimile? et quid ſimile habet? *illuſtrantur.* Quare, *i. e. ac propterea. Subiunctivus et infinitivus cum relativo conſtructi. Cicero, Curtius et Livius defenduntur. Min. Felix tentatur et adiuvatur.* Delectari, *moveri, fidem dare.*

Perluſtrato iam ſecundo Tullii de Nat. Deor. libro, accingamur ad percurrendum tertium. cap. I, 1. *Cum autem ſuo cuique iudicio ſit utendum, difficile factu eſt, me id ſentire, quod tu velis.* Elegantius hoc modo ſcripturus fuiſſe videri poteſt Cicero, *difficile mihi factu*

121) Vicit auctoritas librorum, qui fere omnes omittunt vocabulum *putes.*

*est*, vel folummodo *difficile mihi est, id fentire, quod tu velis.* Ego accufativum iftum *me*, ne forte novandi
205 libidinem in quopiam excitet, exemplo uno et altero illuftrabo. fic fupra lib. II. cap. 6. *Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis arrogantiae est.* quis neget multo concinnius haec ita exprimi potuiffe: *In homine autem desipientis arrogantiae est, nihil in omni mundo melius quam se putare?* Tufc. lib. I. c. 3. *Sed mandare quemquam literis cogitationes suas, qui eas nec disponere nec illustrare possit - - hominis est intemperanter abutentis et otio et literis.* accuratior effet dictio ifta, *sed mandare literis cogitationes, si eas... possis, hominis est* etc. [122]) Atque hinc etiam vix quicquam tentem in his, de Fin. lib. III. c. 3. *Vide ne magis, inquam, tuum fuerit, cum re idem tibi quod mihi videretur, non nova te rebus nomina imponere.* ex quibus Lambinus illud *te* eximebat. [123])

Sequitur eod. cap. lib. III. de N. D. *Hic Velleius, nescis, inquit, qua cum exspectatione, Cotta, sim te auditurus.* [124]) Contra iftam lectionem omnem

122) Iudicia hominum quam diverfa funt! Equidem ea, quae Wopkenfio videbantur elegantia carere, elegantiffima effe arbitror. Atque fenfu etiam aliquantum differunt, qui praeftat quidem.

123) Etiam Goerenzius defendit *te*. At quod ille affert, tectam effe oppofitionem, non fatis perfpicio, neque fatis apta funt ad comprobandam rem ea exempla, quae apponit, Epiftol. ad Att. 9, 15. et Plauti Stich. 5, 4, 36. Conf. Ruhnken ad Rutil. Lup. 1, 10. In Ciceronis loco *te* abundare et fufpectum effe, nemo negare poteft.

124) Scribendi errore Wopkenfius dedit *qua cum exspectatione* pro *quanta*. Alia exempla formulae *nescis quantum* fuppeditant lexica.

lapidem movebat cl. Boherius, legendumque censebat, negativo iniecto, *non nescis.* Sed emendationis illius necessitas, signo interrogationis adhibito, facillime anteverti posse videtur. Ego vero, in lectione vulgata ne ista quidem mutatione opus esse existimo; quippe cuius sensus, hoc quidem in loco neutiquam absurdus, huc fere recidit, ut dicat Velleius, se Cottam incredibili cum exspectatione auditurum. Quale est illud Pamphili, in Terent. And. IV. sc. 1. *Ah nescis, quantis in malis verser miser!*

Cap. II, 5. *Cumque omnis populi Romani religio in sacra et in auspicia divisa sit, tertium adiunctum sit, siquid* etc. Hic codicis regii auctoritate non ita moveor, ut copulam post illa *divisa sit*, inserendam existimem; quamvis sic mollior, nostris quidem auribus, 206 evadit oratio. Multus est certe Tullius in istiusmodi asyndetis. supra lib. II. c. 63. *Canum vero tam fida custodia, tamque amans* etc. *tanta alacritas in venando* etc. cap. 5. *multo magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam m. r. a. t. ordinibus* etc. [125])

125) In defendendis vel improbandis asyndetis tam varia et incerta sunt virorum doctorum iudicia, ut ipsam hanc disquisitionem ne inchoatam quidem esse censeas. Heindorfius, qui in verbis 2, 63. non offendit, in 2, 5. corrigendum putabat, *et tam multarum rerum*, et 3, 2. reponebat e codicibus duobus *et tertium*, omissa praepositione ante *auspicia*: quod utrumque male factum erat. Copula omittitur in coniungendis nominibus maxime triplici de caussa. Aut varietas rerum distinctior apparet in nominibus non per particulam copulatis, aut ad graviora vel maiora adscendit oratio novo impetu, aut denique rei partes et notiones quodammodo opponuntur, ut, quae eiusdem rationis esse videantur, tamen distinguantur ex altera parte. Deerat enim Latinis usus particularum graecarum μὲν — δέ. Sic 2, 63. fida custodia, adulatio, odium, sagacitas narium

Tusc. lib. I. c. 47. *Cum enim illam ad solemne et statum sacrificium curru vehi ius esset satis longe ab oppido ad fanum . . tunc iuvenes hi, quos modo nominavi, veste posita, corpora oleo perunxerunt, ad iugum accesserunt: ita sacerdos advecta in fanum.* de Fin. lib. V. c. 10. *Velut qui ipsi sibi bellum indixissent, cruciari dies ac noctes, torqueri vellent.* [126]) Imitatur hoc pro more suo Lactantius lib. I. c. 11, 45. *Deinde Iupiter, postquam imperia divisit, reliquitque hominibus leges; mores frumentaque* (legendum auguror, *mores INSTRUMENTAQUE*) *paravit; multaque alia bona fecit; -- in Creta vitam permutavit.* [127]) Non licebit haec et plura talia silentio praeterire, siquid in loco Tullii proposito, aut in his sequentibus mutatum volueris. supra lib. I. c. 20. - - *qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum - - conservet; terras et maria contemplans, hominum commoda vitasque tueatur* etc. quae rursum copulativa coniunctione explet editor cl. infra lib. III. cap. 15. *Leucotheam - - cuncta* (habet) *Graecia; Herculem, Aesculapium Tyndaridas.* ubi tentant - - *item Herculem*, vel *Herculem etiam*, etc.

Cap. VI, 15. *At medici quoque (ita enim dicebas) saepe falluntur. Quid simile medicina? cuius ego ra-*

unum constituunt virtutum genus, alterum corporis complectitur alacritatem in venando. In 3, 2 recte omittitur *et*: nam tertium illud opponitur ipsa, quae dicitur, adiunctione. Aliae sunt caussae asyndeti in narratione, veluti in Tusc. 1, 47.

126) Omnes libri dant *cruciari dies, noctes torqueri.*

127) *Mores frumentaque* composuit poeta, cuius verba affert Lactantius, ut utrasque et animi et corporis necessitates comprehenderet.

*tionem video, et divinatio, quae unde oriatur non intelligo.* Legerim ego potius, ſecundum mſ. regium, *Quid ſimile habet medicina?* quemadmodum heic etiam legere geſtiit Boherius; quam ut verbum *habet* 207
ſubaudiendum eſſe cenſeam, quod Daviſii iudicium erat. Lectio autem codicis poteſt adſtrui ex Acad. lib. II. c. 5. *Sed neque Saturnius - - ſimile quicquam habuit veterum illorum.* de Divin. lib. II. c. 30. *quid ſimile habet paſſer annis?* Fam. lib. IX. ep. 21. *Quid enim ſimile habet epiſtola aut iudicio aut concioni?* vide quoque Sen. epiſt. 8. 9. 80. et alibi. Haec cum pro codicis illius lectione militare videantur, non tamen vulgatam deſerendam puto. Verum in eo diſſentio ab editore doctiſſimo, ut verbo ſubſtantivo *eſt*, non autem τῷ *habet* ſupplendum eſſe arbitrer ellipſin iſtam. Quamvis enim nonnullis in locis commodiſſime ſubaudiatur verbum *habendi*, ea tamen loci huius ratio atque natura eſt, ut multo ſimplicius illius ſupplementum futurum ſit, ſi verbum *eſt*, cuius ellipſis paſſim occurrit, in hoc loco ab auctore ſuppreſſum intelligamus. [128]) Illud additur infra cap. 38. *Non animadvertunt, inquit, omnia Di, ne reges quidem. Quid ſimile eſt? Reges enim* etc. eodemque modo dicitur, *Quid eſt magnum?* Acad. I. c. 2. *Quid eſt mirandum?* Sen. epiſt. 95 et plura talia. Omittitur autem idem verbum ad Fam. lib. VII. ep. 23. *Bacchas iſtas cum Muſis Metelli comparas. Quid ſimile? primum* etc.

Cap. VI. *Quaeque in domo pulchra cum pulchritudine mundi comparabas, et cum totius mundi convenientiam conſenſumque adferebas, Zenoniſque breves*

128) Hoc verum et optimum videtur. Et approbavit Heindorſius, quem vide.

*et acutulas concluſiones; in eam partem ſermonis, quam modo dixi, differemus.* Delenda videtur copula *et*, quam inieciſſe videtur imprudentia librarii, exſpectantis iterum ablativum poſt voculam *cum*, tamquam ea hoc in loco non coniunctio, ſed praepoſitio eſſet. Iam video locum, vitii ſatis ſuperque manifeſtum, hoc modo emendaſſe Walkerum, ut legeret, *et quam totius*
208 *mundi convenientiam* etc. quam tamen correctionem cur meae anteponerem, nondum video. [129] Sequitur, -- *omniaque quae a te nudius tertius dicta ſunt, cum docere velles Deos eſſe, quare et mundus univerſus, et ſol, et luna, et ſtellae ſenſum ac mentem haberent; in idem tempus reſervabo.* Verba iſta duo *Deos eſſe* pro ſuppoſititiis habenda, cenſebat erud. Daviſius, quod ſenſum non minus quam ſyntaxin turbare ipſi viderentur. Habet omnino conſtructio quiddam duriuſculum, ſed tamen haud ſcio an illud tanti ſit, ut aures linguae Latinae idiotiſmis, ſtyloque Ciceroniano adſuetas offendere debeat. Quid enim? ſi verba, *cum docere velles Deos eſſe, quare* etc. hoc modo explanemus, ut ſi haec dixiſſet Cicero, *eum velles probare eſſe Deos, ac proinde diceres mundum univerſum* etc. *ſenſum mentemque habere;* ſenſus quidem hic non erit turbidus; neque conſtructio tam impedita, ut non ſimilibus exemplis, quae intacta ab intt. dimiſſa ſunt, adferi atque illuſtrari poſſit. Docuerat nempe Balbus, eſſe Deos; idque ut elucidaret, ſolem, lunam, et talia plura, quorumcunque vim inſignem et illuſtrem faciem videremus, Deos eſſe contenderat. ut conſtat ex l. II. c. 17. extr. Atque

129) Fallitur uterque. Mutatur forma orationis, et *quum* dicitur pro *quam convenientiam.* Sic Graeci ὅτι pro pronomine relativo ponunt. De quo uſu agit Wopkenſius p. 303. Nec diſplicet ipſa orationis mutatio.

hoc ipfum vulgata lectione diferte exprimitur, fi quid ego video.[130] *Quare -- haberent*, hoc eft, *ob eamque caufam -- habere*; quae iftiusmodi fere eft conftruendi ratio, qua ufus eft nofter cum alibi paffim, tum quoque fupra lib. I. cap. 38. *Hoc idem fieri in Deo, cuius crebra facie pellantur animi, ex quo effe beati intelligantur.* i. e. eiusque c. f. pelli animos, atque ex eo beatos effe intelligi. Acad. lib. I. c. 8. *e quibus -- effectum effe mundum; extra quem nulla pars materiae fit.* et cap. 12. *et fi ita erat comprehenfum --, fcientiam; fin aliter, infcientiam nominabat: ex qua exifteret* (h. e. exiftere dicebat) *etiam opinio, quae effet imbecilla, et cum falfo incognitoque communis.* lib. II. c. 31. *quare ita placere, tale vifum nullum effe*, i. e. ideoque ita placere. ad Fam. lib. V. ep. 16. *ut ea non dicam, quae faepiffime et legi et audivi, nihil mali effe in morte; in qua fi fenfus refideat, immortalitas illa potius, quam mors ducenda fit; fin fit amiffus, nulla videri miferia debeat, quae non fentiatur*, etc. quod idem fic etiam exprimi potuit -- *atque in ea fi fenfus refideat, immortalitatem illam potius, quam mortem ducendam effe; fin fit amiffus, nullam videri miferiam debere, quae non fentiatur.* de Fin. lib. IV. c. 7. *Ad hanc rem aiunt artes quoque requifitas, quae naturam adiuvarent: in quibus ea numeretur inprimis, quae* etc. id eft, *in iisque numerari inprimis* etc. ubi Lambinus, abfque caufa fontica, legebat *numeratur*. Curtius lib. VI. c. 11, 33. *Feftinaffe ergo fe, dum praemium haberet in manibus, repraefentare confilium; cuius patrem fuiffe auctorem nifi crederent, tormenta*

209

130) Viderunt interpretes cohaerere verba: *quae a te dicta funt, quare et mundus et fol mentem haberent.*

*quamquam tolerare non posset, tamen non recusaret,* Schefferus volebat *recusare;* sed subiunctivus non videtur sollicitandus, quamvis etiam J. F. Gronovius Obs. lib. II. c. 14. eodem plane modo ex subiunctivo fecerit infinitivum, in his Livii lib. XXIII. c. 44. *Multos annos iam inter Romanos Nolanumque populum amicitiam esse, cuius neutros ad eam diem poeniteret,* ubi vir insignis scriptis illis parendum putabat, qui dant *poenitere;* quod tamen necesse non esse, declarant exempla, quae iam nunc attulimus, quae usum infinitivi ac subiunctivi in huiusmodi orationis casibus promiscuum fuisse satis dilucide, siquid mihi cernere liceat, evincunt.[131]) Addamus Corn. Nepot. Epam. cap. 7. *Cum eum*
210 *cives praeficere exercitui noluissent, duxque esset electus belli imperitus, cuius* (id est, *ac illius*) *errore eo esset deducta illa multitudo militum, ut* etc., *desiderari coepta est Epaminondae diligentia.* Lactantius lib. II. c. 1, 4. - - *cuius vim conditionemque non aliter posse contineri.* Neque ab hacce forma alieni fuerunt Graeci. Xenoph. Mem. lib. I. p. 709. - - *ὧν οὐδὲν δῆλον εἶναι τοῖς ἀνθρώποις.* Aelian. V. Hist. lib. XII. c. 35. - - *ὧν εἶναι δὲ τὴν Κυμαΐαν.* Diod. Sic. lib. I. c. 27. - - *ἀφ' ἧς τὴν χώραν Ἑσπερῖτιν ὀνομασθῆναι.* Diog. Laert. Prooem. 1. - - *ὃν ἄρξαι φιλοσοφίας, ἧς τοὺς προεστῶτας ἱερέας εἶναι καὶ προφήτας.* et lib. II, 11. *ὃν καὶ πρῶτον σπουδάσαι τοῦ ποιητοῦ περὶ τὴν φυσικὴν πραγματείαν.* vertitur - - *quem in iis etiam, quae ad naturae historiam pertinent, constat Poetae fuisse inprimis studiosum.* melius forte sic redderetur: *quem etiam primum ad poetae historiam naturalem*

**131) Vide Drakenborchium contra Wopkensium docte disputantem.**

*ſtudium ſuum adieciſſe:* ut *περὶ* non cum genitivo antecedente, ſed cum accuſativo conſtruatur. [132])

Cap. IX, 22. *Iſtum enim locum totum illa vetus Zenonis brevis - - concluſio dilatavit.* Verbum poſtremum mendoſum viſum fuit doctis, qui *coarctavit, declaravit, dilucidavit*, aut tale quid reponendum iudicarunt. Ego illud *dilatavit* hunc in modum interpretor: *ſic expreſſit, ut dilatationis ſatis amplae vicem praeſtiterit.* Concluſio Zenonis loci illius, de quo hic loquitur Cotta, partes omnes ſic continebat, ut totum illum locum quaſi patefaceret ac panderet. [133]) Sequitur: *Nihil igitur adfert pater iſte Stoicorum, quare mundum ratione uti putemus, nec cur animantem quidem eſſe.* Malunt duumviri cll. *ne cur animantem quidem eſſe.* Quibus ego vix poſſum facere ut adſtipuler, quoniam una lectio non minus commoda eſt, quam altera. De vi et uſu *τοῦ nec quidem* lege Turſellinum. [134]) In fine

132) Sed ne hoc quidem fieri poteſt ob ordinem verborum perverſum. Suſpicor ante τοῦ ποιητοῦ excidiſſe aliquid, ſive participium, ſive praepoſitionem ἐκ. Senſus eſſe debet: qui dicitur etiam primum ſequutus Homerum operam dediſſe naturali ſcientiae.

133) Bene comparat Heindorfius locum 2, 7, 20. ubi Balbus loquitur de iis, quae ab aliis dilatentur, a Zenone anguguſtius concludantur: unde colligit Cottam ironice dicere, Zenonem non eſſe brevi iſta concluſione id, quod vellet, aſſequutum. Sed non omnem loci difficultatem removit. Quid enim eſt illud, quod legitur, *locum totum?* quo modo omitti poterat particula, quae ironiae inſerviret? Atque hoc quidem compenſatur collocatione vocabulorum *concluſio dilatavit. Dilatavit* autem dixit de re, quae adſtricta eſſe debebat, diſſoluta, nullis terminis circumſcripta.

134) Agendum hic eſſet de uſu verborum *nec — quidem*, quem Lambinus omnino improbavit. Atque ii, qui Erneſtium et Wolfium audiverunt, in omnibus locis repo-

211 capitis ista leguntur: *Sed non omnia, Balbe, quae cursus certos et constantes habent, ea Deo potius tribuenda sunt, quam naturae.* Editiones vetustiores dabant - - *habent vel servant*, cum Camerarius illud *vel servant* ab libris Venetis abesse videns, ex alicuius dubitatione in textum irrepsisse indicabat. Testatur tamen Davisius in suis omnibus exhiberi, quamvis ne sic quidem non in eandem cum Camerario pedibus eat sententiam. Quae quidem sententia illustrari potest exemplis, quae Steph. Baluzius suggessit ad ista Salviani de Gub. Dei lib. VI. p. 117. *Cumque etiam pupillis, prodigis vel prodigiosis soleat subvenire paupertas.* ubi illud *vel prodigiosis* non immerito malae manui acceptum referebat ille vir doctus. Quid vero? si coniunctionem discretivam *vel*, in copulativam *que* vel *ac* mutemus; [135]) an erit in loco Tullii quidquam, quod merito reprehendas? Certe *servare cursum certum et constantem* amplius aliquid dicit, quam *habere*. Et licet idem satis expresse dici solo *habendi* verbo queat, est tamen istiusmodi pleonasmus Tullio, aliisque auctoribus probatissimis admodum familiaris, ut iam antea probavimus ad lib. I. c. 43. Atque eodem modo coniunctiones *aut*, *ac* et *atque* a librariis permisceri solere, testis est clar. Cortius ad Sallust. Iug. 82. Idem forsitan statuendum de loco Minucii Fel. Octav. cap. 20. - - *non*

nunt *ne quidem*. Sed longa est haec disputatio, quam non brevitate impeditus in Tursellini volumine secundo dabo. Hic sufficit monere, illud, quod omnes libri praebent, *nec quidem*, non posse mutari.

135) Hoc necessarium esset. Sed absunt ista verba a plurimis et optimis codicibus. In *vel* haud dubie conspicitur compendium *l'*, quo librarii diversam lectionem indicare solebant. Atque haec est vox illa *servant*.

*nos debet antiquitas imperitorum, fabellis ſuis delectata vel capta, ad errorem mutui rapere conſenſus.* legendum fortaſſe *delectata et capta:* ut Caecina ad Cic. Fam. VI. ep. 7, extr. coniunxit *gaudere* et *capi. Tu,* inquit, *pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Caeſar tenes.* Cl. tamen Daviſius τὸ *delectata vel*, eliminari ideo volebat, quod hic de fabularum ſuavitate agendi non eſſet locus. Scilicet haud 212
reputabat vir ille, Latinarum quamvis elegantiarum pulchre callens, *fabulis* per ſe minus gratis aut iucundis, *delectari* tamen eum eleganter dici, cui talia libenter audire ſit, ut loquitur Minucius, quique ea credulis auribus arripiat. Cic. de Divin. lib. II. c. 55. *Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quae delectationis habeant quantum voles, - - auctoritatem quidem nullam debemus nec fidem commentitiis rebus adiungere. Quae delectationis* etc h. e. quibus quantumcunque moveantur homines improvidi. Sic quoque de Nat. Deor. III, 24. Salvian. de G. D. lib. I. init. *etiam paganorum forſitan electorum atque ſapientium teſtimoniis delectantur:* i. e. capiuntur ac permoventur. Lactant. lib. I. 7, 7. *Nihil eſt, in quo nobis faciant invidiam, qui unum Deum dicamus, multos negemus. Si eos multitudo delectat*, etc. i. e. ſi illi ad multos ſtatuendos propenſi ſunt. [136])

136) Wopkenſius in Miſcell. Obſervat. Tom. X. p. 36. iterum illuſtravit hunc locum, ſed bene animadvertens, ſynonyma ſaepe per *vel* coniungi.

---

## CAPUT XV.

*Vulgata lectio Ciceronis in III. de N. Deor. quinquies defenditur.* Quidem *pro* etiam. *Ut in protasi quandoque omittitur. Cicero obiter bis vindicatur. Relativi sine copula repetitio. Tria Ciceronis loca in transitu adferuntur. Novatianus tentatur. Enallage verbi simplicis* fugere, *et compositi* refugere. *Cicero bis defenditur. Casuum ad prius orationis membrum accommodatio, notabilis. Cicero ter vindicatur. Florus quoque, Iustinus ac Paterculus vindicantur.*

Apud Tullium lib. III. de Nat. Deorum, cap. 10, 24. sic loquitur Cotta: *Vide, quaeso, si omnis motus,*
213 *omniaque, quae certis temporibus ordinem suum conservant, divina dicimus; ne tertianas quidem febres et quartanas divinas esse dicendum sit.* Lambinus reponebat *ne tertianas quoque febres*, Muretus *ne tertianas item febres;* et loci sensum hanc vel illam emendationem flagitare, iudicabat editor clarissimus. Sed *quidem* pro *etiam* saepissime in orationis intensione adhiberi, quis est qui nesciat? Sic supra cap. 9. *Isto modo etiam disertus et quidem mathematicus erit mundus.* sic millies alibi, ut docetur in Tursell. libello de particulis.[137]) Quamobrem omnino recte factum, quod non an-

137) Omnes critici reliqui aut eiiciunt *quidem*, aut mutant in *quoque*, eo, ut videtur, falsi, quod *ne quidem* non aliter verti posse putabant quam *nicht einmal.* Ut recte se habent de Divin. 1, 9, 16. *nec hoc quidem quaero.* Acad. 2, 26, 82. *nec maiorem quidem multo putabat esse.* ita etiam praemisso *ne*, nomini alicui addi potest *quidem*, cuius vis intensiva non attineat ad coniunctionem. Quare non dubito, quin restitui debeat in loco de Fin. 1, 20. Neque vero in illis verbis *tertianas quidem febres* offensionem habet ordo verborum, in quibus particula *quidem* nomini

ditus fuerit Lambinus, cum *quidem* tolleret ex his, de Fin. lib. I. c. 20. - - *eſſe qnoddam foedus ſapientum, ut ne minus quidem amicos, quam ſe ipſos diligant.*

Ibidem 10, 26: *Et ſi domus pulchra ſit, intelligamus eam dominis, inquit, aedificatum; non muribus: ſic igitur - - exiſtimare debemus.* Ampl. Boherius legebat *Ut*, *ſi* etc. ut haberet coniunctio *ſic*, ad quod commodius referretur. Eodem modo doct. Daviſius, qui hic quidem conticuit, *Ut* pro *Et* legebat in his cap. 31. *Et - - prorſus, ſiqui audierunt, vitioſi eſſent diſceſſuri, - - tacere praeſtaret philoſophis, quam iis, qui ſe audiſſent, nocere: ſic ſi homines, rationem* etc. Et celeb. Bentleius *Ut enim* ſubſtituebat Tuſc. lib. IV. c. 13. *Eſt enim corporis temperatio, cum ea congruunt inter ſe, e quibus conſtamus, ſanitas: ſic animi dicitur, cnm eius iudicia opinionesque concordant.* [138]) His locis quidquid inſit vitii, id omne in prava tantummodo diſtinctione poſitum videtur; quae ita eſt, ut ego exiſtimo, conſtituenda, ut coniunctionem *ſic* τελείῃ ὑποστιγμῇ ab antecedentibus ſeparemus; quo fiet, ut coniunctio iſta haud ita neceſſario ante ſe flagitet *προτατικὸν* illud *ut*. Ita quoque de Off. lib. III. c. 10. 214
*Scite Chryſippus, ut multa: Qui ſtadium, inquit, cnrrit, eniti et contendere debet..ut vincat: ſupplantare - - nullo modo decet. ſic in vita ſibi quemque petere,*

febrium addi debere videatur. Praemiſſo adiectivo, *quidem* etiam ſubſtantivum contingit.

138) Nihil aptius et ſimilius comparari poterit, quam quod Wopkenſius affert exemplum Cic. de Offic. 3, 10, 42. Ita etiam *ſic* omittitur ſaepe, ſequente particula *ut*. Quod Heindorſius non animadvertit, quum 1, 7, 16. interpolatam ſcripturam reciperet: *qui ſic honeſta commiſcerent cum commodis, ut* etc.

*quod* etc. ſupra lib. I. cap. 27. *Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa: corpus illud non eſt, ſed ſimile corporis - -: ſic in Epicureo Deo non res, ſed ſimilitudines rerum eſſe.* Sexcenta licet eiusmodi proferri.

Cap. XII, 30. *Ut enim, ſi omnis cera commutabilis eſſet, nihil eſſet cereum, quod commutari non poſſet: ſimiliter igitur ſi omnia, quae ſunt, e quibus cuncta conſtant, mutabilia ſunt; nullum corpus eſſe poteſt non mutabile.* Coniunctionem copulativam, quam in his requirunt critici, qui legunt *eque quibus*, vel *et e quibus*, paſſim in tali, quam hic videmus, relativi geminatione omittit Cicero. [139]) Sic ſupra cap. 7. *unus is modus eſt, de quo ſatis dixi, qui eſt ſuſceptus ex praeſenſione rerum futurarum.* cap. 9. *ne ſtellae quidem, quas tu innumerabiles in Deorum numero reponebas, quarum te curſus aequabiles aeternique delectabant.*

139) Wopkenſius in hac pagina operam perdidiſſe viſus eſt Heindorſio. Nos ei gratiam habeamus; quod haec exempla curioſe collegit, quae facile nunc ad ſua genera diverſa referri poſſunt. Nam in plurimis altera enuntiatio adhaeret per parentheſin, in aliis altera enuntiatio relativa ex altera pendet. In Cic. loco, de quo hic dicendum eſt, neque omitti poterat copula, neque etiam poni, niſi verba *quae ſunt* languide abundarent. At haud dubie errarunt omnes interpretes, quum coniungerent *omnia quae ſunt*, *πάντα τὰ ὄντα*, nec reſpicerent ad ea, quae ſequuntur, *mutabilia autem illa*, ex quibus *omnia conſtant.* Nam dicuntur *omnia, quae* ea *ſunt, e quibus cuncta conſtant:* quae quum mutabilia ſint, poſtea etiam hoc nomine appellantur. Ne tamen illa verba *quae ſunt* ſuperflua videantur. Cicero definire vult *materiam in ſe omnia recipientem* (Acad. 2, 37.), *ex qua omnia expreſſa et effecta ſint, quae tota omnia accipere poſſit omnibusque modis mutari.* (Acad. 1, 7.) Sic de Nat. d. 3, 39, 92. *materiam rerum, ex qua et in qua omnia ſint, totam eſſe flexibilem et commutabilem.*

infra cap. 17. *capedunculis, quas Numa nobis reliquit, de quibus . . dicit Laelius. cap. 24. . . Pallantis, quae patrem dicitur interemiſſe . . , cui pinnarum talaria affingunt.* lib. I. c. 36. *Tu quod opus tandem magnum et egregium habes, quod effectum divina mente videatur, ex quo eſſe Deos ſuſpicere?* de Divinat. lib. I. c. 15. *Nam quid ego - - Deiotarum regem commemorem? qui nihil umquam niſi auſpicio gerit; qui, quum* etc. lib. II. cap. 44. *Quum enim illi orbes, qui coelum quaſi medium dividunt, et adſpectum noſtrum definiunt, qui a Graecis ὁρίζοντες nominantur* etc. de Legibus lib. I. c. 20. *quippe cum antiqui omnes, quod ſecundum naturam eſſet, quo iuvaremur in vita, bonum eſſe decreverint.* Acad. lib. I. c. 8. *materiam quandam, ex* 215
*qua omnia expreſſa atque effecta ſint; quae tota omnia accipere poſſit* etc. vide quoque lib. II. c. 13. Tuſc. lib. II. c. 12. et lib. V. c. 25. Lactant. lib. VIII. c. 11. Sen. epiſt. 82. p. 247. et alibi. Atque hinc etiam lucem capiunt ſequentia iſta loca. Tuſc. lib. V. c. 9. *in eo libro, quem ſcripſit de vita beata, in quo multa diſputat, quamobrem is, qui torqueatur, qui crucietur, beatus eſſe non poſſit.* ubi cel. Bentl. legebat, *quod multa diſputarit, quamobrem* etc. lib. III. cap. 11. *altera cupiditas, quae recte vel libido dici poteſt, quae eſt immoderata adpetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans.* [140]) ubi cl. Daviſius ex depravata quadam codicum lectione ſic malebat, *altera, quae eſt immoderata adpetitio opinati magni boni, rationi non ob-*

140) Libri mirifice variant, et aperta interpolatione laborant: quos vide apud Orellium. Equidem vulgarem ſcripturam, quae in bonis codicibus legitur, a Wopkenſio probatam, non reprehenderim: nam verba *quae recte vel libido dici poteſt,* parentheſi includuntur.

*temperans, vel cupiditas recte vel libido dici poteſt.* Acad. lib. II. c. 26. *Sed ab hoc credulo, qui numquam ſenſus mentiri putat, diſcedamus: qui ne nunc quidem, cum ille ſol, qui* etc. idem vir erud. emendabat, *Quid? ne nunc quidem?* [141]) Novatianus de Reg. Fidei cap. 28. *pro perfectis dicit, quae futura habet, quae ſine dubitatione ventura ſunt.* nuperus editor doctiſſimus volebat, *et quae ſine d. v. ſ.* poſſes non minore ratione coniicere, *quia ſine d. v. ſ.* ut paulo ante: *Saepe enim ſcriptura divina quae nondum facta ſunt, pro factis adnuntiat, quia ſic futura ſunt.*

Cap. XIII, 33... *et fugit a quibusdam: quod autem refugit, id contra naturam eſt.* Lambini elegantia prorſus inanis eſt, qui periodos hoc modo adaequandas putabat, *et refugit a quibusdam: a quo autem refugit:* quemadmodum etiam Tuſc. lib. I. c. 23. *nec ipſum ab alio renaſcetur, nec ex ſe aliud creabit:* legebat *recreabit.* Recte vero Daviſius, qui utrique huic παραδιορθώσει adſenſum negavit; iſtiusmodi enim varia-
216 tionibus maxime delectabantur veteres. [142]) ſupra c. 12.

141) Semper in hoc loco miratus ſum criticae artis fallaciam. Erant enim, qui in verbis *qui nunc quidem* ſenſus intelligerent: alii explicabant: qui mentiri ſenſus putat. Utrumque quomodo fieri poſſet, nemo demonſtravit. Scilicet illi ironiam per ellipſin expreſſam exiſtimant, hi vero Epicurum introducunt vivum. Scripſiſſe videtur Cicero: *ſed ab hoc credulo, qui numquam ſenſus mentiri putat, diſcedamus ne nunc quidem, quum ille ſol — nobis ſtare videatur?* In proximis ſcribendum eſſe ſuſpicor ita: *ſed, ut minuam controverſiam, videte quam in parvulis ſit lis.* Vulgo *in parvulis ſitis.*

142) Haec exempla colligere vix operae pretium erat. Potius argumentum offertur in commutata ratione verborum *quod refugit*: ubi neſcio, cur Lambini emendatio tantopere placuerit Heindorfio. Pro Caecin. 8, 22. *ceterorum-*

*Ut enim, si omnis cera commutabilis esset, nihil esset cereum quod commutari non posset . . similiter igitur, si omnia . . mutabilia sunt* etc. cur non, uti supra, *commutabilia sunt?* atque hoc ipso cap. 13. *Si igitur voluptatis sensum capit, doloris etiam capit: quod autem dolorem accipit: id accipiat etiam interitum necesse est.* Acad. lib. II. c. 33. *quos quoniam appetitio consequatur, actionem sequi.* de Fin. lib. V. c. 25. *atque ut reliqui fures earum rerum, quas ceperunt, signa commutant: sic illi - - nomina - - mutaverunt.* Lactant. de Ira Dei cap. 12, 6. *ut quia docuimus a Deō factum esse mundum, doceamus quare sit effectus.* Caesar B. Gal. lib. I. cap. 13. *quum id quod ipsi diebus XX. aegerrime confecerant, illum uno die fecisse intelligerent.* Graece quoque hoc modo Synesius epist. 50. *τοὺς δὲ, καὶ μὴ πλάσαντας, ὅτι συνέπλασαν ἄν: illos autem* (aversandos puto), *quod licet non finxerint, finxissent tamen.* et epist. 52. *καὶ μέγα οὐδὲν ἐφ' ἑκάστης ἡμέρας ἀνύειν ἐλπίσαντες, ἐλάθομεν ἐξηνυκότες ὅσον ἔδει: et non multum unoquoque die itineris conficere rati, non sensimus nos itineris confecisse quantum oporteret.* Polyaenus Strat. lib. II, 3, 8. *παρεσκεύαζεν ἄνδρα - - ἀγγέλλοντα· ὁ Τροφώνιός μοι προσέταξεν ἀπαγγεῖλαι Θηβαίοις.* Xenoph. Cyropaed. lib. I. p. 7. [2, 15] *Οἳ δ' ἂν παιδευθῶσι παρὰ τοῖς δημοσίοις διδασκάλοις, ἔξεστιν αὐτοῖς ἐν τοῖς ἐφήβοις νεανισκεύεσθαι· τοῖς δὲ μὴ διαπαιδευθεῖσιν οὕτως οὐκ ἔξεστιν.* et lib. III. p. 63. [1, 5] *Εἰπέ μοι, ἔφη, ὦ Ἀρμένιε, πότερα βούλει αὐτοῦ μένων τῷ λιμῷ καὶ τῇ δίψῃ μάχεσθαι, ἢ εἰς τὸ ἰσόπεδον καταβὰς ἡμῖν*

*que tela atque incursus refugit.* ubi idem Lambinus correxit *effugit.*

*διαμάχεσθαι;* His quoque ſatis ſe vindicare videtur iſta lectio, de Legibus lib. I. cap. 13. *rebus non commutatis, immutaverunt vocabula.* ubi editor cl. codices ſe-
217 quendos iſtos putabat, qui referunt - - *commutaverunt vocabula.*

Cap. XIV, 35. *Qui quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus.* Tentant, *Quem, quoniam q. d. i. n., omittamus:* vel, *Qui, quoniam q. d. i. n., omittatur.* At vulgata lectio ſatis probata eſt, Tullioque digna. Primum enim poſt *omittamus*, ſubaudiendum *eum,* de qua ellipſi fuſius iam egimus ad lib. II. cap. 48. Deinde pronomen relativum *qui,* conſtructum cum verbo *noluit,* eandem plané formam refert, quae in ſequentibus his locis obtinet. [145]) pro Muraena cap. 12. *Praetor interea ne pulchrum ſe ac beatum putaret .., ei quoque carmen compoſitum eſt.* dici idem hoc modo potuit: *Interea praetori quoque, ne pulchrum ſe* etc. *carmen compoſitum eſt;* ſed iam nominativus ille *praetor* referendus ad verbum illud *putaret.* Perperam ſe comma ingeſſit poſt *interea*, qua depravatione deceptus Sanctius Min. lib. IV. c. 11. anacoluthon in his ſibi cernere viſus eſt, quod nullum quidem ineſſe ego mihi perſuaſerim. Pergamus ad alia exempla, quo planius et apertius fiat id quod volumus. Tuſc. lib. I. c. 34. *etiamne nobis expedit, qui -- ſi ante occidiſſemus, mors nos a malis - - abſtraxiſſet.* cur non potius, *quos, ſi* etc.

145) Nimirum nomen, quod in primaria enuntiationis parte ponendum eſt, in ſecundaria locum obtinet, ſive in illa pronomen demonſtrativum addatur, ſive omittatur. Vulgaris lectio apud Ciceronem integerrima eſt. *Omittere* abſolute dicitur. Cic. in Piſon. 22, 51. *ſed quoniam fortunarum contentionem facere coepimus, de reditu Gabinii omittamus.*

*mors a malis - - abstraxiſſet?* et cap. 43. *cui cum Lyſimachus rex crucem minaretur, iſtis, quaeſo, inquit,* etc. quod idem ſic forte quispiam efferre malit: *qui, cum ei Lyſimachus* etc. Seneca epiſt. 98. *Qui licet prudens ſit, - - non contigit illi bonum integrum.* pro, *Cui, licet p. ſ., non contigit bonum integrum.* Lactant. lib. II. cap. 5, 13. *quarum quia liberae ſunt voluptates, huc atque illuc vagantur ut libuit.* pro: *quae, quia earum liberae* etc. Salluſt. Cat. cap. 52, 34. *quibus ſiquid umquam penſi fuiſſet, non ea conſilia de repub. habuiſſeet.* et cap. 11, 2. *huic quia bonae artes* 218
*deſunt, dolis atque fallaciis contendit.* ubi vide doct. Cortium. Cicero Tuſc. lib. I. c. 42. *mors ſi eſſet miſera, finis eſſe nullus poteſt.* Lambin. et Bentl. reponunt, *morti, ſi* etc. ſed coniectura mihi quidem parum probabili; [144]) quemadmodum ſincera quoque videntur omnia, in locis ſequentibus. Florus lib. II. c. 18, 14. *ab duce orantes proelium, ut tanquam viros occideret, ubi non impetrabant, placuit eruptio.* i. e. *ubi orantes ... non impetrabant, placuit* iis *eruptio.* ubi Salmaſius emendabat, *ab duce orant proelium.* [145]) Iuſtinus lib. IX. cap. 8. *Hic ubi exarſiſſet, nec dilatio ultionis nec modus erat.* ubi Graevius amplectebatur Iuntarum lectionem, *Huic, ubi* etc. [146]) Vell. Paterculus lib. II. cap. 115.

144) Cicero ſcripſit acute et eleganter, ut codices confirmant: *nam vitae miſerae mors finis eſſe videtur: mors ſi eſt miſera, finis eſſe nullus poteſt.* Intellige *miſerae vitae*, quae pro miſeria dicitur. Quod adiecerunt critici *miſeriae*, commode omittitur.

145) Ne iniuriam faciamus ſummo viro, notandum eſt, eum in libro ſcripto inveniſſe *orante — et ubi.* Quibus veſtigiis inſiſtens illam propoſuit emendationem haud malam.

146) Omnino audiendus eſt Wopkenſius. Sed plurimi critici laborant magis in verbis diſtrahendis, quam in tuenda

*et ob ea, quae ſi propriis geſſiſſet auſpiciis, triumphare debuerat, ornamentis triumphalibus - - donatus eſt.* quem locum alii alio modo emendant, cum tamen eadem illius cum his, quae iam enumeramus, natura videatur. [147]) Cicero Off. lib. I. cap. 17. *Magna etiam illa communitas eſt, quae conficitur ex beneficiis ultro citro datis acceptis: quae et mutua et grata dum ſunt, inter quos ea ſunt, firma devinciuntur ſocietate.* ubi Perizonius, applaudente Graevio, tentabat, *quae, et mutua* etc. *firma devinciunt ſocietate.* Tuſc. lib. III. c. 27. *Quid? ipſa remiſſio luctus cum eſt conſecuta, intellectumque eſt, nihil profici moerendo; nonne res declarat, totum illud voluntarium?* ubi Bentl. legebat, *Quid? ipſa remiſſio luctus, cum eſt conſecuta, ... nonne re declarat* etc.? Huic etiam confer, quae iam antea de hacce anaſtropha diſputavimus ad iſta lib. II. c. 4. *Ne aegri quidem quia non omnes convaleſcunt, idcirco ars nulla medicina eſt.*

virtute orationis primaria, quae in unitate et complexu dictionis cernitur.

147) Vide Wopkenſium in Miſcell. Obſervat. Tom. 8. p. 75. et in Miſc. Obſerv. Nov. Tom. 10. p. 18. Ruhnkenius coniecit: *et ob quae, ſi propriis res geſſiſſet auſpiciis triumphare debuerat.* Equidem aſſentior defenſori. Interpoſita enuntiatione conditionali, mutatur oratio, neque opus eſt intelligamus *ob quae triumphare debuerat.* Senſus enim ita explanandus eſt: ornamentis triumphalibus donatus eſt ob ea, quae non propriis auſpiciis geſſit, ſed ſi ea propriis geſſiſſet auſpiciis, triumphare debuerat. In Graecis talia nullam habent offenſionem.

## CAPUT XVI. 219

*In Ciceronis III. de N. D. quaedam loca iuxta lectionem editam ſtabiliuntur. Enallage graduum. Ellipſis vocis* Deae, *cum praeceſſit* τὸ Dii. In Deorum numero reponere. *Enallage orationis abſolutae et obliquae.* Intelligere *et* cognoſcere *neſcio quomodo diſtinguitur a Tullio.*

Cap. XVI. libri Cic. tertii de N. Deor. 42. *plures enim tradunt nobis ii, qui interiores ſcrutantur et reconditas literas.* Obſerva graduum mutationem, Tullio haud inauditam. de Fin. lib. V. c. 5. *Huius Lyco eſt oratione locuples, rebus ipſis ieiunior.* Fam. lib. XI. ep. 21. *Siquid erit occultius, et (ut ſcribis) reconditum, meorum* etc. Tuſc. lib. IV. c. 31. *atque ut in malis opinatis, tolerabilia: ſic in bonis ſedatiora ſunt efficienda, quae magna et laetabilia dicuntur.* ubi non auſim cum Bentl. facere, ut *tolerabiliora* reponam. de N. Deor. lib. II. c. 6. - - *mentem, et eam quidem acriorem et divinam.* lib. I. c. 21. *de re obſcura atque difficillima.* ubi vide clar. Daviſium, uti et ad iſta Acad. lib. II. c. 41. *haec noſtra, ut exigua et minima contemnimus.* [148])

148) Cic. Acad. 2, 29, 94. *etiam a certis et illuſtrioribus cohibes aſſenſum.* Lambinus, Schützius cum Goerenzio correxerunt *illuſtribus*, idque adeo recepit Orellius: temere, ut mihi quidem videtur. Goerenzius enim paullo ante p. 17. dixerat: „cauſſa comparativi in poſitivum mutati inde ſine negotio colligitur, quod ſcribae comparationis rationem non aperte additam minus aſſequuti ſunt." Atque hoc quoque loco ita iudicare licet. Intelliguntur enim certa et illuſtriora, quam quae aliorum aſſenſum facile adipiſcuntur.

Cap. XVIII, 45. *Quid? Aristaeus, - - Apollinis filius: Theseus Neptuni: reliqui, quorum patres Dî; non erunt in Deorum numero. Quid? quorum matres? opinor etiam magis.* Cl. Davisius ex mss. regio et Cantab. adiicit vocem *Deae*, post *matres*. Sed cum codices illi vulgatam lectionem passim sine causa deserant, suspecta mihi est ista variatio, quamvis orationem, si verum fateri velimus, exhibeat leniorem. [149]) Ista forsitan
220 cuiuspiam religio fuit, ut in Tullio non ferret ellipsin istiusmodi, quae non, nisi aliqua cum difficultate, ex antecedentibus suppleri posset. Sed an est lenior illa vocis *Deam* omissio in his infra cap. 20. *Solem Deum esse, Lunamque, quorum alterum* etc. et rursus ibidem: *Tum si est Ceres a gerendo (ita enim dicebas) terra ipsa Dea est, et ita habetur: quae est enim alia Tellus? sin terra, mare etiam, quem Neptunum esse dicebas: ergo et flumina et fontes*, scil. Dî sunt. Atque ita *patrum* nomine matres, *filiorum* filias, *fratrum* sorores contineri, bene probavit dilig. Munkerus ad Hygin. Fab. 159. Neque ellipsis multum durior videtur, quam illa, de Fin. lib. V. cap. 23. *et quae - - stuprum voluntaria morte lueret, inventa est, et qui interficeret filiam, ne stupraretur*, scil. inventus est. Quid vero? si Latini vocabulo *Deus* etiam *Deas* comprehenderint, quemaddum Graecos nonnunquam θεὸς pro θεὰ dixisse pulchre docuit erud. Iensius Lect. Luc. lib. II. c. 20.

Cap. XIX, 47. *Boves igitur et equos* etc. *in Deorum numero reponemus.* Audiamus in h. l. Davisium.

149) Nomen *deae*, quod Heindorfius et Schützius necessarium existimarunt, additum videtur a glossatoribus, qui non reputaverint, Romanos pariter ac Graecos in nomine deorum non genus, sed numinis notionem tenuisse.

„Reg. inquit, Med. Afcenf. Victor. et Bonon. 1494. *in*
„*Deorum numerum reponemus*, ac ita fcripfit Cicero.
„De huiusmodi loquutionibus multa multi. vide G. I.
„Voffium de Conftr. cap. 65. et Th. Munkerum ad Hy-
„gini Fab. 41. Hactenus vir doctus. Videntur autem
plane *ἀσύστατα* haec, et quae ille commentatus eft ad
ifta lib. I. cap. 12. *imagines earumque circuitus in Deo-*
*rum numero refert.*“ Mf. reg. a fecunda manu, inquit,
„repraefentat *in Deorum numerum refert*, ac ita repo-
„nit Dio. Lambinus. Sed lectio vulgata, pergit, ma-
„num medicam non poftulat. Hyginus Fab. 177. *Poft*
„*eam Iovis in ftellarum numero retulit*, Vide, fis, etiam
„quae notavit Th. Munkerus ad Fab. 92.“ Rurfus idem
V. C. talia adnotavit ad haec eiusdem libri cap. 44. *Vos*
*autem quid mali datis, cum in imbecillitatem gratifica-* 221
*tionem et benevolentiam ponitis?* ubi cum iam Lambi-
nus *in imbecillitate* repofuerat, iftam emendationem ad-
fumens Davifius ablativum in ipfum contextum recepit,
et hancce notulam fubiecit „Vulg. *imbecillitatem.* Ego
„vero infignem Lambini emendationem lubens fum am-
„plexus: nam Gruterus de ea, quia carpere non potuit,
„ne verbum quidem fecit, et veterem lectionem, quae
„abfurda prorfus eft et barbara, retinuit.“ Haec mihi
nullo modo conciliari poffe videntur cum adnotatione
viri cl. in locum, quem iam prae manibus habemus;
nifi illa forte eo valeat, ut duas priores retractet atque
tollat. Mihi tamen hic placet ablativus *numero.* fic
enim infra cap. 20. *Cur autem Arci fpecies non in*
*Deorum numero reponatur?* fupra c. 9. *quas tu innu-*
*merabiles in Deorum numero reponebas.* lib. I. c. 31.
*aut folem, aut mundum, aut mentem aliquam fempiter-*
*nam in Deorum natura ponere.* lib. II. c. 21. *Quae*
*cum in fideribus ineffe videamus, non poffumus ea ipfa*

*non in Deorum numero reponere.* atque ita paſſim innumeris in locis, cum vix uſpiam alio modo.[150])

Eodem cap. 19, 50. *Atque in plerisque civitatibus intelligi poteſt, augendae virtutis gratia; quo libentius reipublicae cauſa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore Deorum immortalium conſecratam.* Hunc locum reſpiciens, ſic ſcribit Lactantius lib. I. cap. 15. *quod Cicero -- docet, dicens: Suſcepit* etc. *Et alio loco: Atque adeo in plerisque civitatibus intelligi poteſt, acuendae virtutis gratia, aut quo libentius reipublicae cauſa periculum adiret* etc. Cl. Daviſius primum in his verbis Lactantii eradit coniunctionem *aut;* ac deinde ex eodem loco colligit, Tullium *acuendae virtutis gratia* ſcripſiſſe, non *augendae.* Sed quoniam Lactantius paſſim ſine
222 cauſa abludit a verbis auctorum, quos laudat, uti vel illud ipſum *adeo* in hoc ipſius loco teſtatur, quod Cicero plane omiſit, qui etiam, clar. editorem ſi audire velimus, non *Atque,* ſed *Atqui* ſcriptum dedit;[151]) hinc patet, ſi tam Ciceronis quam Lactantii lectio per ſe ſit iſtiusmodi, ut proba cum Latinitate ſenſum idoneum exſerat, leviuſculam diſcrepantiam non ſatis eſſe cauſae, cur unum auctorem ex altero refingere velis. Quemadmo-

150) De conſtructione verborum *ponere* et *reponere* apud Ciceronem nunc non dubitatur. De loquutionibus *referre in codice* ſive *in rationibus, referre in codicem* ſive *in rationes* dixit Goerenzius in Lection. in Cic. Catilin. ſecund. p. 5. Lambini coniecturam in libri I, cap. 44. factam confirmarunt codices nuper collati.

151) Heindorſius haec: „nos ut aptius et ciceronianum magis revocavimus *atque.*" Vellem docuiſſet, quid illud aptius eſſet, aut quo modo *atque* magis ciceronianum vocari poſſet. Mihi quidem neceſſarium videtur *atqui,* quod eſt *at, attamen:* nos dicimus, *gleichwohl, freilich.*

dum autem participium illud *augendae* non habet, cur sollicitetur, nisi propter solam Tullii cum Lactantio discrepantiam: sic idem plane est de coniunctione *autem*, quam de suo adiecit Lactantius, sentiendum. Nam coniunctio *autem* non semper disiungit aut discernit, sed saepissime inservit talibus explanationibus, qualis hic usu venit apud Lactantium, ad amplificanda ista antecedentia *acuendae virtutis gratia;* quam vim etiam copulativum *et* praestare, iam antea vidimus. Et *augere* apud Ciceronem eleganter dicitur idem, quod ornare, remunerare, honestare;[152] qualem huius verbi significationem cum in locis bene multis, tum maxime in illo cernere licet, de clar. Orat. 12. ubi illud opponit *τῷ adfligere* his verbis: *quod iudicaret hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus adfligere.* Fusioris huius verbi illustrationis gratiam nobis fecit literatissimus Cortius ad Sallust. Iug. cap. 86.

Cap. XXI, 54. *Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur!-- Volcani item complures: primus Coelo natus, ex quo et Minerva Apollinem eum, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt.* Verba ista, *ex quo et Minerva Apollinem eum,* haud recte hic construi visa sunt editori eruditissimo, qui Ciceronem arbitrabatur scripsisse, *ex quo et Minerva Apollinum* 223
*is, cuius* etc.[153] Videndum tamen an lectio, quam repro-

152) Hoc in utroque, quod affertur, exemplo fit per adiecta nomina *gratia*, et *laudando.*

153) Plausu exceperunt hanc emendationem et Heindorfius et Schützius. At nemo insolentiam huius dictionis comprobavit exemplis, neque corruptionis viam reddidit conspicuam. Quod autem codex rehdigerianus exhibet, *ex quo Minerva Apollinem eum,* equidem integrum et per ellipsin

bavit vir ille, conſervari poſſit, ſi verbum *volunt*, *dicunt* aut tale quid ſubaudiamus, quod omiſſum eadem plane ellipſi ſit, qua noſter uſus eſt infra cap. 21. *Principio Ioves tres numerantur; ex quibus primum et ſecundum natos in Arcadia; alterum patre Aethere, ex quo etiam Proſerpinam natam ferunt et Liberum.* ſimiliter quoque de Divin. lib. I. c. 26. *Exin cuidam ruſtico Romano dormienti viſus eſt venire qui diceret, praeſulem ſibi non placuiſſe; idque ab eodem iuſſum eſſe eum ſenatui nuntiare: illum non eſſe auſum: iterum* etc. et lib. II. cap. 32. *At paullo poſt audita vox eſt monentis, ut providerent ne a Gallis Roma caperetur: ex eo Aio loquenti Aram in nova via conſecratam.* in quibus locis ſimilis ellipſis, ſimilisque orationis directae in obliquam proceſſus eſt. Et illam ἐναλλαγὴν quod attinet, qua oratio directa cum obliqua permutatur, iſta ſane Tullio tam trita fuit, quam quae tritiſſima. ſic ſupra lib. II. c. 49. - - *Grues cum l. c. p. m. t., trianguli efficere formam: eius autem ſummo angulo aer ab iis adverſus pellitur: deinde* etc. vide quoque, quae iam dixi ad lib. IV. Tuſc. c. 19.

Cap. XXIV, 61. *Quare autem in his vis Deorum inſit, tum intelligam, cum cognovero.* Per *vim Deorum* intelligit auctor, quam ex hodierna Latinitate *eſſentiam Deorum* diceres, quamvis in ſcriptis veterum vulgariſſimum ſit, non tamen ſe menti oggeſſit doctiſſi-

ſeu per euphemiſmum dictum puto pro *ex quo Minerva Apollinem genuit.* Huc ſpectant etiam verba cap. 24. *Minerva, quam Apollinis matrem ſupra diximus.* Quae Wopkenſius contulit loca, ea non quadrant. Nam non erat demonſtrandum omitti poſſe verbum *dicunt*, ſed ſimul nomen *natum.* At ellipſeos durities in hac genealogiae expoſitione nulla eſſe videtur.

mi Walkeri, qui legebat *Quae autem in his* etc. Idem porro vir nec probare ſe declarat, nec intelligere iſta, *tum intelligam, cum cognovero.* Si tamen ego reputo, millies a Tullio discriminari talia, quae plerumque ut aequipollentia permiſceat; non video, quamobrem verba *intelligere et cognoſcere* in hoc loco non ita diſtingueremus, ut *cognoſcere* ſit nunc primum diſcere ſive
mente accipere, *intelligere* autem iam perſpicere ac 224
tenere quae accepta ſint. Ita volet Cotta, ſe rem illam tum intellecturum, ſi quis eam recte doceret et probaret.

---

## CAPUT XVII.

*Ellipſis voculae* magis *vel* potius, *conſtructionis, quaedam σύγχυσις una et altera, proſopopoeia vocis* oratio, *et ellipſis verbi* facere *in Cic. III. de Nat. Deor. adſtruuntur et illuſtrantur. Quaedam loca Lactantii et Min. Felicis tentantur et defenduntur.* Homines Romani. *Xenophon vindicatur.* Dividere *de diſſectione violentia dicitur.* Alter *pro alteruter. Ellipſis duriuſcule ſupplenda ἀπὸ κοινοῦ. Infinitivus notandus. Metonymia, qua ſpiritus permutantur cum hominibus, quibus inſint, Una vox elegantor dativi et ablativi vim praeſtat. Ellipſis vocis* homines.

Cap. XXV, 64. libri tertii de Nat. Deorum, ſic ſcribit Cicero: *Itaque aliunde mihi quaerendum, ut et eſſe Deos, et quales ſint, diſcere poſſim, quam quales tu eos eſſe vis.* Locum non intellexerunt eruditiſſimi Angli, qui aut delenda iſta, *quam quales tu eos eſſe vis,* aut ad ſupplendam ſententiam quaedam deeſſe exiſtimabant. At forſitan hoc modo explicandus eſt, ut ante illa *quam quales tu eos eſſe vis,* ſubaudiatur vox *potius,* Illius voculae ellipſis eſt certe celebris et vulgaris, cuius quidem exempla multi multa collegerunt. Adi mo-

do Parei Lex. Plaut. v. Ellipsis, Vechneri Hell. lib. I. p. 80. Perizon. ad Sanct. lib. IV. c. 7. Lamb. Bos ellip. v. *μᾶλλον*; nec non ipsum Davisium ad Fin. lib. V. c. 30. ad Min. Fel. Octav. cap. 5. et ad Lactantii Epit. cap. 2. adde quoque indicem in Tacitum, v. *quam*. [154]) Quibus etiam componere licebit verba Lactantii lib. II.
225 cap. 7. *Quare oportet - - sibi quemque consulere, - - quam credentem alienis erroribus decipi.* de Opif. Dei cap. 3. init. *Queruntur, hominem nimis imbecillum et fragilem nasci, quam cetera animalia nascuntur.* i. e. supra quam cetera animalia nascuntur. [155]) Librum illum Lactantii elegantem dum memorem, duo in eo loca hic obiter tentabo. Cap. V. - - *in homine autem manus, quae non ad ambulandum, sed ad faciendum temperandumque sunt natae.* Pro *temperandumque* dant codices quidam *operandumque.* Mihi autem placeret, siqui libri haberent *TENENDUMQUE;* quod, cum characteribus minus claris expressum esset, librario videri

154) Ex multis aliis conf. Bernegger ad Iustin. 6, 1, 5. Cortius ad Sallust. Cat. 9, 5. Ruhnken. ad Vellei. Pat. 2, 129. Bremi ad Cornel. Datam. 8, 1. Passov. ad Tacit. Germ. 6. Gregor. Guil. Nitzschii Comm. de comparativis graecae linguae modis, adiecta Platonis Ioni p. 67. ubi aliorum sententiae recensentur. Rationem huius loquutionis nunc non exponam, in Tursellino de hac re dicturus: illud tamen addam, in Ciceronis verbis, ut nunc vulgo leguntur, non esse quod offendat. Nam positis verbis *aliunde mihi quaerendum est*, pergere debebat oratio, *quam ex tua doctrina*, sed interiectis istis, *ut quales dii sint, discere possim*, mutatur ratio, quam recipiunt verba *quam quales tu eos esse vis.* Hoc est verum commutatae et confusae constructionis exemplum. Conf. Tursellin. Tom. I. p. 279.

155) In his nihil desideratur, sed per *quam* comparantur iudicia, non res, et alterius iudicii praestantia occupatur verbis *oportet* et *nimis imbecillum*.

potuit per compendium ſcripturae referre illud *temperandum*, quod ſuppoſuit.[156]) Emendatio mea tollit verbum, loco minus congruum, et fundatur etiam hisce eiusdem lib. cap. 10, 24. *Quid dicam de manibus* etc.? *Illud vero ad uſum miris modis habile, quod unus* (digitus) *a ceteris ſeparatus, eum ipſa manu oritur, . . qui - - omnem TENENDI FACIENDIQUE rationem vel ſolus, vel praecipue poſſidet, tanquam rector omnium atque moderator.* Alter locus mendo conſpurcatus exſtat cap. IX, 2. . . *Itaque quoniam mens, ut ſupra dictum eſt, oculis tanquam feneſtris utitur; non tantum hoc ebriis aut inſanis accidit; ſed etiam ſanis ac ſobriis. Nam ſi aliquid nimis propius admoveas, duplex videbitur.* legendum mihi perſuadeo, *Nam ſi aliquid nimis PROPE IIS* (ſc. oculis) *admoveas.* Sed haec velut in tranſitu.

Cap. XXVII, 69. *Videturne ſumma improbitate uſus non ſine ſumma eſſe ratione?* Ordinem verborum ſic conſtituebat cl. Walkerus, ut ſenſus eorum apertior evaderet, - - *uſus eſſe non ſine ſumma ratione?* At innumeris in locis ſic, aliqua cum ſenſus obſcuratione, ſyntaxis confunditur.[157]) Tuſc. lib. III. c. 15. *quem dicitur* 226

156) Confirmatur haec emendatio auctoritate codicum.

157) Non confunditur ſyntaxis. Si ordinandorum verborum leges accuratius expoſitas haberemus, in his exemplis artem oratoris admiraremur. Interponitur enim *eſſe* in his vocabulis, quae ipſum Verbum attrahit, in unam imaginem collecta. Ubi autem *eſſe* ſignificat *praeſens eſſe*, ſive *vere eſſe*, non poteſt ita interponi, ſed ſuam ſibi vindicat ſedem propriam. Quare rem non bene geſſerunt, qui in Acad. 2, 40, 125. nuper reſtitui iubebant: *ut nos nunc ſimus ad Baulos, Puteolosque*

*Xantippe praedicare solita in viro suo fuisse Socrate.* Plura eius generis collegimus iam supra ad lib. II. cap. 24.

Cap. XXXII, 81. *Dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male evenerit; nec minus, si commemorem, quibus improbis optime.* Huc applicabo locum quemdam Minucii Felicis, ut hac illum occasione emendem, et ad alia quaedam elegantissimi auctoris loca perlustranda deveniam. Apud illum autem cap. V. sic inter alia, quibus providentiam impugnat, loquitur Caecilius: *In naufragiis bonorum malorumque fata mixta, merita confusa . . : cum belli ardore saevitur, meliores potius occumbere. In pace etiam non tantum aequatur nequitia melioribus, sed et colitur; ut in pluribus nescias, utrum sit eorum detestanda pravitas, an optanda felicitas.* Fulv. Ursinus edidit *sed attollitur,* non *sed et colitur,* alii autem *sed et attollitur.* Has tamen coniecturas, iuxta cum exemplaris lectione, haud probabat clar. Davisius, quod barbarum esse oporteret, qui dixerit, *nequitia non tantum aequatur, sed et colitur* (vel *attollitur*) *melioribus;* cui defectui sic medicinam faciebat, ut legeret - - *sed praeponitur.* Ad scrupulum, quem movebat vir cl., illud dicam, non opus esse, ut in his *sed et colitur*, ex antecedentibus repetatur dativus antecedens *melioribus;* quod totam illam rationem, quam ille emendationi suae substernit, enervat atque tollit. Sufficere omnino videtur mutatio multo minor, qua equidem legendum puto, *sed ITA*

*videamus, sic innumerabiles paribus in locis iisdem esse nominibus, honoribus — iisdem de rebus disputantes.* Optime se habet vulgata scriptura: *innumerabiles paribus in locis esse, iisdem nominibus.*

*colitur*, ſc. nequitia, *ut in pluribus* etc. [158]) Hic mihi manum iniiciunt alia nonnulla eiuſdem Minucii loca, quae obiter expendam. Eodem cap. talia exſtant verba Caecilii: .. *ne non tam ex noſtris diſputationibus nata ſententia, quam ex tuis ſenſibus prolata videatur.* 227
Dum ſic loquentem Caecilium facit Minncius, imitatur Tullium Paradoxa I. *Vereor ne cui veſtrum ex Stoicorum hominum diſputationibus, non ex meo ſenſu depromta haec videatur oratio.* Cap. X. *Cuius* (Dei Iudaeorum) *adeo nulla vis nec poteſtas eſt, ut ſit Romanis numinibus cum ſua ſibi natione captivus.* Legendum puto, ut etiam veteres editiones prae ſe ferunt, *Romanis HOMINIBUS cum ſua* etc. cui etiam lectioni favent exemplaria, quae *Romanis nominibus* referunt. [159]) Hoc ſane cum res ipſa ſuadere videatur, tum quoque confirmant aliquomodo verba iſta cap. XXXIII. *Ita prius eos* (Iudaeos) *deſeruiſſe deprehendes, quam eſſe deſertos; nec ut impie loqueris; cum Deo ſuo eſſe captos, ſed a Deo, ut diſciplinae transfugas deditos.* quibus autem? Romanis, non numinibus, ſed hominibus. In errorem inductus fuiſſe librarius videtur, quod Minucio parum dignam haberet dictionem *Romanis hominibus;* quae tamen auctoribus optimis ſatis uſitata eſt. Caeſar de B. Gall. lib. I. cap. 31. *propterea quod*

158) In Miſcell. Obſerv. Tom. X. p. 18. eamdem illam coniecturam proponit, et aliam hanc: *in tantum aequatur nequitia melioribus et colitur, ut* etc. At omnia haec praeter neceſſitatem. Nam *colere* ſignificat ſtudio proſequi, venerari, adhibita cura tueri. Vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. p. 576.

159) Egregiam hanc emendationem iterum expoſuit in Miſcell. Obſ. p. 23. Et Lindnerus narrat, *hominibus* etiam in editione romana exſtare.

*Harudum millia hominum XXIV. ad eum veniſſent.* ubi vide Dion. Voſſium, uti et Daviſ. ad M. Fel. c. 8. Pariter quoque Graece Ioan. Malalas Chron. lib. IX. p. 285. *καὶ ἐποίησαν εὐθέως ἄρχοντα, ὃν ἐβουλήθη, ἐν τῇ Βιθυνίᾳ, ἐκ τῶν ἰδίων αὐτοῦ ἀνθρώπων.* et lib. XVI. p. 122. *καὶ ὥρμησαν εἰς τὸ πέραν, κατὰ Βιταλιανοῦ καὶ τῶν ἀνθρώπων αὐτοῦ.* Xenoph. I. Cyropaed. p. 18. B. [4, 18.] *ὡς δὲ εἶδεν πολλοὺς ἀνθρώπους τῶν Ἀσσυρίων συντεταγμένους*, etc. ubi fruſtra, ut paſſim alibi, eſt H. Stephanus, qui *ἀνθρώπους* ſupervacuum et ſpurium putabat. Cap. XI. *Quid? quod toto orbi, et ipſi mundo cum ſideribus ſuis minantur incendium, ruinam moliuntur? quaſi naturae - - ordo turbetur, aut rupto elementorum omnium foedere, et*
228 *coeleſti compage diviſa, moles iſta, qua continetur et cingitur, ſubruatur.* Emendant, *qua continemur et cingimur*, vel *quae continetur et cingitur.* Ego putem nil tentandum, dummodo in his *continetur et cingitur*, ex antecedentibus tecum repetas *totus orbis et ipſe mundus;* quae quamvis paulo longius ab his verbis abſint, poſſe tamen huc revocari, ex iis planum eſt, quae ſupra dedimus ad Cic. de N. Deor. lib. II. c. 57. Quod autem cl. Burmannus ad Val. Flaccum lib. I. p. 139. ex *compage diviſa*, emendat *compage divulſa;* non video, quo fundamento nitatur illa coniectura, niſi quod verbum *dividendi* imbecillius huic viro viſum fuerit ad violentam, quam innuat auctor, divulſionem ſignificandam. Haud minorem tamen vim exſerit, ut mihi quidem videtur, illud verbum in his Virgilii Aeneid. lib. II. 234.

*Dividimus muros, et moenia pandimus urbis.*

et rurſus libro nono, 749:

*Sic ait, et ſublatum alte conſurgit in enſem,*
*Et mediam ferro gemina inter tempora frontem*
*Dividit, impubesque immani vulnere malas.*

Ita Horatius aliique. [160]) Cap. XIII. *quae ſunt dubia, ut ſunt relinquenda ſunt: nec tot a tantis viris deliberantibus, temere et audaciter in alteram partem ferenda ſententia eſt.* Tentabat erud. Anglus, *in alterutram partem.* Sed eandem quoque notionem habet vox illa, quam corrigit. ſupra cap. 5. initio: - - *ut libram teneas aequiſſimi iudicis, nec in alteram partem propenſus incumbas, ne* etc. Cicero Acad. lib. II. c. 43. *Non poteſt igitur uterque ſapiens eſſe, quoniam tanto opere diſſentiunt; ſed alter.* i. e. alter- 229
uter. ſic Lactant. de Opif. Dei cap. 12, 10. et alii, ut iam docuit Freinshemius in Ind. Iuſtini, Faber in Theſ. ac Turſell. de Partic. [161]) Cap. XVIII. *Quid naſcendi ratio? quid cupido generandi? nonne a Deo data eſt? et ut ubera, partu matureſcente lacteſcant, et ut tener foetus ubertate lactei roris adoleſcat?* Vir laudatus legebat *data ſunt*, quod verba alioquin minus cohaerere arbitrabatur. Sed haud commodiora ſunt iſta Ciceronis Tuſc. lib. V. c. 4. *Sed ab antiqua philoſophia uſque ad Socratem - - numeri motusque tractabantur; et unde omnia orientur, quove recederent,* ſcil. tractabatur. ad Fam. I. ep. 3. *Commendo tibi eius omnia negotia,* - -

160) Vid. Miſcell. Obſerv. p. 25. ſ. ubi afferuntur Hegeſippus et Cyprianus et Firmicus, qui *dividere* dixerunt pro diſtrahere, divellere. Stat. Theb. 5, 165. *quin ego non dextras miſeris complexibus auſim dividere.* In Pindar. Theban. v. 324. *timui, ne doricus enſis oſcula diſcuteret.* alii codices *divideret:* quod probavit Burmannus ad Propert. 1, 10, 15.

161) Livius 1, 13, 3. *melius peribimus, quam ſine alteris veſtrum viduae aut orbae vivemus.*

*in primisque ut - - eum ita tractes*, sc. rogo. Tacitus Annal. lib. I. c. 15. *Sed decreta pecunia ex aerario, utque per circum triumphali veste uteretur*, sc. decretum. ubi consule I. F. Gronovium.[162]) Cap. eodem: *Audio vulgus, cum ad coelum manum tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt.* Haeret et languet constructio. Legendum forsitan, *IDEO vulgus*, vel *RUDE vulgus, cum* etc.[163]) Cap. 26. *Illis adspirantibus et infundentibus praestigias edunt, vel quae non sunt, videri, vel quae sunt, non videri.* Duriuscula viris doctis videbatur loquendi ratio, qui verbum *faciunt*, aut tale quid excidisse putabant, vel ita transponebant, - - *per daemonas edunt. Illis adspirantibus et infundentibus praestigias, faciunt vel quae* etc. Non dubium, quin lenior esset cursus orationis, si scripsisset Minucius, *ut vel quae non sunt, videantur, vel quae sunt, non videantur.* Sed tamen istiusmodi infinitivorum exempla non desunt. Cicero de Fato cap. 16. *quae causa in rerum natura continebatur, fore ut is in insula Lemno liqueretur?*
230 de Nat. Deor. lib. III. c. 24. *Magnam molestiam suscepit, - - commenticiarum fabularum reddere rationem* etc. atqui ita alibi.[164]) Cap. XXVII. *Hi sunt et furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates et ipsi absque templo.* Supra de daemonibus loquebatur auctor. „Non „voluit, inquit Davisius, Minucios ipsos daemonas

162) In Miscell. Observ. p. 31. rem distinctius exponit, additque alia exempla dictionis *et ut*, per ellipsin coniunctae.

163) In Miscell. Observ. p. 35. coniecit *adeo vulgus.* At corrigenda erat interpunctio in hunc modum: *quid? quod omnium de isto habeo consensum. Audio vulgus. Quum ad coelum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt.*

164) Vid. Zumptii Grammat. n. 618.

„ſignificare, ſed homines a tetris iſtis ſpiritibus obſeſ„ſos vexatosque, Fortaſſe legendum, *Hinc ſunt et furentes.*“ Hactenus ille. At ſaepe fit, ut auctores permiſceant daemonas cum hominibus aut ſubſtantiis, quibus daemones inſint. D. Marcus Evang. cap. 3. vſ. 11. *Καὶ τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα. ὅταν αὐτὸν ἐθεώρει, ΠΡΟΣΕΠΙΠΤΕΝ αὐτῷ, καὶ ἔκραζε λέγοντα, ὅτι* etc. ubi vide ſummum virum H. Grotium.[165]) Cap. XXX. *Romani Graecum et Graecam, Gallum et Gallam ſacrificiis viventes obruere.* Legit vir cl. ex mſ. *ſacrificii* ſc. cauſa. At ſi exempla, quae tali genitivo elliptico illuſtrando contulit, bene inſpicias, facile ni fallor liquebit, eam eſſe huius loci naturam, ut talis genitivus hic neſcioquomodo frigeat, non minus quam ſi diceres, Romanos id feciſſe *propter ſacrificium.* Quamobrem legerim ego potius *in ſacrificiis*, vel per appoſitionem *ſacrificia;* nam *ſacrificia* aliquando victimae vel res offerendae dicuntur. ſic Lactantius lib. V, 19, 30. *mentem ipſam pro ſacrificio habet.* Et appoſito erit ei ſimilis, qua utitur Virg. lib. X. Aeneid. vſ. 519.

*Quattuor hic iuvenes —*
*Viventes rapit, inferias quos immolet umbris.*[166])

Cap. XXXII. *cum omnia coeleſtia terrenaque -- Deo cognita, plena ſint.* Attendant linguae Latinae ſtudioſi elegantiam, qua eadem vox in uno membro dativi, in 231
altero ablativi caſus eſt. Talia quoque alibi ſectatur Minucius. uti cap. 26. *onuſti et immerſi vitiis.* Seneca

165) De ipſis daemonibus Minucium loqui, demonſtrat Wopkenſius in Miſc. Obſerv. p. 42.

166) In Miſcell. Obſerv. p. 44. aut *ſacrificiis* aut *in ſacrificiis* ſcribendum eſſe declarat. Hoc alterum praeſtat.

epist. 59. *Voluptatibus hoc nomen imposuit, et quod voluit expressit.* et de Ira lib. II. c. 36. *gladiis et pugnare parati et incumbere.* Lactantius de Ira Dei cap. 4, 3. *quid tam dignum, tam proprium Deo, quam providentia?* [167]) Cap. XXXV. sic loquitur Octavius: *Et tamen admonentur homines doctissimorum libris et carminibus poetarum illius ignei fluminis.* Casp. Barthius in anim. ad Stat. tomo III. pag. 796. legit, *Et tamen admonentur homines docti sophorum libris, et carminibus* etc. quid enim, inquit, aliud sunt *libri* poetarum, quam eorum *carmina?* Scilicet nomen *doctissimorum* perperam ad substantivum *poetarum* retulit ille vir doctus, ut si legeremus *doctissimorum poetarum libris et carminibus;* quum prior illa vox absolute accipi debeat, et subaudiri substantivum *hominum*, vel *virorum*. Plus sane in hoc loco vidit vir quidam sagacissimus, qui emendabat, *Et tamen admonentur hominum doctissi-*

167) Multa alia exempla similia collegisse sibi visus est in Miscellan. Obs. p. 48. At illa triplicis sunt generis. Aut enim additur secundo nomini alius casus, quam qui cum priori nomine conveniat, veluti apud Minucium c. 26. *onusti et immersi vitiis*, etc. 36. *qui non eget, qui non inhiat alieno.* idque non in uno dativo observatur. Aut pergit oratio diversa constructione ita, ut pronomen intelligatur alio casu ponendum, praesertim in oppositione duarum rerum: quemadmodum apud Boethium 3, 4. *ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant.* et apud Plinium Epist. 7, 26. *ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur.* Aut exempla sunt prorsus aliena, uti illud quod e Senecae epistolis affertur supra. Ex omnibus vero nullum respondet ei loco, de quo hic agitur. Certe scribendum esset: *cognita ac plena Deo sint.* Wowerius e codice quodam protulit *deo cuncta plena sunt.* quod tamen non placet. Sed iam in romana editione omissum est *cognita*, fortasse antiqua auctoritate.

*morum* etc. Nec támen vel illa mutatio neceſſaria eſt, quandoquidem ellipſis illa, quam dixi, ſatis uſitata eſt. [168]) Cicero Acad. lib. II. c. 3. *eaque eſt - - in iudiciis noſtris infirmitas, ut non ſine cauſa antiquiſſimi et doctiſſimi invenire ſe poſſe quod cuperent, diffiſi ſint.* de Legib. III. c. 5. *et locum iſtum notum, ut a doctiſſimis Graeciae quaeſitum et diſputatum eſt, explicabo.* de Divin. I. c. 49. *ut doctiſſimis ſapientiſſimisque placuit.* ſic quoque de Fin. I. c. 4. et alibi. Iam tandem ab Minucio Felice redeamus ad Tullium noſtrum, ut reliqua libri tertii de Natura Deorum capita percurramus.

Cap. XXXV, 85. *Invita in hoc loco verſatur oratio.* 232
Illud vult Cotta, abhorrere ſe ab iſtarum rerum commemoratione, propterea quod peccandi licentiam adferrent. Sed doct. Boherius, cui legendum videtur *Inviſa in hoc loco verſatur oratio*, non rebus, quae voluntate carent, ſed perſonis tantummodo accommodatam eſſe vocem *invitus*, obiicit. Fallitur omnino vir eximius; cum enim vox *invitus*, paſſim per προσωποποιΐαν tribuitur rebus inanimis, tum praecipue ſic de oratione, tamquam de illo qui habeat, loqui amat Cicero. Sic Tuſc. lib. I. cap. 30. *Itaque dubitans, circumſpectans, haeſitans, multa adverſa reverens, tamquam in mari immenſo noſtra vehitur oratio.* etc. cap. 35. *Sed ita tetra ſunt quaedam, ut ea fugiat et reformidet oratio.* lib. V. cap. 29. *quorum oratio nihil ipſa iudicat, ſed habetur in omnes partes* etc. infra c. ult. *ut Velleio Cottae diſputatio verior, mihi Balbi ad veritatis ſimilitudinem videretur eſſe propenſior.*

168) Atque haec ellipſis fulcitur ipſo, quod proxime antecedit, nomine *homines.*

ſupra cap. 2. *orationeque ea, quae me in perorando hortabatur.* ubi vide Daviſium cl.[169])

Cap. XXXVIII. *Hi duo illos oculos orae maritimae effoderunt, non iratus alicui, quem omnino iraſci poſſe negatis Deum.* Legebant docti. - - *negatis, Deus,* quod accuſativus ipſis ſoloecam orationem reddere videbatur. Eſt tamen eadem loquendi ratio, de Leg. lib. III. c. 5. *haec eſt enim, quam Scipio laudat in libris, et quam maxime probat temperationem reip.* ubi hanc formam contra Lambinum pluribus adſtruit ipſe Daviſius, quem ibi vide.[170])

Cap. XL. *Quae cum dixiſſet, Cotta finem.* Recte factum, quod verbum *fecit*, quod ſcripti quidam editique adiecerunt, gloſſatori tribuerit editor cl. At cum

169) Ante omnes afferendus erat Horat. Art. poet. v. 311. *verbaque proviſam rem non invita ſequentur.*

170) G. T. A. Krügerus in libro de Attractione p. 201. non niſi e poetis propoſuit exempla huius dictionis, veluti Horat. Sat. 1, 4, 2. *alii, quorum comoedia priſca virorum eſt.* et I, 10, 16. *illi, ſcripta quibus comoedia priſca viris eſt.* et Ariſtoph. Ran. 889. ἕτεροι γάρ εἰσιν, οἷσιν εὔχομαι θεοῖς, ubi Brunckius dedit θεοί. et p. 183. ex Terentio: *populo ut placerent, quas feciſſet fabulas.* At haec omnia differunt. In Horatii verbis non tam deſideratur nomen *viri* in demonſtrativo, quam ſuperfluum additur relativo pronomini. In Terentii exemplo relativa ſententia conſtituit notionem rei, de qua dicendum erat: quare ipſa recipit nomen ſubſtantivum etiam ad alteram partem ſententiae pertinens. Etiam Ciceronis, quos Wopkenſius comparat, loci admodum inter ſe diverſi ſunt. Verba enim, *non iratus alicui, quem omnino iraſci poſſe negatis deum,* non poſſunt niſi hunc ſenſum habere: non iratus aliquis, de quo contenditis, eum utpote deum non poſſe iraſci. Quo approbato, *alicui* mutandum erit in *aliquis.* At eo non opus eſt, ſi ex aliis codicibus accipias *deus.*

ille ellipsios, haud ita sane vulgaris, nullum exemplum 233
attulerit, quo iudicium suum suffulciret; en tibi unum
et alterum, quod attendenti quidem mihi obviam factum est. sic enim de Fin. lib. II. cap. 6. *Tum ille, finem, inquit, interrogandi,* sc. fac. et rursus lib. V. c. 1. *Quae cum dixisset, finem ille.* [171]) Et in libros Tullii de Natura Deorum quidem tantum.

171) Comparari potest similis dictio Epist. ad Fam. 9, 7, 3. *sed ridicula missa. praesertim quum sit nihil quod rideamus.*

# THOMAE WOPKENS
## LECTIONUM
# TULLIANARUM
## LIBER TERTIUS,

*Complectens animadverſiones
in Ciceronis libros
de Divinatione
ac de Fato.*

### CAPUT I.

*Tranſitus fit ad libros Tullii de Divinatione, in quorum primo lectio vulgata aliquoties adſtruitur ac vindicatur. Suidas defenditur.* Id nos ut faciamus conceditur; *pro, nobis conceditur. Subiunctivus in altero orationis membro ſtabilitur. Ordo verborum a transpoſitione viri cl. vindicatur. Perfectum Latinorum pro praeſenti congruit aoriſtis Graecorum. Seneca defenditur. Hypallage. Cicero obiter defenditur cum Clemente Alexandrino.*

Venimus iam ad libros Tullii de Divinatione. Horum autem prioris capite primo ſic ſcribit auctor: *Principio Aſſyrii -- traiectiones motusque ſtellarum obſervitarunt.* Appoſite clar. Daviſius his verbis contulit locum Suidae, in v. *Ἀστρονομία;* quo teſte *πρῶτοι Βαβυλώνιοι ταύτην ἐφεῦρον διὰ Ζωροάστρου· μεθ' ὃν*

*Ὀστάνης· οἳ ἐπέστησαν τῇ οὐρανίᾳ κινήσει τὰ περὶ τοὺς τικτομένους συμβαίνειν· ἀφ' ὧν Αἰγύπτιοι καὶ Ἕλληνες ἐδέξαντο, καὶ τοὺς γενομένους ἀναφέρουσιν εἰς τὴν τῶν ἀστέρων κίνησιν. Primi Babylonii illam invenerunt per Zoroastrum; post quem etiam Hostanes; qui diligenter notarunt, coelesti motu accidere, quae ad nascentes pertinent. A quibus Aegyptii et Graeci acceperunt, qui etiam nascentes in motum siderum referunt.* Quod autem in hoc loco obſervari velim, eſt verbum *ἐπέστησαν;* quod ita male habuit virum laudatum, ut verba Suidae hunc in modum refingeret ac ſuppleret: *οἳ ἩΠΙΣΤΑΝΤΟ τῇ οὐρανίᾳ κινήσει τὰ περὶ τοὺς τικτομένους συμβαίνειν ΜΕΛΛΟΝΤΑ: qui cognoverunt coelesti motu, quae circa nascentes futura essent.* Sed non video, quid menti auctoris obſtet, ſi verba reddantur, ut nos modo reddidimus. Hanc ſane vim tribuere verbo *ἐφίστημι* videtur Pollux lib. IV. ſegm. 8. cum illud recenſet inter *γνῶναι, γνωρῖσαι, θεωρῆσαι* ac ſimilia. At illam extra omnem dubitationis aleam poſuiſſe videntur viri doctiſſimi, Duportus ad Theophr. Charact. pag. 221. et Olearius ad Philoſtr. vit. Apoll. lib. I. c. 34. [172])

Cap. III, 6. *Quod illi in aliqua re, invitissimis Stoicis, Stoico facere licuit, id nos ut in reliquis faciamus, a Stoïcis non concedetur?* Cenſuerunt commentatores legendum, *id nobis, in reliquis* etc. atque huic lectioni codex etiam producitur qui faveat. Non tamen in recepta ſcriptura quidpiam labefactandum arbitror, neque enim haec forma durior illis eſt, quas cernere licet in his locis. Tuſc. lib. I. c. 38. *Quare licet, etiam mortalem esse animum iudicantem aeterna moliri.* ubi ne-

172) Vid. Schaeferus ad Lamberti Boſii Ellipſ. p. 102.

mo ſane refinxerit *indicanti*, praeſertim ſi etiam iſta ad-
236 diderit, ibid. lib. V. c. 15. *quibus abundantem licet eſſe miſerrimum.* et de Fato cap. 15. *ſimiliterque ſuperiora repetentem regredi infinite licet.* Dicitur autem *nos ut*, pro *ut nos*, traiispoſitione maxime vulgari, de qua diximus ad lib. II. de Nat. Deor. cap. 4. [173])

Cap. VI, 11. *multo magis aveo audire de divinatione quid ſentias. Nihil, inquit, equidem novi, nec quod praeter ceteros ipſe ſentiam.* „Duas ultimas voces, in„quit editor eruditiſſimus, ut mihi quidem videtur, ex „ſuperioribus male repetierunt librarii, nam Latinitas „poſtulat *ipſe ſentio:* Ciceroni vero mos eſt, huiusmo„di verba lectoribus ſupplenda omittere.“ At talis ellipſis, quamvis ubique ſit obvia, non tamen hic ſtatuatur neceſſe eſt, quoniam Ciceroni mos ille, ut verba talia exprimat, non minus eſt aſſiduus. ut de Nat. Deor. lib. III. c. 7. *Di utrum ſint, nec ne ſint, quaeritur.* ubi plura clar. Daviſius, quem vidi. Quod autem Latinitatem flagitare credidit vir laudatus, *quod ipſe ſentio*, in eo quidem iudicio acumen illius ſolitum, grammaticaeque analogiae guſtum perelegantem omnino deſidero; flagitat enim Latinitas, flagitat ſaltem uſitatior Latinorum loquendi ratio ſubiunctivum, non indicativum. Pauca quaedam huius veritatis, de multis aliis, teſtimonia ſufficient. de Finibus lib. I. cap. 8. *nunc dicam de voluptate; nihil ſcilicet novi, ea tamen, quae te ipſum probaturum eſſe confidam.* de Legibus lib. I. cap. 30. *Parvam vero controverſiam dicis, ac non*

173) Praeſtat vulgaris lectio, qua non tollitur antitheſis, ut Rathio videbatur: immo augetur vis pronominis, quum adiungitur verbo. Coniunctio *ut*, quae abeſt a codicibus, iamdudum debuit omitti.

*eam, quae dirimat omnia.* ad Quint. Fratrem. lib. I. epiſt. 1. §. 1. *neque enim eiusmodi partem reip. geris, in qua fortuna dominetur, ſed in qua plurimum ratio poſſit et diligentia.* Seneca epiſt. 19. *In eam demiſſus es vitam, quae nunquam tibi miſeriarum terminum ac* 237
*ſervitutis ipſa factura ſit.* ſic alibi pluries. [174]).

Cap. VII. *Nihil eſt autem, quod non longinquitas temporum - - adſequi poſſit.* Iuxta codices duos hoc modo leniendam orationem eſſe iudicabat vir cl., ut mutata particulae negantis ſede, legeretur, *quod longinquitas temporum - - adſequi non poſſit.* Duritie tamen iſta, quam ſuſtulit ille, maxime delectatur Cicero. ſupra cap. 6. *Quae eſt autem gens; - - quae non aut extiſpicum, . . aut vaticinationum praedictione moveatur?* infra cap. 55. *eodemque modo nihil eſt futurum, cuius non cauſas id ipſum efficientes natura contineat.* lib. II. c. 2. *ut nullum - - philoſophiae locum eſſe pateremur, qui non Latinis litteris inluſtratus pateret.* de Amic. cap. 7. *Quae . . tam firma civitas eſt, quae non odiis - - poſſit everti?* Nullam igitur iniuriam hic Tullii locus a transponente aliquo paſſus eſt. [175])

174) Daviſius ipſe poſthac cognovit errorem ſuum, omiſitque iſtam obſervationem in altera editione.

175) *Quod — aſſequi non poſſit.* Ita Erneſtius quoque ſcripſit, tamquam id uſitatius et elegantius eſſet. Hottingerus aliam addit cauſſam non maioris momenti, ne negatio nimio intervallo diſiungatur a verbo *poſſit.* De elegantia omnino non quaeritur, ſed de veritate. Negatio non niſi ei verbo aut ei notioni pluribus vocabulis expreſſae adiici poteſt, ad quam ipſa pertinet: et quum relativum attrahere videtur negationem, diciturque *qui non*, id non ſit relativi poteſtate, ſed propterea, quod reliqua verba omnia una notione comprehenduntur, atque ipſa negatio proximo ſibi vocabulo, tamquam primario, adhaeret. In loco de Amic. 7. *quae tam firma civitas eſt, quae non odiis at-*

Cap. VIII.

*Saepe etiam pertrifte canit de pectore carmen,*
*Et matutinis acredula vocibus inftat,*
*Vocibus inftat, et affiduas iacit ore querelas,*
*Quum primum gelidos rores aurora remittit.*
*Fufcaque nonnunquam curfans per littora cornix*
*Demerfit caput, et fluctum cervice recepit.*

Ian. Guielmius malebat:

*Demerfat caput, et fluctum cervice receptat,*

hac de caufa, uti videtur, quod verba, quae antecedunt, funt praefentis temporis. Sed Aratum fuum, inquit Davifius. *Διοσημ.* pag. 210. imitatus eft Cicero [v. 949.]:

238 *Ἤπου καὶ λακέρυζα παρ' ἠϊόνι προυχούσῃ*
*Χείματος ἀρχομένου χέρσῳ ὑπέκυψε κορώνη·*
*Ἤπου καὶ ποταμοῖο ΕΒΑΨΑΤΟ μέχρι παρ' ἄκρους*
*Ὤμους ἐκ κεφαλῆς.*

ubi etiam, fi verba cum contextis conferantur, eadem plane praefentis atque aorifti enallage confpicua eft. At

*que diffidiis funditus poffit everti.* everfiones, quae odiis atque diffidiis fiant, una quidem notio complectitur. Si dictum effet *quae odiis atque diffidiis non poffit everti,* de univerfa everfione, quae poffet umquam fieri, fermo effet, et fimplex notio verborum *poffe everti* non proprie pertineret ad *odia.* Cicero dixit de Nat. d. 3, 39, 92. *nihil effe, quod deus non poffit efficere,* quum refpiceret unam potentiam dei: fi autem dixiffet *quod non deus poffit efficere,* opponeretur deus hominibus vel aliis rebus. Ita in eo loco, quem Wopkenfius tractat, utrumque recte dici poteft. Quaeritur enim, utrum Cicero vim confideraverit longinquitati temporum propriam, qua omnia efficiuntur, an potius longinquitate temporum fieri omnia, non aliis rebus. Atqui ille hoc loco contra eos difputat, qui fortaffe negaturi effent, longinquitatem temporis id efficere poffe. Quare praeferenda eft fcriptura, quam Erneftius probavit.

obieciſſet forte Guielmius, aoriſtum Graecorum ſaepius conſuetudinem denotare, ac reſpondere praeſenti Latinorum; (ſi neſcis, lege erud. Graevium, in Lect. Heſiod. cap. 5.) atque hoc idem de Latinorum praeteritis probandum eſſe, ſi quis illa *demerſit* et *recepit* iure quodam adſervare velit. Hunc ſcrupulum, in defendendo hoc Ciceronis loco, reliquum nobis fecit Daviſius.[176]) Ecce autem ſimile prorſus praeteritum, infra cap. 9. *Sed ineſt in rivis et ranunculis natura quaedam ſignificans aliquid* etc.

*Mollipidesque boves ſpectantes lumina coeli,*
*Naribus humiferum duxere ex aere ſuccum.*

ubi illud *duxere* exprimit aoriſtum ὠσφρήσαντο, quod apud Aratum praeſentis plane vim habet. In ſcriptis autem Senecae paſſim occurrit, ut praeteritum, ſi non vim praeſentis exprimat, praeſentis ſaltem locum peridoneum occupet; id quod eo lubentius quibusdam exemplis comprobaverim, quod hoc idem haud recte reputaſſe videatur ſummus Lipſius, cum *uſuri ſunt*, pro *uſi ſunt* legendum ſtatueret in his, epiſt. 107. *Aequum autem ius eſt, non quo omnes uſi ſunt, ſed quod omnibus latum eſt.* Pari autem modo epiſt. 23. *Ceteri eorum more, quae fluminibus innatant, non eunt, ſed feruntur. Ex quibus alia lenior unda detinuit ac mollius vexit; alia vehementer rapuit; alia proxime ripam, curſu langueſcente, depoſuit.* ubi non dubium, 239

176) En antiquum auctorem iſtius regulae, quam alii hodie ſaepe novo titulo vendunt: antiquiorem nominamus Priſcianum p. 814. Putſch. Conf. Iohnſon. ad Gratii Cyneg. 45. Ruddimann. Tom. II. p. 283. Ramshornii Gram. p. 401. Deſideratur tamen adhuc accuratior huius rei expoſitio. Subtiliora quaedam dederunt Walchius in Emendat. Livian. p. 73. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 67.

quin locus, quem tenent perfecta ista *detinuit*, *vexit*, et *rapuit*, praesentibus temporibus sit accommodatissimus. Rursus epist. 55. *Debilitatem nobis indixere deliciae: et quod diu noluimus, posse desivimus.* et epist. 99. *Est aliquis et dolendi decor. hic sapienti servandus est: et quemadmodum in ceteris rebus, ita et in lacrimis aliquid sat est. Imprudentium ut gaudia, sic dolores exundavere.* id est, exundare solent. de Ira lib. II. cap. 3. *Itaque et fortissimus plerumque vir, dum armatur, expalluit, et signo pugnae dato, ferocissimo militi paululum genua tremuerunt: et magno imperatori, antequam inter se acies arietarent, cor exiluit: et oratori eloquentissimo, dum ad dicendum componitur, summa riguerunt.* Tu loca oculis ipse usurpabis, si tibi res est tanti, et magis in iis elucescet id quod probare volumus.

Cap. IX, 16. *Nec hoc quaero, cur haec arbor una ter floreat, aut cur arandi maturitatem ad signum floris adcommdet.* Est in his hypallage, quae quamvis sollicitum habuerit editoris cl. animum, rescribentis *cur ad arandi maturitatem signum floris adcommodet*, mihi tamen de loco movenda non videtur. [177]) Non minus

177) Etiam Cortius, hac lubrica via incedens, in notis ad Cic. Epist. 1, 6. Davisium acriter reprehendit, atque ex animo conqueritur, adeo hodie incognitam esse hypallagen figuram, ubi vel facillima sit. Hottingerus, cui ista hypallage durissima videbatur, cum Davisio de mutationis necessitate consentit, cum Wopkensio Goerenzius ad libr. de Legg. 2, 8, 20. At neque correctione opus est, nec defendendam habemus hypallagen, cuius falsa et suspecta exempla, quae permulta sunt, si quis colligeret et subtilius recognosceret, operam suam non frustra in hac re consumpturus esset. Rathius miro modo intellexit *aratorem aliquem*, qui accommodare arandi maturitatem diceretur. Sed, ut iam in censura editionis huius Rathianae demonstravi, res aliter

sane durae sunt hypallagae, quas statuunt viri docti in locis sequentibus. Caesar B. Gall. lib. IV. c. 25. *naves longas, quarum motus ad usum expeditior.* Vell. Paterc, lib. II. c. 12. *Hac victoria videtur meruisse Marius, ne eius nati remp. poeniteret, ac bona malis repensasse.* Sulp. ad Cic. Fam. IV. ep. 5. *quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare.* Corn. Severus in Aetna vs. 55.

*Armatus flamma removet caligine mundum.*

Statius Thebaid. I. vs. 375.

*Spumantes scopulos erectae incurrere prorae.*

Silius Ital. lib. I. vs. 84.

— *arcebant lumine templum.* [178])

Hinc etiam praesidium sibi sumere posse videtur locus ille de Legibus lib. II. c. 8. *Certasque fruges, certasque bacas sacerdotes publice libanto: hoc certis sacrificiis ac diebus. Itemque alios ad dies ubertatem la-*

se habet. Signum floris antecedit maturo arandi tempori, idque debet ad illud signum accommodari. Hoc autem ipsi arbori agendum tribuitur propterea, quod suo flore maturitatem praesignificans, id ipsum efficere et constituere videtur. Sensum verborum igitur non ita concipio: non quaero, cur arbor tempore arandi floreat: sed ita: non quaero, cur arbor maturitatem arandi significet, eamque signo sui floris determinet.

178) Apud Caesarem *ad usum* intellige, in usu. In verbis *repensare* et *commutare* duplex et mutua est ratio, quae utrique constructioni convenit. Severi verba ad hypallagen referebant etiam Gorallus et Drakenborch. ad Sil. 1, 84. Sed bene explicuit Wernsdorfius de caligine nubium, qua mundus obtegeretur. Verbum *arcere*, quod posuit Silius, eodem modo dupliciter construitur, quo alia verba defendendi. Restat igitur ex his unus Statii locus, in quo hypallagen ob vitae speciem rebus inanimatis attributam facile probabimus.

*ctis foeturaeque servanto.* ubi reponunt, *alios dies ad ubertatem* etc. [179]) Item Clemens Alex. lib. IV. Strom. p. 569. ὁ τοίνυν τοῦ σώματος ἀπὸ τῆς ψυχῆς χωρισμὸς, ὁ παρ' ὅλον etc. ubi clar. Davisius ad Cic. Divin. pag. 129. emendabat, ὁ τοίνυν τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος χωρισμός.

Cap. X, 16. *Quid scammoneae radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentium possit, quae nomen ex inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio, video; quod satis est: cur possit, nescio.* Codices summo consensu dant, *posse video, quod satis est.* unde tale quid fabricatus est V. C. *Quî s. r. a. p., quî a. a. m. s. possit? quae - - somnio. Posse video quod satis est; cur possit, nescio.* quod tamen iudicium suum sagacioribus dat trutinandum. Absit quidem illud, ut me talibus annumerem novitius ego in his rebus atque mediocris. Nisi tamen codices illos valere iubere velimus, haud incommodius hoc modo legerimus, - - *video. Posse video, quod satis est: cur possit, nescio.* [180]) Solennis ea librariorum so-

179) In hac emendatione Turnebi admodum probabili non apta est hypallages figura. Intelliguntur enim sacrificia lacte et foetura facienda, quae aliis diebus serventur. Ita etiam Moserus, Goerenzii opinionem refutans.

180) Antea Cicero 7, 13. iam loquutus erat de radicibus ad morsus bestiarum adhibitis. Quare scripsisse videtur ita, ut exhibent codices, in hunc modum interpungendi: *pro omni igitur divinatione idem, quod pro iis rebus, quas commemoravi, respondebo, quid scammoneae radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum possit: quae nomen ex inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio. Posse video: quod satis est. Cur possit, nescio.* Dictum est *quid — possit*, pro *quid illud sit, quod — possit*, sive *quod ad id pertinet, quod — possit.* Sic de Fin. 4, 8, 19. *an, quum omnium artium finis is esset,*

cordia eſt, ut vocum repetitarum alterutram praetermittant.

---

## CAPUT II. 241

*Vulgata Cic. lectio in lib. I. de Divin. aliquoties contra variationes codd. conatusque eruditorum munitur et confirmatur; ſemel quoque atque iterum emendatur.* Vetus *et* ſacratus *aliquando coniunguntur. Ellipſis pron. demonſtrativi. Tullius obiter defenditur.* Adducor, *ſenſu praegnante, eſt adducor ut rear. Cicero cum Tacito vindicatur. Ellipſis incommodior.* Maturus, *iam imminens.* Edere quid voce divina, *pro declarare. Cicero bis obiter defenditur.*

Eodem lib. I. Ciceronis de Divin. cap. 12, 19.

*Et Capitolinis iniecit ſedibus ignes.*
*Tum ſpecies ex aere vetus, generataque Nattae*
*Concidit* ——

Hunc locum quin depravaverint ſcribae, dubium eſſe nequit. Medicinam autem illi non uno modo parant interpretes, quorum conatus huc recidunt, ut pro *generataque* legant *generoſaque*, vel *gener Attaque*, vel *venerataque*, vel denique *venerandaque*. Liceat etiam mihi aliquid in hanc ſymbolam conferre; ſic enim ego, ſalva virorum inſignium ſententia, Tullium noſtrum ſcripſiſſe puto:

*Tum ſpecies ex aere vetus SACRATAQUE Natta*
*Concidit.*

Saepius autem ita concurrunt voces *vetus* et *ſacratus*, ut apud Val. Maximum lib. V. c. 4. *Ignoſcite vetuſtiſ-*

*quid natura maxime quaereret, idem ſtatui debere de totius arte vitae?* ubi nihil mutandum.

*simi foci, - - si a vestro sacratissimo templo - - progressus fuerit.* Cicero de Leg. lib. II. 7. *ut in veteribus*
242 *duodecim sacratisque legibus* etc. Nec mirum, sic ista duo coniungi, quum *vetera* et *vetusta* saepe appellentur talia, quae ob vetustatem suam sunt veneranda. [181])

Cap. XIV, 24 *Similis est haruspicum responsio, omnisque opinabilis divinatio.* Ad hunc locum „vox penul„tima, inquit clar. interpres, sensui videtur officere: „quum enim medicorum, gubernatorum et imperato„rum scientiam opinabilem esse comprobasset, addit si„milem esse haruspicinam, omnemque divinationem; „adeo ut vix dubitem, quin vox opinabilis a mala ma„nu provenerit, et pro glossemate sit habenda.“ Hactenus V. D. qui mihi parum dextre percepisse videtur, qua in re haruspicum responsio, omnisque opinabilis divinatio, medicorum, gubernatorum et imperatorum

181) Goerenzius in Animadvers. 1805. Zwiccaviae editis p. 19. defendere conatus est vulgatam scripturam, verba ita construens: *tum species Nattae vetus et ex aere generata.* Quod probari nullo pacto potest. Emendationem, quam Guilielmus fecit, *venerata*, tantum abest, ut eo quidem nomine, quo Davisio displicuit, reprehendam, ut omnibus reliquis propterea praeferam, quod caussa corruptionis in passiva verbi significatione, librariis incognita, intelligitur. *Veneratum* non tantum de cultu divino dicitur, sed de re quacumque veneranda seu venerabili, ut *sacerdos venerata* apud Virgilium Aen. 3, 460. Ceterum in emendandis verbis, quae sequuntur, *elapsaeque vetusto numine leges,* critici videntur operam perdidisse. Nam *numen* dixit poeta primaria significatione, qua Lucretius 2, 633. *terrificas capitum quatientes numine cristas* 4, 180. *in quam quaeque locum divorso numine tendunt.* i. e. inclinatione. *Elapsae vetusto numine leges* pro vetustis legibus numine elapsis recte dici poterant. Qui *numen* de religione et sanctitate interpretati sunt, non poterant demonstrare, quomodo hoc nomen conveniret cum scriptis tabulis legum.

arti similis dicatur. Similia illa horum arti esse volebat
Cicero, quatenus aliquando ignorantia quaedam aut
etiam error illorum tractationi subesset, tametsi hoc mo-
do artes esse verae non desinerent. Intelligebat igitur
auctor per *opinabilem* divinationem alterum illud divi-
nationis genus, quod distinxerat ab naturali divinatione,
cum sic loqueretur cap. 6. *Duo sunt enim divinandi*
*genera, quorum alterum artis est, alterum naturae.*
*Quae est autem gens, aut quae civitas, quae non aut*
*extis pecudum, aut monstra aut fulgura interpretan-*
*tium, aut augurum aut astrologorum, aut sortium,*
*(ea enim fere artis sunt) aut somniorum aut vaticina-*
*tionum (haec enim duo naturalia putantur) praedi-*
*ctione moveatur?* Iam vero hic usque ad cap. 20. in
eo est Quintus, ut prioris generis insignia quaedam spe-
cimina proferat; quorum veritatem ut stabiliat, sic in-
fit initio cap. 14. *At nonnumquam ea, quae praedicta*
*sunt, minus eveniunt. Quae tandem id ars non ha-* 243
*bet? earum dico artium, quae coniectura continentur,*
*et sunt opinabiles.* Tum vero exempla medicorum ce-
terorumque illorum adfert, quorum ars tamen non tol-
latur, etiamsi ipsi aliquando hallucinentur. *Similis est,*
inquit, *haruspicum* etc. [182])

Cap. XVII, 31. *Qua re celebrata, cum vicini omnes ad unum de rebus suis referrent.* Habet elegantiam haec lectio, quae tolletur, si cum viro cl. codicibus obtemperemus istis, qui repraesentant, *omnes ad eum de rebus s. r.* Elegantia, quam dico, consistit in oppositione vocis *omnium* et *unum*, quomodo etiam vis intenditur orationis. Est itidem venustatis aliquid in

182) Conf. quae cum Wopkensio consentiens disseruit Hottingerus.

omissione pronominis demonstrativi, qualem quoque cernere licet in his locis.[183]) Acad. lib. I. extremo: *qui cum ab eo plurimum dissentiret, unum tamen praeter ceteros mirabatur.* de Nat. Deor. lib. II. c. 2. *cum e praefectura venienti -- dixissent.* Nepos in Alcib. c. 7. *Nam cum ei omnes essent honores decreti, totaque respub. domi bellique tradita, ut unius arbitrio gereretur,* etc. in Epam. cap. 9. *universi in unum impetum fecerunt.* Iustinus lib. XI. c. 10. *Cum legati rectius id eum in Tyro vetere - - facturum dicerent, in deprecantes eius introitum ita exarsit, ut* etc. Caesar de B. Gall. lib. I. c. 18. *concilium dimittit, Liscum retinet; quaerit ex solo ea, quae in conventu dixerat.* Similem ellipsin agnosco etiam, atque tolero in his de Nat. Deor. lib. II. c. 53. - - *an bestiarum? nihilo probabilius, Deos mutarum et nihil intelligentium caussa tantum laborasse.* quamvis codex aliquis ibi det *mutorum,* idemque viro doctissimo praeplaceat.[184]) de Divin. lib. II. c. 14. *semina malorum, quae in mediis inclusa sunt.* Lambin. volebat, *quae in iis mediis inclusa sunt,* quo modo etiam edidit Davisius.

Cap. XVII, 35. *Utar igitur, nec adducar, ut rear aut in extis totam Etruriam delirare, aut eandem gentem*
243 *in fulguribus errare.* Codices quidam Gruteri duas

183) Venustatem equidem non appellaverim, sed brevitatem dicendi. Neque exempla, quae comparantur, omnia quadrant. Sed codices meliores exhibent *ad eum*, neque cur vis orationis intendatur in verbis *omnes ad unum*, aperta est caussa.

184) Quo nomine *mutorum* praeferam, equidem non video. De auctoritate codicum adhuc dubito. Qui codicibus utuntur, saepe in iis legunt, quae ipsi volunt legi. Atque codici Eliensi, in quo legitur *mutorum*, non nimis magnam auctoritatem tribuerim.

voces, *ut rear*, haud agnofcunt: et mihi quidem illae attribuendae videntur largitati librariorum, qui forte ad loquendi formam haud ita paffim obviam, et aliquomodo, fi verum fateri velimus, duriorem offenderint. Quamvis autem iam monuerint viri fummi, iis omiffis, orationem nihilominus effe Latinam; tamen quum rationes illi nullas attulerint, digna res eft, quae paullo certioribus argumentis urgeatur, exemplisque dilucidis illuftretur. Huius igitur formae en tibi locum iftum geminum ac germanum de Leg. lib. II. c. 3. *ut iam videar adduci, hanc quoque, quae te procreavit, effe patriam tuam.* et ad Att. lib. XI. ep. 16. *Sed ego non adducor, quemquam bonum ullam falutem putare mihi tanti effe.*[185] Poteft tamen ea phrafis referri ad βραχυλογίαν fatis vulgarem atque ufitatam, qua unum verbum fenfu praegnante contineat in fe fuppreffum alterum. Exemplum iam vidimus in his de N. Deor. lib. II. c. 32. *quae ita dividit omnium quae fint naturam,* (ut dicat) *effe corpora, et inane, quaeque his accidant.* et Tufc. lib. IV. c. 12. *ex quo in aliis* -- (oritur id quod) *iracundia dicitur.* et Acad. II. c. 3. *in utramque partem* (difputantes) *audiendo.* Et plura mihi talia obfervata funt, quae quamvis nova non fint, inculcari tamen vel ideo merentur, quod immerito aliquando fcrupulum iniecerint eruditiffimis grammaticis. Age pauca quaedam ex collectis noftris excutiamus. Acad. lib. II. c. 21. *Nitamur igitur,* (illud tenere ac probare) *nihil poffe percipi.* de Fin. lib. III. c. 12. *pugnare non defiitit,*

185) Hic ufus, Graecis communis, ad ea verba pertinet, quorum notio aut iam in antecedentibus expreffa eft, aut ex reliquis verbis facile colligitur. Vid. Matthiae Gramm. graec. p. 1309. Haec funt verba dicendi, exiftimandi, differendi, affirmandi.

*in omni hac quaeſtione - - non eſſe rerum - controverſiam, ſed nominum.* et de Nat. Deor. lib. I. c. 27. *Illud video pugnare te, ſpecies ut quaedam ſit Deorum, quae nihil concreti habeat.* quibus locis etiam congruit
245 ille Quinctil. Declam. 251. *Itaque calumnia reſiſtit et impugnat,* (i. e. reſiſtens et impugnans affirmat) *iuſtum eſſe repudium, quod maritus iure aliquo fecerit.* quod exemplum debere me fateor erud. Schultingio, quem vide in Sen. Contr. p. 91. Pergamus ad alia. Tuſc. lib. IV. c. 37. *Cum multa in conventu vitia conlegiſſet in eum Zopyrus.* i. e. conlecta memoraſſet. ubi clar. Daviſius volebat, *conlegiſſet eius Zopyrus*, vel *conieciſſet in eum Zopyrus;* ſed vetare illud Muſae videntur. Pariter etiam commiſit idem vir doctus in illa verba. de Leg. lib. II. c. 27. *Sed perge cetera.* M. *Pergam quidem* etc, quum praepoſitionem *ad* ante vocem *cetera* intruderet; quod quamvis codices quidam et editi agnoſcant, alii tamen iidemque optimae notae libri neſciunt.[186] Sed lapſus hic illi communis eſt cum I. F. Gronovio, qui *urgerent* legendum cenſuit pro *pergerent*, in his Taciti Annal. lib. I. c. 28. *proſpereque ceſſura quae pergerent, ſi fulgor et claritudo Deae redderetur.* Sed pari modo loquitur Cicero, ad Att. lib. IV. ep. 10. *Perge reliqua. geſtio ſcire iſta omnia.* et de clar. Orat. cap. 73. *Sed perge, Pomponi, de Caeſare,* (differere ſcil.) *et redde quae reſtant.* pro Quintio cap. 24. *neque te ipſum id perſeverare potuiſſe.* Virgilius ecloga V. vſ. 19.

*Sed tu deſine plura puer* ——

186) Vide Oudendorp. ad Apuleii Apolog. p. 481. Nam intereſt interdum aliquid, dicasne *pergere ad aliquid,* an *pergere aliquid.*

Plaut. Rud. V. ſc. 3, 14. Gr. *Propera.* La. *Quid properabo?* Gr. *Reddere argentum mihi.* Plura exempla, ſi neceſſe foret, peti poſſent ex diſputatione Sanctii de verbis neutris vel falſo ita dictis; ubi ſedulus harum rerum ſcrutator facile intelliget, multas proferri formas, in quibus verba neutra haudquaquam in activa degenerent, quod putabat literator ſui temporis ſagaciſſimus, [187]) 246
aut ſi quodammodo degenerare videantur, omnino tamen explicari per iſtiusmodi ellipſin debeant, quam nunc luce quadam exemplorum circumfudimus.

Eodem cap. *aequius eſſe cenſuit, ſe maturam oppetere mortem, quam P. Africani filiam adoleſcentem.* Senſum incommodum exſurgere putabat cl. editor, quod *matura* mors a ſene tantum, et non ab adoleſcente P. Africani filia, dici poſſet oppeti. Legebat propterea, *ſe maturum oppetere mortem*, hoc eſt aetate provectum; eamque lectionem ſimili plane vocum *maturus* et *adoleſcens* oppoſitione eleganter colluſtrabat. Quod autem vir doctus ſic coniicit, quia mortem adoleſcentis *maturam* dici non poſſe putat; huic ego rationi duplici via obviam ibo, remque eo adducere conabor, ut locus Tullii mutationem haud requirere videatur. [188]) Primo

187) Quidni? Recta eſt ratio, qua non tantum in latina, ſed in omnibus linguis neutra verba activam naturam induunt. De qua re nunc nemo dubitat.

188) Hottingerus cum Erneſtio exiſtimabat, fruſtra defendi *maturam:* nam *maturum* eſſe, qui ſatis diu vixerit, ſenemque maturum opponi uxori adoleſcenti. His equidem aſſentiri non poſſum. Nam in verbis *ſe maturam oppetere mortem* intelligitur mors *ſibi* matura, i. e. quae iuſto tempore ſibi obveniret. Quod ad perſonam pertinet, id rei tribuitur ex conſueta rationis commutatione. Sicuti Gracchus maturus erat morti, ita mors ei matura dici poterat. Eodem modo Horat. Carm. 3, 15, 4. *maturo propior deſine*

enim neceſſe non eſt, ut quando poſt vocem *adoleſcentem ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* ſubaudias *mortem oppetere*,-ſubaudias etiam ſimul epithetum illud *maturam.* Ellipſes enim, quae ex antecedentibus ſupplendae ſunt, aliquando partem tantummodo membri praecedentis, non totum illud membrum flagitant. Ita iam ſupra defendimus locum iſtum. Acad. lib. II. c. 15. *cum animi inaniter moveantur eodem modo rebus iis, quae nullae ſint, ut iis quae ſint:* ſcil. *moventur*, non *inaniter moventur.* Addamus locum inſignem Tuſc. lib. IV. c. 31. *atque ut in malis opinatis, tolerabiliora: ſic in bonis, ſedatiora ſunt efficienda ea, quae magna et laetabilia dicuntur.* Itane vero in malis opinatis, tolerabiliora facienda, quae magna *et laetabilia* dicantur? Non ſane ita ineptiit auctor. Quid ergo? ſuppleamus antecedentia e ſequentibus hoc modo, ut in ſupplemento noſtro omittamus illud *et laetabilia.* Iam vero ſimili
247 modo omittamus *τὸ maturam*, in loco hocce de Divinatione, cum repetimus vicinum illud *oppetere mortem:* ita fundamentum, cui *κρίσις* viri cl. innititur, erutum erit, ſiquid ego iudico, atque ſublatum. Sed et altera via patet, ad baſin illam evertendam: poteſt enim omnino *matura* mors dici adoleſcentis, ſi vox *matura* ea ſignificatione intelligatur, qua venit apud Plaut. Pſeud. I. ſc. 3, 5. *Mittam hodie huic ſuo die natali malam rem magnam et maturam.* ubi *τὸ maturam* explicat in lexico ſuo Pareus, *quae imminet.* Cicero infra lib. II. c. 30.

*Edidit haec Calchas, quae iam matura videtis.*

**funeri inter ludere virgines.** **Argumenta autem, quae Wopkenſius expoſuit, nimis artificioſa omittamus. Maturum enim dicitur id, cuius legitimum tempus adeſt, vel tranſactum eſt.**

h. e. quae videtis instare, et propinqua esse, ut recte exponit cl. Davisius, secutus Ad. Turnebum Adversf. lib. V. c. 19. quem vide. Hoc modo *matura* apud Ciceronem dicetur mors, quae alterutri, aut Gracche aut uxori iam nunc subeunda esset, cuiusque iam tempus sic instaret, ut retardari non posset; quo sensu etiam infantulo, quae iam impendet, *matura* mors dici potest. Atque ita omnia, quorum iam tempus completum sit illud, quod antegrediatur necesse sit, *matura* appellantur.

Cap. XXXI.

*Ibi ex oraclo voce divina edidit*
*Apollo, puerum, primus Priamo qui foret*
*Post illa natus, temperaret tollere.*

Haud ita moveor isto codice, qui exhibet *vocem divinam*, ut ex illo refingendam esse lectionem alteram existimem; obnituntur enim cum reliqui omnes, tum optimae quoque notae liber, quem meminit Is. Vossius ad Pomp. Melae lib. I. c. 8. Et, si verbum *edere* declarandi, praedicendi, monendive significatione intelligas, cui quaeso bono maiori accusativus *vocem divinam*, quam ablativus *voce divina?* Haec autem illius verbi notio, quam dixi, noli dubitare quin satis communis solennisque sit. [189]) Sic enim supra cap. 12. 248

*— quae quondam et consule Cotta*
*Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex.*

lib. II. cap. 30. et 38.

189) Ante omnia afferenda essent verba Cic. de Offic. 2. 22. paullo post apposita, nisi ibi quoque lectionis varietas obstaret. M. Heusingerus multis aliorum scriptorum exemplis defendit verba *oraculo edidit*. Tamen Beierus praeferendam duxit aliorum librorum lectionem *oraculum*: caussam non exposuit. De vocabulo *edere* oraculis et vaticiniis proprio egit Broukhusius ad Tibull. 1, 4, 67. ubi legitur *deus edidit ore.*

*Prospera Iupiter his dextris fulgoribus edit.*

Ut illic *fulgoribus edere* dicitur, quid vetat quominus alibi *voce divina*, aut *vocibus divinis edere* dicatur? Sic porro Cicero in epist. a Brut. ep. 2. *Haec ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puto.* item de Leg. lib. III. c. 20. *apud eosdem* (censores) *qui magistratu abierint, edant et exponant, quid in magistratu gesserint.* Atque his de causis, temerare mihi potius videtur Bosius, quam emendare lectionem istam Corn. Nepotis in Conone cap. 3. *Sed tu delibera, utrum colloqui malis, an per litteras edere quae cogitas:* ubi cum codd. quibusdam malebat *agere*, quod tamen haud deterioris commatis alii respuunt.[190] Miror etiam, quomodo ὁ πάνυ Graevius in haecce, Offic. lib. II. c. 22. *Itaque quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam - - perituram, id videtur non solum Lacedaemoniis praedixisse:* in haecce, inquam, miror quomodo vir ille summus talia commentari potuerit, ut phrasin *oraculo* aut *responso edere* Latinam esse negaret, propter eaque sequendos illos codices diceret, qui *oraculum* pro *oraculo* referrent. Mihi quidem tam commode dici posse videtur Apollo quidpiam *edere oraculo*, quam *edi* quid-
249 piam Apollinis *oraculo;* quam formam posteriorem habes, de Fato cap. 7. *quamquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset.* et Senecae epist. 94. p. 333. *Qualia sunt illa, aut reddita oraculo, aut similia.* et apud Curtium lib. III. c. 1. *Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asiae poti-*

190) Post Bosium nemo consideravit alteram scripturam *edere*, quam Aldina prima exhibet. Neque ea potest improbari. Nam si quis negaverit, bene dici *per litteras edere*, at nos commode et apte coniungemus *edere quae cogitas.* Sic alibi *edere* occurrit pro edicere, proferre.

*turum qui inexplicabile vinculum ſolviſſet.* Idem quoque dicitur *declarari oraculo*, de Nat. Deor. lib. II. c. 65. *multa oraculis declarantur, multa vaticinationibus, multa ſomniis, multa portentis.* Quemadmodum autem in his locis nihil habet ablativus, cur reiiciatur aut cum accuſativo permutetur: ſic quoque omnino retineri poſſe videtur, in loco iſto de Fin. lib. II. cap. 15. *Si enim ad honeſtatem omnia referantur, neque in ea voluptatem dicant ineſſe, ait eos inani voce ſonare.* ubi legebat erud. Anglus, *inanes voces ſonare*, quod Tullius alibi *inanis ſonos fundere* nominat. At vero paſſim ſic ſine accuſativo venit verbum *ſonare*, pro ſonitum edere, id quod conſervandae receptae lectioni ſufficere arbitror. [191])

---

## CAPUT III.

*Vulgata Ciceronis lectio in I. de Divin. ſepties ſtabilitur, et ſemel iterumque emendatur. Subiunctivus in altero orationis membro. Ordo verborum obſervandus. Cicero obiter defenditur. Macrologiae ſpecimina quaedam. Xenophon et Maximus Tyrius vindicantur. Adiunctis tribuitur, quod competit ſubiectis. Ammiani locus corrigitur. Adferre, memorare.* Deinde *et*, deinceps *quid differant.* Id *notabili modo inchoat ſententiam. Cicero defenditur. Seneca tentatur. Uſus* τοῦ enim *notandus.*

Cap. XXIV. eiusdem libri I. de Divin.... *ei ſecundum quietem viſam eſſe Iunonem praedicere, ne id fa-* 250

191) Cauſſa mutationis nulla eſt. Neque probari poteſt, quod Goereuzius legendum eſſe coniecit, *inane ſonare.* Id in recentiore ſcriptore non diſpliceret. Cicero ex more ſuo ſcripſiſſet *inane quiddam ſonare:* nam quod apud eum *numeroſe ſonantes, acute ſonare, male ſonantia* dicuntur, ad modum ſonorum ſpectant. Sed *inani voce* dicendum erat, quum ad perſonam eius, qui ſonos ederet, referretur.

*ceret, minarique si id fecisset, se curaturum ut eum oculum, quo bene videret, amitteret.* Subiunctivum *videret* haud facile in hoc loco damnaverim, licet codex regius et Cantabrigiensis, qui passim conspirant in lectione recepta immerito deferenda, indicativum agnoscant. Geminus enim subiunctivus est in his, quae mox sequuntur: *Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, - - buculam curasse faciendam.* et cap. antecedente: *Matrem Phalaridis scribit, - - visam esse videre in somnis simulacra Deorum, quae ipse Phalaris domi consecrasset. Ex his Mercurium e patera, quam dextra manu teneret, sanguinem visum esse fundere; qui refervescere videretur, sic ut tota domus sanguine redundaret.* Nihil est in obliqua oratione istiusmodi subiunctivis solennius. [192])

Cap. seq. [25, 54.] *Adscendit in Areopagum.* Non video, cur haec lectio minus adrideat insigni viro, quam illa unius alteriusve libri, *in Arium pagum.* Quamvis enim Graeci passim dicant Ἄρειος πάγος, Cicero tamen usquam non una voce *Areopagus* dicere amat, quantum ego quidem adsequi potis fuerim. [193]).

Cap. XXVIII. *Quid hoc somnio dici divinius potest?* Apage istos codices, qui talem verborum ordinem referunt: *Quid h. s. dici potest divinius?* Omnino praefero receptam scripturam, quae, quamvis dura videatur editori cl., Ciceroni tamen neutiquam indigna existimanda est, cui ista durities, siqua sit, suavissima

192) Non exemplis hoc demonstrandum est, sed ratione. Atque indicativo nullus hic locus conceditur, praemisso pronomine *eum.* Bene se haberet haec oratio: *ut alterum oculum, quo bene videbat, amitteret.*

193) Quis latinorum scriptorum umquam dixerit, *Arius pagus,* ne Davisio quidem cognitum erat.

fuit; ſic enim infra cap. 43. *et in Sibyllae libris eadem repertae praedictiones ſunt,* pro *rep. ſ. p.* et lib. II. c. 2. *aut admiratus fortunam ſum alterius.* et cap. 9. *neque illud quidem dici, praeſertim a Stoicis nullo modo poteſt.* et cap. 58. *quorum quidem defenſio repetita quam longe eſt!* [194]) ſic quoque Acad. lib. II. cap. 4. 251
et millies alibi: ut iuxta cum loco, quem iam vindicamus, ſanus etiam atque ſincerus eſſe videatur alter quidam Tuſc. lib. II. c. 12. *nec ſi in unum locum conlata omnia ſint;* licet illic, praelucente codice quodam, *conlata ſint omnia,* in editione ſua priore maluerit vir cl. [195]) Sequitur inferius: *Audivi equidem ex te ipſo, ſed mihi ſaepius noſter Salluſtius narravit: quum* etc. *magnamque partem noctis vigilaſſes, ad lucem denique arcte et graviter dormitare coepiſſe.* Si verbum *dormitare* minus valeat, quod *graviter dormitare* inconcinnius dicatur: legi poſſet *dormire te coepiſſe,* cum Lambinus voluerit *dormire coepiſſe.* Cum tamen vir ille doctiſſimus nihil mutandum cenſuerit, ego quidem illius ſententiae libentiſſime accedo, quam huic fundamento innixam eſſe coniicio, (neque enim ipſi illud declarare viſum fuit) quod *arcte et graviter dormitare* hic ſenſu praegnante ſit dormitando in ſomnum arctum

194) Haec exempla nihil efficiunt. Neque enim agitur de verbo *poteſt* a verbo *dici* remoto, ſed de vi potiſſimae notionis in fine ſententiae collocanda. In Quint. 2, 8. *nam quid hoc iniquius aut indignius dici aut commemorari poteſt?* Philipp. 8, 1, 4. *quo quid abſurdius dici aut exiſtimari poteſt?* Si comparaverimus haec: pr. Mil. 2, 5. *quid magis ſollicitum, magis exercitum dici aut fingi poteſt?* de Divin. 1, 26. *quo ſomnio quid inveniri poteſt certius?* profecto non dubitabimus aſſentiri Daviſio.

195) Utrumque probari poterit. De Off. 1, 14, 2. *id enim iuſtitiae eſt fundamentum, ad quam referenda ſunt omnia.*

gravemque incidere. [196]) Neque huic explicationi illud obstat, quod sic superfluum futurum sit verbum *coepisse;* quippe cuius verbi pleonasmus optimo cuique Latino familiarissimus fuit, ut post alios docuit eximius ille philologus, G. Cortius ad Sallust. Cat. cap. 7, 1. Nec sane palato nostro suaviora sunt ista macrologiae specimina. de Fin. lib. I. c. 10. *cum soluta nobis est eligendi optio.* quis illud *eligendi* desideraret, si a loco abesset? de Consol. pag. 823. *O rem dignam, in qua non modo homines -- erubescere oporteat!* pro *erubescant.* Seneca de Clem. I. c. 18. *quod in hominem licere commune ius animantium vetet.* *πλεονάζει licere.* Addamus sequentia paradigmata ex auctoribus Graecis. Aeschines in argum. orat. contra Ctesiph. prope init. *τοῦ νόμου κελεύοντος μὴ ἐξεῖναι ὑπεύθυνον ἄρχοντα στεφανοῦν:*
252 *quum lex iubeat non licere magistratum coronare, rationibus non relatis.* Xenophon. Cyrop. lib. I. p. 12. D. [3, 17.] *σὺν τῷ νόμῳ οὖν ἐκέλευε δεῖν τὸν δικαστὴν τὴν ψῆφον τίθεσθαι: secundum legem igitur iubeat oportere iudicem calculum ponere.* [197]) et lib. II. p. 49. B. [2, 21.] *καιρὸς οὖν αὐτῷ ἐδόκει εἶναι δεῖν ἐμβαλεῖν: tempus igitur ipsi videbatur esse, ut aggredi oporteret,* ubi H. Stephanus, codicum quorumdam fide, legebat -- *εἶναι νῦν ἐμβαλεῖν.* at geminus est locus Platonis in Alcib. II. pag. 249. edit. Cantab. [c. 12.] *Οὐκοῦν ἀναγκαῖον ἐδόκει ἡμῖν εἶναι, οἰηθῆναι δεῖν πρῶτον ἡμᾶς εἰδέναι, ἢ τῷ ὄντι εἰδέναι τοῦτο, ὃ ἂν προχείρως μέλλωμεν ἢ πράττειν*

196) Hoc probabilius esse videtur, quam quod Hottingerus exposuit, adverbia *arcte* et *graviter* dormiendi cupiditatem nimiam indicare. Levis enim qui erat somnus, in graviorem transire coepit. Et per verbum *dormitare* indicatur, ab initio levem fuisse somnum.

197) Nunc e codicibus restitutum legitur *ἐκέλευεν ἀεί.*

ἢ λέγειν; [198]) *An non necessarium nobis videbatur, oportere primum putare nos scire, vel revera scire illud, quod prompte facturi dicturive simus?* ubi δεῖν, ut vides, eodem modo abundat. Et Synesius, quum ep. 16. p. 75. sic loquitur: *ἐμὲ δὲ δεῖ χάριν ὀφείλειν αὐτῷ, διότι σοι καταθύμιός ἐστι:* nonne et brevius et elegantius dixisset: *ἐγὼ δὲ χάριν ὀφείλω αὐτῷ*, etc.? At similem usum verbi *debere* eleganter illustrat summus Graevius ad Iustini praefat. His forte etiam comprobari possunt verba Maximi Tyrii Dissert. VI. p. 62. *ἡγούμην δεῖν φροντιστέον εἶναι μοι μᾶλλον ἄλλου.* ubi erud. Davisius illud δεῖν tollendum, aut cum Heinsio δὴ legendum censebat. [199]) Haec hactenus velut in transitu.

Cap. XXIX, 60. *illa autem* (pars animi), *in qua feritas quaedam sit, - - quum sit immoderato obstupefacta potu atque pastu, exsultare eam in somno immoderateque iactari.* Mavult vir cl. ex codice Eliensi, *tumefacta potu* etc. [200]) At cur non potius *obtumefacta?* Verbum certe *obtumescere* reperitur de Senect. cap. 7. *Num igitur hunc coëgit - - in suis studiis obtumescere senectus? an non in omnibus iis studiorum agitatio*

198) Cur in his quaedam mutata sint, non video. Apud Platonem legitur ἆρ' οὐκ ἀναγκαῖον σοὶ δοκεῖ εἶναι, ὅταν τὶ μέλλωμεν ἤτοι πράττειν ἢ λέγειν, οἰηθῆναι — ὃ ἂν προχειροτέρως μέλλωμέν τι ἢ λέγειν ἢ πράττειν. Quod autem ad verbum δεῖν attinet, eadem abundantia est apud Dionysium de Compos. verb. 4. καὶ οὐδεὶς ᾤετο δεῖν ἀναγκαῖον αὐτὸ εἶναι. ubi Schaeferus notavit loquutionem usitatissimam οἶμαι δεῖν.

199) Vulgata ferri non posse, nemo dubitabit. Fortasse scribendum ταῦτά τοι ἐννοῶν, ἡγούμην διαφροντιστέον εἶναι μοι μᾶλλον ἄλλου. Epicrates apud Athenae. p. 59. e. χρόνον οὐκ ὀλίγον διεφρόντιζον.

200) Sed vid. Ernestius et Hottingerus ad. h. l.

*vitae aequalis fuit?* quod exemplum eo appofui liben-
253 tius, quia diligentiae elapfum eft lexicographorum, atque etiam Nizolio latuit, penes quem illud verbum plane *ἀπαράδεικτον* effe video.

Cap. feq. [30, 62.] *quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quaerenti vera contrariam.* Solet Tullius de qualitatibus rerum loqui, tamquam de rebus ipfis, quarum illae qualitates fint. Sic in hoc quoque loco *tranquillitati mentis* tribuit, quod proprium eft mentis tranquillae, cum illam tranquillitatem *vera quaerere* dicit. Hanc loquendi rationem Ciceroni perfamiliarem fuiffe, teftantur quae iam complura illius generis exempla collegimus ad lib. II. Tufc. cap. 25. Et iam obfervavit doct, Cortius, quem nihil ferme, quod ad genium elegantiamque linguae Latinae pertineat, fubterfugit, faepius ex duobus fubftantivis uni adfignari id, quod magis proprie referatur ad alterum. Vide illum virum ad haec Ciceronis ad Fam. lib. XV. ep. 2. *indicia manifeftarum infidiarum* i. e. *indicia manifefta infidiarum.* [201]) Quae cum ita fint, vix aufim codicibus et coniecturis illis obedire, quae *quaerentis* legi pro *quaerenti* iubent. Quod autem Gellius lib. IV. c. 11.

[201]) Nifi auctoritas librorum praevalet, defendi debet vulgata, quae facilius corrigi quam fingi potuit. *Tranquillitas animi quaerens vera* dicitur, ut pr. Lege Manil. 9, 22. *eorum* (membrorum) *collectio difperfa.* ubi fruftra coniiciebant *difperforum.* de Nat. deor. 2, 19. *umbra terrae fibi officiens.* Heindorfius dedit *officientis.* Et *tranquillitas animi* accipi poteft pro tranquillo animo. In quo ufu vocabulorum qualitatem et genus defignantium admodum frequens eft Cicero, magis tamen Salluftius. Cic. in Catil. 1, 3, 9. *voces coniurationis.* de Lege agrar. 2, 4, 13. *fpe fimulationis* i. q. fimulata fpe. Alia vide apud Hottingerum et apud Matthiae ad Orat, de Lege Manil. 9, 22.

locum ſic adfert - - *tranquillitatem mentis quaerentibus contrariam;* iſtam variationem incidiſſe videtur auctor ſolo memoriae vitio, eamque per incuriam, quae ipſi cum multis aliis auctoribus communis fuit, ut in adferendo loco animus intentus in praecipua illius parte, reliquas haud ſatis conſiderate tractaret. Ceterum in loco Ammiani, quem paullo inferius laudat corrigitque clar. Daviſius, mendum alia quadam ratione libenter ſuſtulerim. Sic loquitur hiſtoricus lib. XIV. c. 11. *Solutus enim corporeis nexibus animus, ſemper vigens motibus indeſeſſis, et cogitationibus ſubiectus et curis, quae mortalium ſollicitant mentes, colligit viſa nocturna, quas φαντασίας nos appellamus.* Valeſius coniicit legendum, *et cogitationibus abiectis et curis;* Daviſius autem, *et cogitationibus non ſubiectus et curis,* vel *nec cog. ſ. e. c.* Quid ſi, ſalva ſummorum hominum ſententia, reſcribamus, *et cogitationibus SUBDUCTUS et curis;* nonne ex facillima mutatione loquendi forma reſurget elegantiſſima? [202]) 254

Ibidem: *Divinare autem morientes illo etiam exemplo confirmat Poſidonius, quo adfert, Rhodium quendam morientem ſex aequales nominaſſe et dixiſſe, qui primus eorum, qui ſecundus, qui deinde deinceps moriturus eſſet.* Primo obſervandum duriuſcule ſe habere illud *quo adfert.* Forſitan reſcribendum, *quod adfert; Rhodium quendam* etc. vel potius, *qui adfert, Rhodium quendam* etc. ita enim relativum pronomen ſae-

202) Neſcio, an ab omnibus criticis diſcedam, quum hunc locum integrum, nec coniectura emendandum eſſe arbitror. Senſum enim verborum hunc mihi colligo: is animus, qui ſemper vigens motibus et cogitationibus et curis ſubiectus eſt, quum ſolutus eſt corporeis nexibus, colligit viſa nocturna.

piſſime deflectere a demonſtrativo, docuimus ad haecce Tuſc. lib. III. c. 24. *Nec ſiletur illud potentiſſimi regis anapaeſtum, qui laudat ſenem* etc. Et *adferre* ſaepe ſine accuſativo idem valet, quod dicere, narrare, exponere. infra lib. II. c. 16. *Sed adfers, in tauri extis - - cor non fuiſſe.* Tuſc. lib. III. c. 23. *Haec enim oratio - - tantummodo adfert, nihil eveniſſe quod non opinandum fuiſſet.* [203]) et lib. I. c. 29. *In quo igitur loco eſt? Credo equidem in capite; et cur credam, adferre poſſum.* Secundo iam loco attendant, quibus huiusmodi res curae ſint, quomodo cum linguae ratione, Tulliique elegantia conciliari poſſint iunctae illae voculae *deinde et deinceps*, quas nemo ignorat eandem plerumque vim habere. Illud quidem apud virum doctiſſimum tanti ponderis erat, ut cum Elienſi codice legendum duceret *qui demum deinceps moriturus eſſet.* Ceteri codices, quos adfert ille, dant *qui deinde, qui*
255 *deinceps moriturus eſſet*, vel *qui tertius, qui deinceps m. e.* At quamvis *deinceps* ſaepius idem denotet, quod poſtea, mox, aut ſimile quid, eoque nomine cum appoſita vocula *deinde* prorſus aequipolleat; non tamen deſunt loca, in quibus diverſum aliquid ſignificet, proptereaque τῷ *deinde*, *poſtea* aliisque eiusmodi voculis ſubiici non ita difficulter poſſit. Scilicet cum *deinde* ſit idem quod poſtea, reſpondeatque τῷ ἔπειτα Graecorum; *deinceps* proprie relationem habet ad ſeriem quandam atque ſucceſſionem, et exprimit id quod Belgico vocabulo *vervolgens, by vervolg*, et Graeco ἐφεξῆς

203) At adeſt in his ablativus cum infinitivo compoſitus. In tertio exemplo verba *cur credam* vicem ſubſtantivi explent. Tamen elegans eſt emendatio iſta, *quod affert*, quam quum oxonienſes codices confirment, equidem receperim.

appellatur. Atque ita sumitur de clar. Orat. cap. 3. *posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt.* de Leg. lib. III. c. 2. *quod genus imperii primum ad homines iustissimos et sapientissimos deferebatur: deinde etiam deinceps posteris prodebatur.* Livius lib. II. c. 47. *Funera deinde duo deinceps collegae fratrisque ducit.* [204]) Nec suavius sonat, quod *deinde* cum *post haec* iunxit Lactantius lib. I. cap. 14, 11. *Posthaec deinde Saturno datam sortem.* cuius generis exempla plura collegit Sanctius in Min. lib. III. exeunte, et Vechnerus Hellen. lib. I. p. 93. quibus etiam haud aegre se vindicat illud *primum* post *principio*, in his de Fin. lib. I. cap. 6. *Principio, inquam, in physicis, quibus maxime gloriatur, primum totus est alienus. Totus* ibi relative dicitur, pro fere totus. [205]) confer N. Deor. I, c. 26. Hisce iam adde, quae mox dicemus ad cap. 33. ubi concurrunt eodem modo *subito*, et *ex tempore*, quae sane haud magis inter se discrepant, quam *deinde* et *deinceps*.

Cap. eodem: *Idque, ut modo dixi, facilius eveniet, appropinquante morte, ut animi futura augurentur.* Haud bene connecti oratio videbatur viro cl., qui emendabat *Itaque*, vel *Ideoque, ut modo dixi, facilius evenit;* nam *evenit* erat in omnibus eius codicibus, non *eveniet*. Nobis autem complura observata 256
sunt in Cicerone exempla, in quibus pronomen tam demonstrativum, quam relativum duriuscule connectat

204) Vide Drakenborch. ad hunc Livii locum. Assenserunt Hottingerus et Goerenzius: et iure quidem.

205) In defendendo vocabulo *primum* egregie versati sunt Bremius et Matthiae. At ipse hic locus ad illud genus referri debet omissi vocabuli *deinde*, quod Wopkensius illustravit p. 73.

ſenteutias; dum neſcioquomodo involvat id, quod modo dictum ſit, ac nihilominus per quandam *ταυτολογίαν* explanetur in ſequentibus. Ita in hoc loco *Idque* referendum ad antecedentia iſta, *Divinare autem morientes*, et *Sed tribus modis cenſet Deorum appulſu homines ſomniare;* quod cum incluſum ſit iſti pronomini, additur tamen *σαφηνείας ἕνεκεν, ut animi futura augurentur.* Huic rei indicio ſunt loca illa, quae iam contulimus ad Tuſc. lib. I c. 37. et N. Deor. lib. I. c. 15. Pariter quoque lib. II. de N. Deor. cap. 38. *Quod ſi hoc idem* (reſpice antecedentia) *ex aeternis tenebris contingeret, ut ſubito lucem adſpiceremus,* etc. lib. III. cap. 10. *Idemque ſi Di non ſint, negat eſſe in omni natura homine melius. Id autem putare quemquam hominem, nihil homine eſſe melius, ſummae arrogantiae cenſet eſſe.* ubi haud facile ſubſcripſerim ſententiae iſti, quae illa *nihil homine eſſe melius*, gloſſematis damnat. [206]) Plura, quae talibus locis vindicandis inſerviunt, adferemus infra ad lib. II. c. 41. Sed antequam de tabula tollamus manum, tentabimus aliquid in loco Senecae epiſt. 108. ubi iſta legimus - - *cum ambulantem quoque illum ad aliquas diſputationes evocaremus, non tantum paratum diſcentibus, ſed obvium. Idem, inquit, et docenti et diſcenti debet eſſe propoſitum, ut ille prodeſſe velit, hic proficere.* Coniiciebat cel. Lipſius, *Id, inquit et docenti* etc. quae quidem emendatio illuſtrari illis poteſt, quae hic nunc adnota-

206) His adde, quae Hottingerus diſputavit. Nunc neque de uſu particula *que*, neque de pronomine nomini ipſius rei praemiſſo dubitabitur. Per *que* in hac loquutione adiicitur aliquid, quod aut illuſtrat et definit antecedentia, aut ex ſuperioribus colligitur, ut fere idem ſit, quod *et ita*, germanicum *und ſo*.

vimus de ancipite relatione pronominis *id;* quod continet memoratam iam ad disputandum evocationem, do- 257
cendique promtitudinem, et explicatur tamen deinde sequentibus verbis, *ut ille prodesse velit*, *hic proficere.* Sed forte propositum doctoris et discipuli *idem* satis recte dici potest, quum alter ab altero illo, qui ipsi prodesse velit, adiuvari atque doceri cupiat. Sin autem id minus arrideat, possis eodem plane usu pronominis demonstrativi remanente, mutatione quidem leviore, sententiaque non minus eleganti; sic rescribere--*sed obvium. ID ENIM, inquit*, etc. eoque modo scripsisse philosophum mihi admodum verosimile est, quoniam hoc praeter alia quoque suadere videtur elegantissimus usus coniunctionis *enim*, in principio orationis, qua quis ad alterius verba sic respondeat, ut illorum causam rationemque directe referat. [207]) Sic Cicero, quo neminem harum rerum auctorem atque testem meliorem proferre possumus, de Divin. lib. I. c. 54. - - *tum Socrates, non enim paruisti mihi revocanti* etc. de Legib. lib. II. cap. 17. Q. *Equidem ista agnosco* etc. M. *Non enim, Quinte, recte existumamus.* de Nat. Deor. lib. III. c. 40. *Tum Cotta, Ego vero - - facile me a te vinci posse certo scio. Quippe, inquit Velleius, qui etiam somnia putet ad nos mitti a Iove* etc. Sed a Seneca ad Tullium revertamur.

207) Et ego aliquando ita conieceram. Sed *idem* recte dicitur pro *eodem modo*, de quo usu dixi ad pag. 197. Ratio, quae modum rei agendae attinet, ipsi rei generi adscribitur.

## 258 CAPUT IV.

*Vulgata lectio Ciceronis aliquoties stabilitur: semel etiam tentatur.* **Et** *aliquando deest, ubi aliis in locis exprimitur.* His tribus horis, *i. e. proximis. Caesar ex codd. restituitur.* Vita *pro hominibus.* Dicere, *praedicere, Philo Iudaeus emendatur.* Globi κατ' ἐξοχὴν *globi ignei.* Vigilantes animi. *Cicero cum Lactantio vindicatur.*

Progrediamur in libro Tullii primo de Divinatione, cuius quidem cap. XXXIII, 72. sic loquitur auctor: *Quorum alia sunt posita in monumentis et disciplina --: alia autem subito extempore coniectura explicantur.* Bene omnino abest copula inter *subito* et *extempore*, quamvis *subito et extempore* legendum coniiciat V. C. quod codex Eliensis det *subito ut extempore.* In copulandis eiusmodi voculis, quae parum aut nihil inter se distant, milliesque una pro altera adhibetur, coniunctio modo additur, modo omittitur. [208]) Ita quod Florus lib. III. c. 6, 7. dixit *semel et in perpetuum*, illud lib. II. c. 12, 2. dicebat *semel in perpetuum;* ad quem locum posteriorem consulas erud. et acutissimum Dukerum. Sic quoque apud Ciceronem nostrum Tusc. lib. IV. c. 15. dicitur *per se, sua sponte*, quod de N. Deor. lib. II. c. 11. est *per se ac sua sponte.* Eodem modo ἀσυνδέτως con-

208) Haec aliquantum distant inter se. Tamen nec cum Hottingero pleonasmum hunc valde inertem censebimus, neque ea ratione, quam Wopkensius explanavit, defendemus. *Subito* enim est non diuturnis monumentis expressa, *ex tempore* autem est non a disciplina praescripta, non praeparata. Neque quaeram in Cic. Divinat. in Verr. 17, 57. utrum voc. *repente*, an verba *e vestigio* a glossatoribus adiecta fuerint. Plautus Mil. 2, 2, 22. *ita abripuit repente se subito.* Haec ex communis vitae consuetudine transeunt etiam in oratorum usum.

currunt *repente* et *e vestigio*, lib. I. in Verrem: *Sed repente e vestigio ex homine factus est Verres.* Conferamus ista Min. Felic. Oct. cap. 16. *Dicam equidem, ut potero, pro viribus.* quo dextre contulit cl. Davisius locum Lucretii lib. IV, 269. in quo parilis pleonasmus et asyndeton obtinet.

*Duritiem penitus saxi sentimus in alto.* 259

Adde Plauti prol. Menaech. init. *Salutem primum iam a principio propitiam mihi atque vobis, spectatores, nuncio.* Quinctilianus Declam. VIII, 21. *Vix aegre misero licuit mori.* ubi alterum aut *vix* aut *aegre* tollere, quod faciendum iudicabat celeb. Burmannus, mihi quidem religio est; nam si displiceat synonymia, voculam *aegre* sic ab antecedente *vix* distinguito, ut exponas, *multo labore id agenti*, quam illius vim ut pluribus comprobem non opus est. Plura vide supra ad cap. 30.

Cap. XXXV, 77. *Itaque tribus his horis concisus exercicus, atque ipse interfectus est.* Pronomen *his* habet venustatem aliquam, ob quam illud non facile exstirpaverim, licet a codice regio absit. *Tribus his horis*, id est, tribus horis proximis, et continuis cum illo tempore, de quo sermo est; sive illud tempus subsequutae fuerint, sive antecesserint; nam ea quoque vis est vocis *proximus*, cui plane respondet potestas huius pronominis. [209]) Sallust. Iugurth. cap. 31, 2. *Nam illa quidem*

209) Vid. Drakenborch. ad Liv. 5, 51, 5. At necesse est, ut, quod proximum ita dicitur tempus, aut id tempus, quo qui loquitur, vivit, aut aliud, quod intelligitur, attingat. Neutrum apparet in loco Ciceronis, neque ipsum pronomen significat *proximum*. Quare scripsisse videtur Cicero *itaque tribus iis horis* i. e. iis horis, quibus exercitum concisum esse ex historiarum libris scimus.

*piget dicere, his annis XV. quam ludibrio fueritis ſuperbiae paucorum.* ubi conſulatur doct. Cortius. Phaedrus lib. I. fab. 1. *Ante hos ſex menſes male, ait, dixiſti mihi.* ubi vide Schefferum ac Burmannum. Caeſar de B. Gall. lib. III. cap. 17. *Atque his paucis diebus - - ſenatu ſuo interfecto, - - portas clauſerunt,* etc. et lib. V. c. 25. *Huic Caeſar - - maiorum locum reſtituerat. Tertium iam hunc* (i. e. ab hoc tempore) *annum regnantem inimici palam - - interfecerunt.* ad quem locum codices multos in curis ſecundis commemorat cl. Daviſius, qui *eum* ante *interfecerunt* agnoſcunt; quae vocula addita forte a Caeſare, praetermiſſa autem a ſcri-
260 ptore librario, qui quod praecedens *hunc* ad *Tasgetium* referret, τὸ *eum* ſupervacuum ſpongio incumbere putabat. [210]

Cap. XXXIX, 85. *Quid enim habet haruſpex, cur pulmo inciſus - - proferat diem? - - quid aſtrologus, cur ſtella Iovis aut Veneris coniuncta cum luna, ad ortus puerorum ſalutaris ſit, Saturni, Martisve contraria? cur autem Deus dormientes nos moneat, vigilantes negligat? quid deinde cauſae ſit, cur Caſſandra furens futura proſpiciat, Priamus ſapiens hoc idem facere non queat? Cur fiat quidque, quaeris. Recte omnino,* etc. Legit clar. editor, *quid deinde cauſae eſt, cur* etc.? haec enim, inquit, a ſuperioribus non pendent. At mihi quidem omnino pendere videntur ab his ſuperioribus, *cur autem Deus dormientes* etc.? ſed illa male ſuſpenduntur ab iis, quae antecedunt, a quibus ſunt plena diſtinctione ſeparanda. Itaque in lectione quidem

210) Librarius, qui omiſit *eum* ante *interfecerunt*, etiam mutaſſe videtur verba *tertium iamnunc annum regnantem.* Id enim nondum correctum exhibent editiones antiquae.

nihil mutandum, ſed ſublatis poſt verba *negligat* et *queat*, interrogandi notis, hoc modo ſcribendum - - *contraria? Cur autem - - negligat; quid deinde cauſae ſit, cur - - non queat; cur ſiat quidque, quaeris. Recte omnino* etc. [211]) Ceterum quum mox ſequitur, *hac de re communis vita dubitavit;* exemplum habemus illuſtriſſimum, unde liqueat etiam Ciceronem nomen *vita* eo ſenſu uſurpaſſe, quem illi Phaedrus et alii tribuerunt, quum ſic loquerentur, *Prudenti vitam conſilio monet.* Per *vitam* nempe intelligebatur ipſe homo vel hominum genus, quam etiam Graecae vocis *βίος* ſignificationem multis probavit *ὁ πάνυ* Caſaub. ad Athen. lib. XV. c. 5. poſt eumque eruditiſſimus Hemſterhuis ad Luciani dialogos ſelectos. Ex Latinis ſcriptoribus plura exempla collegit celeb. Burmannus ad Phaed. prol. libri I. qui tamen humani quid patiebatur, quum Ciceronem eiusque aequales ita hanc vocem cepiſſe vix ſe putare ſcriberet. 261 Contrarium enim *ἀποδεικτικῶς* evincit locus memoratus, uti et plura talia. ſic Tuſc. lib. I. c. 45. *Sed profecto mors tum aequiſſumo animo oppetitur, cum ſuis ſe laudibus vita* (i. e. homo) *occidens conſolari poteſt.* et lib. III. c. 28. *futurum fuiſſe, ut omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur.* vide quoque lib. V. c. 5. et alibi. [212])

211) Hottingerus in reliquis conſentiens haec notavit: „quod vero Wopkenſius poſt verba *negligat* et *queat*.delendum exiſtimat ſignum interrogationis, ut apta tandem et illa ſint ex ſequenti verbo *quaeris*, in eo nimirum fruſtra eſt.“ Immo inconcinna eſſet oratio.

212) Burmann ad Lucan. 6, 311. „quum dixi hoc ſenſu eam vocem citra Phaedri tempora frequentiſſime poni, et etiam quosdam a Cicerone ita uſurpari iactare, Wopkens in Tull. lect. 3, 4. invertit Memnonitica ſtropha mea verba et dicit: *humani* etc. Quum tantum ex meis verbis poſſit

Cap. XL, 88. *et signis admoniti futura dicebant.* Lambinum merito redarguit clar. Davisius, verbum *dicere* in *praedicere* et hic et cap. sequente commutantem. Sed loco unico, a viro doctissimo in testimonium citato, digna sunt, quae adiungantur, sequentia. de Fato cap. 14. *ne Apollinem quidem futura posse dicere.* [213]) Lactantius lib. I. c. 12, 10. *nisi Themis futura dixisset.* et Epit. cap. 73. *Haec autem a prophetis et a vatibus futura dicuntur.* Plaut. Poen. II. sc. 1. *non bona haruspex dixit.* Silius Ital. lib. XIII. v. 819.

*- - venturaque dixit*

*Regna viro - -*

ubi plura elegantissimus Drakenborgius.

colligi, alios id prodidisse, sed me nondum vidisse exempla ex Cicerone producta, quibus adductis ipse non modo id crederem, sed gauderem meam Phaedri explicationem inde confirmari. Quare licet non negari iam possit, *vitam* a Cicerone eo fere sensu dictam, videtur tamen potius ille vivendi rationem communem intellexisse, quam, ut Plinius et alii, ipsum genus humanum et saeculum, de quo agunt, quamquam non multum intersit. Gratiae ergo habendae forent Wopkensio, si simplicius, non, ut fere semper solet, maligne et insidenter mea verba, ut aliquid haberet, quod carperet, adduxisset: immo potuisset addere Virgilium, qui lib. VI. Aen. 663. *inventas aut qui vitam excoluere per artes.* ubi etiam vivendi ratio et disciplina potest explicari." Ernestius in Clavi Cicer. p. 835. Burmannum sequitur. Conf. Burmann. Sec. ad Antholog. T. I. p. 99. Ciceronis usus a recentioris temporis dictione eo differt, quod ille vocabulum *vita* non absolute de vita et consuetudine et moribus hominum usurpavit. Quare addit aut adiectivum, aut aliud nomen. Sed Plinius aliique *vitam* dixerunt pro vita hominum, sive pro vita communi. In Tusc. 1, 45. *vita occidens* dicitur, quam quis vixerit, pro vitae fine: 3, 28. *hominum vita* vocatur vivendi ratio: in 5, 5. de beata vita agitur. Et de Divin. additum est voc. *communis.*

213) Adde de Divinat. 2, 33, 70.

Cap. XL, 88. *Amphiarum sic honoravit fama Graeciae, Deus ut haberetur, atque ut ab eius solo, in quo est humatus, oracula peterentur.* Codicum monstris nimium tribuisse videntur doctissimi duumviri Gruterus ac Iac. Gronovius, quorum ille tentabat.. *oracula praestarentur*, quod in libro quodam videret, *oracula peterentur vel praeberentur:* hic vero legebat *oracula praeberentur*, quod Palatinorum quidam referret. Sed ineleganter locutus fuisset Tullius, si Amphiarum sic honoratum fuisse diceret, ut ab eo solo, in quo humatus esset, oracula praestarentur, vel praeberentur. Est quoque phrasiologia, quam comminiscuntur isti viri, insolens atque rara; quum ea, quam tollunt, sit Tullio familiarissima. Si nescis, vide supra cap, 34. et infra cap. 43. 262

Cap. XLI, 91. *Nec quisquam rex Persarum potest esse qui non* etc. Huc vir cl. locum contulit Philonis Iudaei de spec. leg. pag. 611. aliis 792. *Τὴν μὲν οὖν,* inquit Philo, *ἀληθῆ μαγικὴν--βασιλέων οἱ μέγιστοι, καὶ μάλιστα οἱ Περσῶν διαπονοῦσιν οὕτως, ὥστ' οὐδένα φασὶν ἐπὶ βασιλείαν παραληφθῆναι δύναμιν παρ' αὐτοῖς, εἰ μὴ* etc. At quod ille pro *δύναμιν* legit *δύνασθαι* vel *δυνάμενον*, coniectura est probabilis illa quidem, sed vide tamen an, leviore cum mutatione, sensus haud incommodior exsurgat, si reposuerimus, *ὥστ' οὐδὲν φασὶν ἐπὶ ΒΑΣΙΛΕΙΟΝ παραληφθῆναι δύναμιν παρ' αὐτοῖς, εἰ μὴ* etc. nam *βασίλειος* vel *βασιλικὴ δύναμις* saepius, nisi fallor, idem denotat, quod *βασίλεια.* [214])

214) Nihil mutandum videtur, sed coniungenda esse *βασιλείαν δύναμιν*, ut femininum sua forma in hoc adiectivo efferatur, nec cautio illa adhibeatur, de qua Buttmannus in Gramm. uber. Tom. I. p. 247. loquutus est.

Cap. XLIII, 97. *quum coelum diſceſſiſſe viſum eſt, atque in eo animadverſi globi.* Vox *globi*, ubi de meteoris ſermo eſt, per ſe ſatis valere videtur, absque epitheto, quod adiiciendum putabatur, *ignei*. Sic enim ſaepenumero *columnae*, *trabes*, *virgae*, *coronae* abſolute nominantur. Seneca epiſt. 94. *nocturni ignium tractus*, etc. *columnaeque ac trabes, et varia ſimulacra flammarum.* vide quoque Nat. Quaeſt. lib. I. cap. 10. et alibi.

Cap. XLVIII, 107.

*Curantes magna cum cura, concupientes,*
*Regni, dant operam ſimul auſpicio augurioque.*
*Hinc Remus auſpicio ſe devovet, atque ſecundam*
*Solus avem ſervat. At Romulus pulcer in alto*
*Quaerit Aventino, ſervans genus altivolantum.*

Quaedam iam de hoc loco dixi ſupra ad N. Deor. II, 58.
263 Nunc aliud quid in illum tentabo, coniectura tamen dubitante, circumſpectante, haeſitante, multaque adverſa reverente. Scilicet in eo reliqui ſcriptores conſentiunt univerſi, Romulum ut augurium caperet, Palatinum, Remum vero petiiſſe Aventinum; eaque de cauſa mons poſterior extra pomoerium fuit, quod Remus illuc auſpicatum iverat. Niſi igitur melius quid in mentem venerit, reponamus

— *augurioque. HINC*
*ROMULUS auſpicio ſe devovet, arte ſecundam*
*Solus avem ſervans. REMUS ILLINC pulcer in alto*
*Quaerit* etc.

Sane vix eſt, ut in re tam vulgari tanto opere ab reliquis Ennius diſſenſerit. [215])

215) Hottingero Ennius videbatur memoria lapſus eſſe. Quod poetae tam prudenti vix imputari poteſt. Sed vid. Nie-

Cap. XLIX, 110. *Sed vigilantes animi vitae necessitatibus serviunt, diiunguntque se a societate divina.* Rescribebat commentator eruditissimus, *Sed vigilantium animi* etc. propterea quod pro Quinti sententia vel in somnis vigeant, atque adeo etiam vigilent animi, ut videre est cap. 51. lib. II. c. 67. et alibi. At nihil obstat, quo minus Quintus in uno loco populari modo loquatur, quum sit in alio philosophice loquutus. Et in locis sequentibus eadem plane loquendi ratio est. infra lib. II. c. 62. *Is* (animus) *incidit in varia visa et incerta ex reliquiis, ut ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum, quas vigilans gesserit.* et cap. 63. *ut mobiliter animus agitatus, quod vigilans viderit, dormiens videre videatur.* Sic quoque pueri in distichis Catonis didicimus:

*Somnia ne cures; nam mens humana, quod optat* 264
*Dum vigilat, spectat per somnum semper id ipsum.* [216])

Neque sane in loco Ciceronis proposito hoc culpandum, quod animis tribuitur id, quod proprie de ipsis hominibus sit enuntiandum, vigilare ac servire vitae necessitatibus. Potest hoc illustrari ex illis, quae supra diximus ad Tusc. II. c. 25. quibus adde ista Senecae de Tranq. cap. 15. extr. *non potest grande aliquid et supra ceteros loqui, nisi mota mens.* Ita *vigilantes curae* sunt quas curant homines vigilant, infra cap. 43. *non contenti vigilantibus curis, - - somniandi causa excuba-*

buhri aureum opus, Historiae romanae Vol. I. p. 228. edit. sec.

216) Alii scripserunt: *quod optat, dum vigilans sperat, per somnum cernit id ipsum.* Codex, cuius varietatem notatam habeo, *vigilat.*

*bant. Vigilantes cogitationes* ſunt *vigilantium cogitationes:* lib. II. cap. 68. *inerant enim in . . animis vigilantium cogitationum veſtigia.* Quas phraſiologias ſi philoſophice inſpectes, haud minor in iis apparebit *ἀκυρολογία*, quam qua *animos* videmus interdiu dici *vigilantes*, adeoque nocte ſupponi *dormientes.* Atque hinc nihil etiam mutare auſim infra cap. 57. *ſic animi hominum cum mente permoti, per ſe libere incitati moventur, cernunt ea, quae* etc. ubi legebat vir cl. *quum in mente permotis* ſc. hominibus. Lactant. Epitomes cap. 71. *ergo anima immortalis eſt, et ideo praeſentia bona contemnit, quia ſunt alia potiora, quae poſt diſſolutionem corporis ſui aſſequatur.* ubi *ſui* tollebat vir idem, codice quodam fretus, qui quidem mihi videtur fidem fallere.

---

265 CAPUT V.

*Cicero in lib. I. de Divin. bis terve tentatur et illuſtratur. Plinius defenditur. Pleonaſmus*, extrema puppis. *Repetitio eiusdem nominis. Sex Tullii loca defenduntur. Elliptica forma. Cicero obiter adſeritur.* Ita et ſic *notabili in uſu illuſtratur.*

Capite quinquageſimo libri primi Ciceronis de Divinatione talia legimus: *et ex monte Taygeto extrema montis quaſi puppis avulſa eſt.* In regio et Cantabrig. codice legitur, *et ex monte Taygeto extrema pars montis quaſi puppis avulſa eſt.* Daviſio videbatur noſter ſcripſiſſe, *ex monte Taygeto quaſi puppis avulſa eſt:* ut illa *extrema pars montis* ſint gloſſema librariorum, qui vocem *puppis*, qua Cicero *μεταφορικῶς* extremam partem ſignificaverit, hoc modo explicandam

putarent: vix enim eſſe ut terſiſſimo ſcriptori odioſa *montis* repetitio excidiſſet. Male quoque Tullium intellectum putabat vir laudatus diligentiſſimo Plinio, qui montis parti abruptae puppis formam tribueret, dum ita loqueretur Hiſt. Nat. lib. II. c. 79. *et Taygeti montis magna pars ad formam puppis eminens abrupta eſt.* At vero metaphorica iſta ſignificatio nominis *puppis,* qua non navis tantummodo, ſed cuiusque alius rei extremitatem quamlibet denotet, Tullio aequalibusque eius haud ita uſitata fuit, quin illius exempla merito requiras. Et, ſi forte ſatis Latina, Ciceronisque ſtylo conſentanea eſſe probari poſſit, in hoc tamen loco, niſi me quidem fallunt omnia, agnoſci plane nequit; quippe quod manifeſto vetet vocula *quaſi*, alioquin enim idem eſſet, ut ſi diceres *avulſam eſſe quaſi extremam* 266
*partem*, quomodo numquam balbutiit Cicero, Quamobrem Tullii mentem recte adſequutus fuiſſe videtur Plinius, qui magnam montis partem, *ad formam puppis eminentem*, abruptam eſſe declaraverit: cumque nulla plane ſit tralatio vocis *puppis*, non potuerunt illam librarii ſibi explicandam putare. Quid ergo? vocem *pars* videntur adſcripſiſſe nugatores, quod *quaſi puppis* haud dici poſſe autumarent, niſi praeceſſiſſet *pars*, aut nomen iſtiusmodi ſubſtantivum; quod tamen falſum eſſe, demonſtravimus ad Acad. lib. I. c. 9. Vel quum *puppis* per ſe ſit extremum aliquid, forte crucem illis figebat adiectivum illud *extrema*, idque alio quodam ſubſtantivo credebant eſſe fulciendum. At *extrema puppis* dicitur eodem pleonaſmi genere, quo *extrema ora*, de N. Deor. II. c. 40. *primus ortus*, de Leg. lib. III. c. 8. *ſuprema mors*, Horat. lib. II. ep. 2. *ſincera veritas*, Min. Fel. in Oct. cap. 27. *falſa adulatio*, ibidem c. 29. cum nota er. Daviſii. Nihil itaque in lectione

vulgata quempiam offendere poteſt, niſi forte quod *montis* tam ſubito ſequatur poſt *monte*. Iſta autem repetitio ſi displiceat, ferro ignique non opus eſt ad locum ita refingendum, *et ex monte Taygeto EXTREMITAS quaſi puppis avulſa eſt*, vel -- *extrema NAVIS quaſi puppis avulſa eſt.* [217]) Sed vel illam eiusdem nominis repetitionem de loco movere mihi plane religio eſt. ſic enim Frontinus de lim. agrorum pag. 42. *Relicta autem loca ſunt, quae ſive locorum iniquitate, ſive arbitrio conditoris relicta, limites non acceperunt.* Caeſar de B. Gall. lib. I. c. 38. *reliquum ſpatium - - mons continet magna altitudine, ita ut radices eius montis, ex utraque parte, ripae fluminis contingant.* et lib. VI.
267 c. 18. *In reliquis vitae inſtitutis hoc ferc a reliquis differunt.* Cicero de Fin. lib. I. c. 13. *gubernatoris ars - - utilitate, non arte laudatur.* Tuſc. lib. I. c. 22. *Eſt illud quidem vel maximum, animo ipſo animum videre,* (quae etiam, ut hoc obiter moneam, eadem Syneſii ἔννοια eſt, epiſt. 44. p. 116. κἄπειτα αὐτὴν τὴν ψυχὴν αὐτῇ τῇ ψυχῇ θεασάμενος, etc.) et cap. 19.

217) Has coniecturas ne flocci quidem faciamus. In exemplis, quae ad defendendum vocabulum *montis* afferuntur, plurima ſunt alieni generis. Huc enim duo tantum pertinent, Frontini et Caeſaris de Bell. Gall. 1, 38.: in reliquis aut idem vocabulum ad aliam rem refertur, aut, praemiſſa relativa ſententia, iterum ponendum erat vocabulum in primaria parte enuntiationis. Apud Caeſarem quum legatur in aliis libris *ut radices montis*, omiſſo pronomine *eius*, mirari licet, quod nemo adhuc vocabulum *montis* interpolationis nomine ſuſpectum habuit. Attamen illud *eius* additum videtur ab aliquo, qui perſpicuitati conſulere voluerit. In Ciceronis loco equidem nihil mutaverim: nam verba *montis quaſi puppis* vix poſſunt divelli, et quod antea *Taygeto* additur voc. *monte*, non factum eſt a gloſſatore, ſed ex more Ciceronis.

*Accedit ut eo facilius animus evadat ex hoc aere, . . . quod nihil eſt animo velocius, nulla eſt velocitas, quae poſſit cum animi celeritate contendere.* lib. III. c. 26. *Sed ad hanc opinionem magni mali cum illa etiam opinio acceſſit.* de Legibus lib. II. c. 6. *ut priusquam ipſam legem recitem, de eius legis laude dicam.* Catil. orat. III. c. 10. *In hoc autem bello, quale bellum nulla unquam barbaria cum gente ſua geſſit, quo bello lex haec fuit conſtituta.* ad Quint. Frat. lib. I. ep. 1, 6. *quae res ad officium imperii tui ... pertinebunt. de his rebus ne quid attingat.* His adde quae Barthius ad Stat. Theb. X. vſ. 449. Cortius ad Salluſt. Cat. c. 23, 3. et nos ad Tuſc. III. c. 5.[218]) Hisce autem munimentis facile ſeſe tuentur loca ſequentia, quae coniecturis ſuis aggreſſi ſunt docti. de Leg. lib. III. c. 18. *eſt ſenatori neceſſarium noſſe remp. (idque late patet) quid habeat militum, quid valeat aerario; quos ſocios reſp. habeat, quos amicos. τὸ reſpub.* pro gloſſa habebat Manutius.[219]) ad Q. Frat. lib. I. ep. 1, 10. *Et quidem de iſto genere honorum quid ſentirem, ſcripſi ad te ante: ſemper eos putavi, ſi vulgares eſſent, viles; . . ſi vero meritis tuis tribuerentur, exiſtimabam multam tibi in his honoribus operam eſſe ponendam.* vocem *honoribus* delendam putabat editor nuperus. Tuſc. lib. IV. c. 30. *Eſt enim metus ut aegritudo praeſentis, ſic ille futuri mali: itaque nonnulli aegritudinis quandam partem metum eſſe dicebant: alii autem metum praemoleſtiam appella-* 263

218) Conf. p. 106.

219) Haec res tranſacta eſt per Goerenzium et Moſerum, quos vide. Beierus contradicturus erat. In reliquis exemplis allatis, praeter locum Tuſcul. 5, 31., qui haeſerit, aut adeo emendationem adhibuerit, is de orationis virtutibus vix iudicabit prudenter.

*bant.* Davisius legebat, *alii autem eum praemolestiam appellabant.* lib. V. c. 5. *Si enim nulla virtus prudentia vacat, prudentia ipsa hoc videt, non omnes bonos esse etiam beatos; multaque de M. Attilio - - recordatur. Beatam vitam, si imaginibus potius uti, quam rebus ipsis placet, conantem ire in eculeum retinebit ipsa prudentia.* posterius illud *ipsa prudentia* librariis attribuebat idem vir clarissimus. ibidem cap. 31. *sic vita non solum undiquaque referta bonis est, sed si multo maiore et graviore ex parte bona propendent, beata recte dici potest. Sequetur igitur bonorum ratione* etc. Bentleius coniiciebat, *Sequetur igitur horum ratione.*[220]) lib. III. c. 28. *quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, - - hominibus tam exiguam vitam dedisset,* explodebat posterius illud *vitam* vir idem eximius.

Cap. LI, 116. *Hic magna quaedam exoritur, - - somniorum Antiphontis interpretatio, eodemque modo et oraculorum et vaticinationum: sunt enim explanatores, ut grammatici poetarum.* Lambinus legebat *sunt enim harum rerum explanatores,* Davisius *sunt enim explanatores omnium horum,* quod reg. et Cantab. haberent *sunt explanatores somniorum.* Mihi autem, leviore mutatione, reponendum videtur.. *interpretatio: eodemque m. e. o. e. vaticinationum sunt ETIAM explanatores, u. g. p.*[221]) Sequitur: *Nam ut aurum et argentum, aes, ferrum frustra natura divina genuisset, nisi eadem docuisset, quemadmodum ad eorum venas*

220) Quod quum legatur in codicibus, verum et antiquum videtur.

221) Illud *etiam* vehementer languet, nec quidquam offensionem praebet in vulgari scriptura: quamquam ob compendii similitudinem facillima est emendatio, *sunt enim eorum explanatores.*

*perveniretur: nec fruges terrae, baccasve arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus et conditioues tradidisset; materiave quid iuvaret, nisi confectionis eius fabricam haberemus? sic cum omni utilitate, quam Dii hominibus dederunt, ars aliqua coniuncta est, per quam illa utilitas percipi* 269
*possit*, Locum prolixius descripsi, quo facilius constet, quid me in illo male habeat. Hoc autem est illa interrogandi forma, *materiave.. haberemus?* quam si cum praecedentibus *προτάσεως* membris conferas, manifesta fiet orationis absolutae in interrogatoriam conversio longe durissima, atque Tullii stylo comptissimo prorsus aliena. Hoc autem ingens, ut ego arbitror, incommodum tollendum videtur, ita scribendo ac distinguendo: *Nam ET aurum.... haberemus? Sic cum omni* etc. nam *πρότασις* aliquando absolute enunciatur, ut sit ab *ἀποδόσει* puncto, quod vocamus, separanda; ut iam vidimus, ad lib. III. de Nat. Deor. cap. 10. [222])

Ibidem: *Quomodo autem.. videant, quae nusquam etiam tunc sint, magna quaestio est.* Sunt viri docti, qui lacunam statuunt in huiusmodi locis, sed falluntur. [223]) Exemplo sit locus ille de Nat. Deor. lib. I. c. 1. *utrum nihil agant.. an* etc. *magna dissensio est:* ubi Manutius legebat *magna de eo quaestio est*, Lambinus *de eo magna dissensio est.* At pari quoque modo et

222) Errorem Wopkensii gnaviter redarguit Hottingerus. Ipse ille meliora docuerat ad Tusc. 5, 27. p. 151.

223) Nimirum falluntur hodierni sermonis ratione. Nos enim utimur verbis *Gegenstand*, *Gefühl* et similibus ad notionem et modum rerum distinctius significandum, quibus Latini carent, et ipsas res designant. Ita apud Ciceronem *quaestio* est res, de qua quaeritur, *der Gegenstand der Untersuchung*, *officium* saepe id quod *Pflichtgefühl*, et sic alia.

Cicero paſſim, et Min. Felix cap. 11. *culpam tamen vel innocentiam ſato tribui, . . veſtra conſenſio eſt.* Lactantius lib. III. cap. 8, 16. *quae ipſa quae ſint, magna contentio eſt.*

Cap. LIII, 121. *Ut igitur qui ſe tradet ita quieti, praeparato animo cum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem adcommodatis* etc. Voculam *ita*, praetermittentibus regio et Cantab., tamquam ſuperfluam et ſpuriam expungebat editor doct. Omnino illam oratio non ita flagitat, ut ſenſu ſalvo atque incolumi migrare hinc non poſſet; verum tamen ubi de quiete occupationumque remiſſione ſermo eſt, haud inelegans videtur huiusmodi particulae uſus, quem auribus iudi-
270 care facilius eſt, quam verbis deſcribere. [224]) Horatius lib. II. oda XI, 14.

*Cur non ſub alta vel plantano, vel hac*
*Pinu iacentes ſic temere —*
*Potamus uncti?*

Seneca epiſt. 82. initio: *Multum intereſt inter otium et conditivum. Quid ergo? inquis, non ſatius eſt vel ſic iacere, quam iſtis officiorum vorticibus volutari?* Virgilius Aeneid. I. 229.

*— cum Iuppiter aethere ſummo*
*Deſpiciens mare velivolum terrasque iacentes,*

224) Hoc proprium eſt vocabulo *ſic.* Vellem auctor adiecisſet exempla verbi *ita.* Id hoc loco ſpectat ad proxima verba *praeparato animo* etc. Nam interdum *ita* praemittitur iis, quae ipſum modum demum indicant. In Senecae de Benef. 1, 1. reſtituendum videtur: *Sequitur enim, ut male collata male debeantur, de quibus non redditis ſero querimur:* ***ita*** *enim perierant, quum darentur.* Vulgo legitur *iſta.*

*Littoraque et latos populos, ſic vertice coeli*
*Conſtitit, et Libyae defixit lumina regnis.*

Appoſite D. Ioannes Euang. IV, 6. Ὁ οὖν Ἰησοῦς κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, ἐκαθέζετο οὕτως ἐπὶ τῇ πηγῇ. ad quem locum vide Poſſinum in Spicil. Euang. §. 67. in primisque doct. Raphelium et Elsnerum, quibus etiam confer Vigerum de Idiot. L. G. p. 301.

---

## CAPUT VI.

*Origines defenditur. Pleonaſmus pronominis apud Graecos illuſtratur, et in Xenophonte atque Arriano adſeritur. Clemens Alexandr. ex coniectura cl. Hemſterhuſii emendatur. Ciceronis locus in lib. I. Div. vindicatur.*

Ad haecce verba capitis 53. libri primi Ciceronis de Divinatione, *Eadem efficit in avibus divina mens* etc. hunc locum Originis contra Celſum lib. IV. p. 222. allegabat erud. Daviſius, ubi inter alia ſic loquitur ille auctor: ἄλλοι θειοτέρας αὐτῶν, καὶ πρὸς τοῦτ' ἐπιτη- 271
δείους αὐτῶν εἶναι τὰς ψυχάς. Vocem αὐτῶν in priore aut poſteriore membro delendam credebat vir laudatus, quippe quae prorſus abundet. [225]) Attamen παρέλκον illud haud inuſitatum eſt, ne Atticis quidem optimaeque notae auctoribus, ut iam obſervavit Lamb. Bos ad haecce Rom. VII, 21. Εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον, τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται. et P. Horreus ad verba Aeſchinis Socr. Dial. III. §. 1. Ἐξιόντι μοι ἐς Κυνόσαργες, καὶ γενομένῳ μοι

225) Non tantum abundat, ſed orationem omnino turbat. Et videtur errore calami proxima verba praetermittentis factum eſſe.

κατὰ τὸν Ἐιλισσον etc. Nos alia quaedam addemus, ut locum etiam unum et alterum, praeter hunc Originis, iuxta vulgatam lectionem vindicemus. D. Matth. VIII, 1. Καταβάντι δὲ αὐτῷ ἀπὸ τοῦ ὄρους, ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί. et plura talia ex S. novi teſtamenti ſcriptoribus protulit Vorſtius de Hebraismis N. T. cap. XXVII. p. 108. Aeſchin. Socraticus Dial. II. §. 13. ἐγὼ τοι ὑμᾶς . . αὐτὸς ἂν ὑμᾶς ἐπειρώμην παύειν τῆς διαφορᾶς. Xenophon Cyropaed. lib. VI. p. 170. A. [4, 7.] ὅτι ἐμὲ αἰχμάλωτον γεγενημένην, καὶ ἐξαιρεθεῖσαν ἑαυτῷ, οὔτε με ὡς δούλην ἠξίωσε κεκτῆσθαι, etc. lib. IV. p. 107. E. [5, 29.] σκέψαι δὲ, καὶ οἵῳ ὄντι μοι περί σε, οἷος ὢν περὶ ἐμὲ, ἔπειτα μοι μέμφῃ. lib. VIII. p. 222. A. [4, 11.] ἃ δὲ ἐμὲ αἴσθοιτο βουλόμενον μὲν εἰδέναι τοὺς συμμάχους, αὐτὸν δὲ ἐμὲ αἰσχυνόμενον περὶ ἐμαυτοῦ λέγειν, ταῦτα etc. lib. V. p. 128. B. [3, 19.] σὲ δ' ἔφη, ὦ Γαδάτα, ὁ Ἀσσύριος παῖδας μὲν, ὡς ἔοικε, τὸ ποιεῖν ἀφείλετο, οὐ μέντοι τό γε φίλους κτᾶσθαι σὲ δύνασθαι ἀπεστέρησεν. Haec loca cum impunita dimiſiſſet Leunclavius, tandem ſcrupulum movere incepit in his, Mem.orab lib. V. p. 847. B. [Oecon. 10, 4.] οὐ γὰρ ἂν ἔγωγέ σε δυναίμην, εἰ τοιοῦτος εἴης, ἀσπάσασθαί σε ἐκ τῆς ψυχῆς. ubi vir ille doctus „in his, inquit, ἔγωγε σε „δυναίμην expungendum σε, quum ἀσπάσασθαι σε
272 „paulo poſt idoneo loco pronomen hoc exhibeat" quod quidem iudicium talo ſatis firmo niti haudquaquam videtur.[226]) Fortean recte quoque ſe habet geminatio iſta, apud Arrian. Diſſert. Epict. lib. IV. c. 4. p. 455. ἂν ἅπαξ εἴπῃς, πότε τις εἰς Ἀθήνας ἀπέλθῃ, (legendum videtur ποθεῖν εἰς Ἀθήνας ἀπελθεῖν, vel πότε ἔσται

226) Id etiam noviſſimi editores cognoverunt. Cf. Matthiae Gramm. p. 1312.

εἰς Ἀθήνας ἀπελθεῖν;) ἀπώλου· ἀνάγκη σε ταύτην τὴν ὄρεξιν ἀτελῆ μὲν οὖσαν ἀτυχῆ σε ποιεῖν. ubi clar. Meibomius coniiciebat, ἀνάγκη δὲ vel ἀνάγκη γε ταύτην τὴν etc.

Cap. LIV, 122. *Hoc nimirum illud eſt, quod de Socrate accepimus*, etc.. Ad haec illuminanda, opportune vir cl. contulit locum Clementis Alex. Strom. lib. I. pag. 368. edit. Oxon. καὶ τῷ Σωκράτει τὸ δαιμόνιον αἴτιον ἦν, οὐχὶ μὴ κωλύον, ἀλλὰ προτρέπον, εἰ καὶ μὴ προέτρεπεν. Sed quod ille hic legendum coniiciebat, οὐχὶ μὴ μόνον κωλύον, ἀλλὰ προτρέπον· aequi bonique conſulat, ſi hac de coniectura libere rurſum dicam, quid ſentiam. Fuit aliquando, ut locum forte defendi poſſe eo argumento iudicarem, quod vocula μόνον, quam hic ingerit vir doctus, non raro per ellipſin omittatur. Sed ecce, quae ſuper hac re rogatus, per litteras mecum humaniſſime communicavit vir doctiſſimus, mihique plurimum colendus Tib. Hemſterhuis. „In loco Clementis, inquit, vereor, ut vos utri„que ſenſum praeſtantiſſimi ſcriptoris ſatis perſpectum „habueritis; quem ſiquis recte perceperit, iam facilis „erit ad veram emendationem aditus. In eo diſputat „Clemens, omnesque ut hoc efficiat, contendit nervos, „τὸ μὴ κωλύον dici non poſſe αἴτιον· hoc enim evicto, „eos cauſa cadere neceſſe eſt, qui Deum, ſi mala et pec„cata non prohibeat, cauſam eorum faciunt. Quid „porro? Siquidem, inquit Clemens, χρὴ ἀκριβολο„γεῖσθαι πρὸς αὐτοὺς, ἔστωσαν τὸ μὲν μὴ κωλυτι- 273
„κὸν ... μηδ' ὅλως αἴτιον εἶναι· τὸ δὲ κωλυτικὸν ἐν„έχεσθαι τῷ τοῦ αἰτίου ἐγκλήματι. Hoc duplici exem„plo probandum atque illuſtrandum ſibi ſumit. En „prius. Ὁ γὰρ προασπίζων αἴτιός ἐστι τῷ προασπι„ζομένῳ τοῦ μὴ τιτρώσκεσθαι, κωλύων τὸ τρωθῆναι

„*αὐτὸν*. Nunc alterum illud ſuccedit, petitum a Socratis daemonio exemplum. *Καὶ τῷ Σωκράτει τὸ „δαιμόνιον αἴτιον ἦν, οὐχὶ μὴ κωλύον*, non ideo, quod „non prohiberet, ſic enim *αἴτιον* dici abſurdum foret: „quo igitur pacto? *ἀλλὰ προτρέπον*. Atqui hoc, ſi „Socrati fides conſtet, cum ipſa veritate pugnat; teſtatur enim ipſe apud Platonem in Theage, *ἀεί μοι σημαίνει, ὃ ἂν μέλλω πράττειν, τοῦτον ἀποτροπὴν. „προτρέπει δὲ οὐδέποτε*. quod Clementis, patrum eruditiſſimi, notitiam tam non effugit, ut hunc eundem „uſurpaverit locum pag. 334. edit. Colon. Iam vero „apparet, poſitam in iſtis verbis vitii ſedem; quae proinde ſi levi mutatione corrigantur, hunc tibi locum „ſaniſſimum praeſto. Ergo lege, *ἀλλ' ἈΠΟΤΡΕΠΟΝ*. „Senſus eſt, ſed et Socrati daemonium erat cauſa, etiamſi nunquam eum ad agendum impelleret; non ſane „propterea quod eum agere non prohiberet, ſed quod „revera ab agendis rebus, quas animo propoſuerat, „averteret." Sic locum Clementis curabat vir ille eximius, quem nos honoris cauſa libentiſſime nominavimus; cuius quidem ſententiae omnes, quibuscunque mens laeva non ſit, facillime acceſſuros non dubito. [227])

Cap. LVI. 128. *qui curſum rerum eventorumque conſequentiam diuturnitate pertractata notaverunt.* Tentat vir cl... *diuturna pertractatione notaverunt*, quod quid phraſi *pertractata diuturnitate* ſibi vellet Cicero, haud intelligeret. Non mirum ſane, non potuiſſe ſe
274 expedire virum doctum, dum vocem *pertractata* cum ablativo iſto *diuturnitate* conſtrueret, ad quem mihi

227) Senſum acute perſpexit Hemſterhuſius, ſed non eam emendationem adhibuit, qua ſimul corruptionis cauſſa appareret. Clemens enim, niſi fallor, ſcripſit *οὐχὶ μὴ κωλύον, ἀλλὰ παρατρέπον, εἰ καὶ μὴ προέτρεπεν.*

quidem haudquaquam pertinere videtur; ſed omnino referendum puto ad duo iſta ſingularia *curſum et conſequentiam*, quibus bene quadrat neutrum pluralis *pertractata*. *Diuturnitate* hic idem eſt, quod *longinquitate temporum* et *longo tempore* dictum eſt ſupra cap. primo: *Eandem artem etiam Aegyptii longinquitate temporum innumerabilibus paene ſaeculis conſecuti putantur*, et cap. 6. *obſervatis longo tempore ſignificationibus*, Nec dubium ſane, quin vox *diuturnitas* ſaepius abſolute ſeriem temporum longiorem ſignificet. ſic enim uſurpatur de Leg. lib. II. cap. 10. *animi labes nec diuturnitate evaneſcere, nec amnibus ullis elui poteſt.* de Senect. cap. XI. *nec ſubito frangitur, ſed diuturnitate exſtinguitur.* Sic quoque res, de quibus loquitur Cicero, notabantur pertractata diuturnitate, hoc eſt, non niſi poſt diutinam obſervationem pertractata et cognita. Si tamen haec explicatio noſtra, aut loquendi ratio, quam hic ſtatuimus, minus placeat, quam ſane non video quo quis iure reprobare queat, leviſſima mutatione reſtitui poſſet, *diuturna arte pertractata*, vel ſi te cruciat generum enallage, *diuturna arte pertractatam.* Sed nihil videtur movendum. [228])

228) Exempla adiectivi neutro genere ita poſiti vide apud Ramshornium p. 155. Nec quidquam mutandum videtur. Intelligitur enim diuturnitas obſervationis, cuius notio quodammodo in vocabulo *pertractata* latet.

275 ## CAPUT VII.

*Lectio Ciceronis recepta aliquoties retinetur; semel etiam atque iterum emendatur. Davisii correctio a Verburgii scrupulo defenditur.* Talis aliquis. Ἀκυρολογία, *qua in loco factum dicitur, quod sit prope locum factum. Enallage* τοῦ nil *et* nihil. Licet *cum passivo.* Enallage *praeteriti et praesentis; Cicero, Paterculus et Xenophon vindicantur.*

Sequitur liber Tullii secundus de Divinatione. Cap. I, 3. *Nam quid ego de Consolatione dicam, quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur? ceteris item multum illam profuturam puto.* Non quaerenda videtur in his oppositio inter *aliquantum* et *multum*, quasi diceret Tullius, Consolationem suam, quae sibi *aliquantum* tantummodo medicinae attulisset, *multum* aliis profuturam. Illud omnino velle videtur, vel se ipsum aliquid solatii percipere ex libro suo de Consolatione ceterosque homines inde, quemadmodum ex aliis ipsius scriptis, (nam id hic valet *item*) fructum haud spernendum capturos. Interrogandi autem notam, quam vulgo post τὸ *dicam* collocant, illam in sedem quam vides transponendam existimo.[229])

Cap. VII., 18. *Qui thesaurum inveniendum, aut hereditatem venturam dicunt, quid sequuntur? aut in qua rerum natura inest, id futurum?* Vulgati libri habent *inventurum*, sed omnino placet illud *inveniendum*, quod ex codicibus suis deprompsit, exemplisque illu-

229) Interpunctionem Wopkensius videtur eo consilio mutasse, ut verba *ceteris item* etc. tamquam in parenthesi adiecta notaret. At hoc non est necessarium, si potestas verbi *aliquantum*, quod est *sat multum*, *non parum*, recte percipitur. Percepit autem egregie Hottingerus.

ſtravit doct. Daviſius. Audiamus tamen, cl. Verburgius quid adferat, ut emendationem iſtam impugnet. „Daviſius, inquit, Reg. et Cantab. codd. ſecutus, dedit „*inveniendum;* male ſiquid ego diiudico, et contra Ciceronis genium et accuratam ſcribendi rationem. Non „negaverim, quod multis oſtendit Daviſius, participium paſſivi futurum, ut grammatici loquuntur, interdum adhiberi pro futuro infinitivi; ſed pro eo, quod „dubium aliquid innuit, et ſignificat quid forte poſſe „fieri aut non fieri, unquam poni, quemadmodum hoc „loco poneretur, id vero pernego. Semper adhibetur „de eo, quod certo eſt futurum." Hactenus vir ille celebris; cuius quidem notula quo pacto labefactet id, quod poſuerat Daviſius, ego ſane divinare nequeo. Non enim in hoc loco agitur de re, quae fieri poſſit, aut forte futura ſit, ſed quae certo ſit eventura. Theſaurum non forſitan, ſed certo certius inventum iri, neceſſeque eſſe ut inveniretur, dicebant ſcioli, de quibus hic loquitur Tullius. [230])

276

230) Hic locus eſt, in quo viri docti et inprimis Daviſius et Hottingerus quaerebant, num Cicero aliique ſcriptores participium futuri et gerundium de eo, quod fieri poſſet, uſurpaverint. Quaeſtionis ipſum argumentum bene conſtituerat Verburgius. Quamquam id, quod dicitur fieri debere, aut factum iri, non idem eſt, quod fieri poſſit, nec participium futuri umquam ponitur pro verbo *poſſe*, tamen hae notiones adeo cognatae ſunt, ut facile quum in aliis linguis, tum etiam in latina confundantur. Utrumque coniungitur, ubi coniunctivus locum obtinet, veluti Cic. de Off. 1, 45, 159. *illud forſitan quaerendum ſit, num haec communitas — ſit etiam moderationi modeſtiaeque ſemper anteponenda.* Sed de Orat. 2, 51, 209. *timor incutitur aut ex ipſorum periculis, aut ex communibus. Interior eſt ille proprius: ſed hic quoque communis ad eamdem ſimilitudinem eſt perducendus.* de Fin. 1, 2, 6. *ne ipſos quidem Graecos eſt cur tam multos legant, quam*

Ibidem: *Quod ſi haec . . habent aliquam talem neceſſitatem, quid eſt tandem, quod caſu fieri, aut forte fortuna putemus?* Non eſt, cur malimus, *aliquam tamen neceſſitatem;* vox enim *talis* nos reſpicere iubet ad finem capitis antecedentis, unde liquet qualem neceſſitatem intellexerit hic auctor. Et ſaepius ſic copulantur voces *aliquid* et *tale.* infra cap. 21. *Poteſt igitur tale aliquid etiam ſua ſponte - - exſtitiſſe.* ad Att. lib. XVI. ep. 8. *Non equidem hoc divinavi, ſed aliquid tale putavi fore.* de Nat. Deor. lib. I. c. 30. *Si igitur nec humano viſu quod docui, nec tali aliquo, quod tibi ita perſuaſum eſt, quid dubitas negare Deos eſſe?* Seneca de Conſtant. cap. 3. *Tale aliquid et in hoc eſſe ſuſpicor, quod prima ſpecie pulcrum atque magnificum eſt.* Lactantius Epit. cap. 12. *Vides ergo non omnia poetas confinxiſſe, et quaedam praefiguraſſe: ut cum*
271 *vera dicerent, aliquid tale numinis adderent iis, quos deos eſſe dicebant.* [331]).

Cap. IX, 22. *An Cn. Pompeium cenſes* etc. *ſi ſciſſet ſe in ſolitudine Aegyptiorum trucidatum iri?* Quid ergo? an non Pompeium in navicula trucidatum eſſe, tradunt optimae fidei auctores Plutarchus, Caeſar aliique? At quomodo in navicula, ſi in ſolitudine Aegyptiorum? Nodum hunc ſolvere nequiverunt viri eximii. T. Faber ſcribebat, *ſi ſciſſet, ſe a ſatellite Aegyptio trucidatum iri;* Daviſius autem coniiciebat, *ſi ſciſſet, ſe in celoce Aegyptia tandem*, vel *a ſpadone Aegyptio demum trucidatum iri?* Forte praeſtat vulgatam lectio-

*legendi ſunt.* Qui explicant *legi debent*, auctoris ſententiam pervertunt. Eſt vero: quam parati ſunt, qui legantur.

331) Neque differt ſenſus, ſive *tale aliquid,* ſive *aliquid tale* dicas. vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. 2, 1. p. 112.

nem retinere, quam ſic de meliore hariolari. Si enim reputemus Pompeium in navicula quidem interſectum eſſe, ſed tamen ad littus illud, quod ad hanc Aegyptiorum ſolitudinem pertineret; magna iam difficultatis pars ſublata erit, reliquamque haud aegre tollet ἀκυρολογία, auctoribusque probatiſſimis haud plane inuſitata, qua aliquid in loco factum dicant, quod prope iſtum locum acciderit. Sic Strabo, exempli gratia, τὴν νεκυΐαν τὴν Ὁμηρικὴν ἐν Ἀόρνῳ collocat, quam Maximus Tyrius Diſſert. XXVI. p. 261. περὶ λίμνην Ἄορνον fuiſſe ſcribit. Simile quid iam obſervatum fuit Ad. Relando in Palaeſt. illuſtrata, aliisque.[232]

Cap. X, 25. *Addunt ad extremum, omnia levius caſura, rebus divinis procuratis; ſi enim nihil ſit extra fatum, nihil levari re divina poteſt.* Lectionem hanc ſtare non poſſe, bene viderunt viri acutiſſimi; ſed quum illi reſcribant, *ſin autem*, aut vero *nihil ſit extra fatum*, ego conieci aliquando, neque coniecturae me poenitet, *SED enim SI NIL ſit extra fatum* etc.[233] Neminem moleſte habeat, quod ſic *nil* et *nihil* tam exiguo ſpatio concurrunt, quum potius utrobique aut *nil*, aut *nihil* dicturus fuiſſe Cicero videri poſſit. ſic enim Tuſc. lib. II. c. 20. *ſi nil eſſet aliud, nihil eſſet homine defor-* 278

232) Fruſtra viri docti hariolati ſunt. Quod in promptu erat, non viderunt. *Solitudo*, quae eſt longe remota, neo hominum commercio frequentata terra, opponitur ſplendidis triumphis et vitae in hominum conſpectu antea actae. Sic de Amicit. 23, 83. *ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret, et in ſolitudine uſpiam collocaret.*

233) Nunc ſatis compertum et a criticis demonſtratum eſt, *enim* in aſſeveratione, et in iis, quae cum indignatione dicuntur, uſurpari pro *at enim.* Liv. 22, 25, 3. *id enim ferendum eſſe negat.*

*mius.* Seneca epist. XCIV. p. 333. *scis ut illi nil cum adultero, sic nihil tibi esse debere cum pellice.*

Cap. XIV, 34. *Sexcenta licet eiusmodi proferri.* Non erat, quod obnitentibus libris tam scriptis, quam editis, *proferre*, legendum coniicerent viri eruditissimi; verbum enim *licet* quamvis forte rarius, [234]) nonnunquam tamen cum passivo construitur. Sulp. Severus Hist. lib. I. c. 16. *quia sabbatho colligi non liceret.* ubi vide Jo. Vorstium. Lactantius Epit. cap. 5. *quam legi nisi a XV. viris non licet.* Ovidius Fast. lib. I. vs. 47.

*Fastus erit, per quem lege licebit agi.*

Caesar de B. Gall. lib. I. c. 42. *id per se fieri licere.* Cicero Philipp. orat. V. c. 17. *Senatui placuit eius rationem ita haberi, prout haberi lege liceret.* de Finibus lib. II. c. 32. *nunc totum illud concludi sic licet.* de Legibus lib. II. c. 26. *Neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos, quos vocant, licebat imponi, nec demortui laude.. dici licebat.* Tusc. lib. I. c. 12. *Idque.. e ceremoniis sepulcrorum intelligi licet,* lib. IV. c. 12. *quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam* etc. Atque haec etiam confirmant, quas supra ad lib. I. c. 3. diximus, ubi similis verbi *licet* usus impersonalis est.

Cap. XVII, 39. *Deos enim ipsos iocandi causa induxit Epicurus* etc. *eosque putat* etc. Perfectum illud *induxit*, et praesens *putat*, intervallo tam longo a se invicem distant, ut mirum non sit, si Tullius memoriae vitio in istiusmodi enallagen inciderit. [235]) Sed et simi-

234) Equidem non dixerim rarius, sed frequentius, certe apud Ciceronem.

235) Qualis fuisset Ciceroni memoria, si eorum, quae paullo ante dixerat, oblitus esset? Eleganter enim componuntur ita praesens cum praeterito. Ratio neminem fugit. At-

lis incuriae exempla alibi haud pauca exftare video. infra cap. 34. *Nunc vero..fame enecta fi in offam pultis invadit, et fi aliquid ex eius ore cecidit, hoc tu aufpicium putas?* cap. 53. *Sed quum bis fumpfit quod volnit,* 279 *etiamfi faciles nos ad concedendum habuerit, id tamen quod adfumit, concedi nullo modo poteft.* Similiter Corn. Nepos in Dione cap. 9. *Adolefcentes quosdam elegit, cum ardentiffimos, tum viribus maximis, hisque dat negotium* etc. Hirtius de B. Afr. cap. 41. *poftero die Caefar ex omnibus praefidiis cohortes deducit, atque omnes fuas copias in campo inftruxit.* Salluftius Iug. cap. 18. *Legatos mittit, hisque - - praecepit, omnis mortalis pecunia aggrediantur.* ubi confule cl. Cortium. Hinc quoque de fanitate loci illius iudicare licet Acad. lib. I. cap. 11. *Plurima mutavit.. quaedam dixit nova, ..fed ad haec, quae vifa funt, adfenfionem adiungit animorum, quam effe vult in nobis pofitam et voluntariam. Vifis non omnibus adiungebat fidem.* ubi vir cl. veritus rurfus, ne tempora confunderentur, coniiciebat, *adfenfionem adiunxit animorum, quam effe voluit* ect. Forte quoque nihil innovandum in his Vell. Paterculi lib. I. cap. 9. *adeo* etc. *ut plerumque fuperior fuerit, magnamque partem Graeciae in focietatem fuam perduceret.*[236]) ubi ὁ πάνυ Lipfius legebat *perduxerit.* Miror autem, quomodo H. Stephanum

que Tacitus praefens adeo cum imperfecto coniungit Ann. 1, 21. *horum adventu redintegratur feditio, et vagi circumiecta populabantur.*

236) Hoc loco non tantum ufus eft demonftrandus, quo fcriptores optimi diverfa tempora iunxerunt, fed etiam quid intercedat inter perfectum pro aorifto pofitum et imperfectum. Imperfecto enim etiam hic adhaeret certi temporis notio.

ſuboffenderit iſta temporum permutatio, apud Xenoph. Cyropaed, lib. I. pag. 18. A. [4, 17.] τοὺς δὲ ἐπιτηδείους ἀφῆκε καταθεῖν· καὶ ἐκέλευε περιβαλλομένους etc. quum ſimilem plane ἐναλλαγὴν conſpicere liceat in antecedentibus ac ſequentibus. Pari modo in his ibidem pag. 20. B. [4, 25.] Ἐν μὲν δὴ Μήδοις ταῦτα ἐγένετο· καὶ οἵ τε ἄλλοι πάντες τὸν Κῦρον διὰ στόματος εἶχον etc. malebat idem vir doctus ἐγένετο. At non committam, ut illius generis exemplis e Xenophonte proferendis lectorem fatigem.

---

## 280 CAPUT VIII.

*Vulgata lectio in Ciceronis ſecundo de Div. aliquoties vindicatur et illuminatur; ſemel quoque emendatur.* Vetuſtum, *diu cognitum.* Uſitatus *et* inuſitatus *non licet transmutari in* viſitatus *et* inviſitatus. Ita *et* ut, tam *et* quam *et ſimilia coniungunt eosdem modos. Min. Felix bis vindicatur. Pronominis* quod *uſus anceps adſtruitur. Tullius obiter defenditur.*

Eiusdem libri de Divinatione cap. XXI, 47. ſic loquitur noſter: *Nattae vero ſtatua; aut aera legum de coelo tacta quid habent obſervatum ac vetuſtum?* Non interpunctio tantum recte ſe habet, ut contra Guielmium et Gruterum bene iam docuit Daviſius, ſed ipſa quoque lectio nihil mendi continere videtur. Nam quod ſe intelligere negat vir laudatus, quid huc faciat *vetuſtum*, proptereaque tentat *obſervatum ac animadverſum*, haec quidem coniectura, quum a manuſcriptis aberret longius, ipſi viro cl. haud ſatisfacit, Quid ergo? an aliud quid comminiſcendum? Mihi profecto non videtur, poteſt enim vox *vetuſtum* ita explicari,

ut locus hic illi ſatis commodus et opportunus ſit. Quemadmodum enim *novum* dicitur, quodcunque iam primum cognoſcatur, quum antea nondum ſatis innotuerit: ſic contra vetuſtum dici poteſt, quod ſaepius cum in oculos incurrat, dudum obſervari potuerit. [237])

Cap. XXII, 49. *in rebus uſitatis.* Quia noſter ſtatim ſubiicit, *quod crebro videt, non miratur; .. quod ante non vidit, .. oſtentum eſſe cenſet;* reſcribebat cl. Daviſius *in rebus viſitatis.* Et multa alia loca ſunt, in quibus nomina *uſitatus* et *inuſitatus* iſto modo emen- 281
det ille vir doctus. Firmari omnino iſta coniectura poteſt auctoritate ſummorum hominum, Salmaſii, Freinshemi, J. F. Gronovii atque Graevii, quorum veſtigia preſſit Daviſius. Vide enim notas illorum ad Florum lib. I. cap. 18. et Iuſtinum lib. XVIII. c. I. Nos tamen, quod intemerata fiat ſumma noſtra adverſus tanta nomina reverentia, tres rationes proponemus, quae obſtant quo minus calculum huic ſententiae adiicere poſſimus. Primo enim mutandorum locorum numerus plane infinitus eſſet, ſi placitum illud eruditiſſimorum valeret; quum tamen numerus iſtiusmodi locorum quo maior ſit, eo quoque gravior iuſtiorque contra ſententiam iſtam inſur-

237) Eadem eſt ſententia Hottingeri, ut cenſeat, *obſervatum ac vetuſtum* ſignificare rem longa obſervatione notatam. Quod probari fortaſſe poſſet, ſi ratio huius longae obſervationis in hac quidem re appareret, nec deſideraretur cauſſa, quapropter in nobilitate Nattarum obſervatum fuerit a haruſpicibus, quod ad totam nobilitatem pertineret. Denique non patet, quo nomine aera legum cum Nattae ſtatua coniungantur: in illis enim et vetuſta obſervatio et vetuſtatis argumentum negari non poterat. Emendationis igitur, quam in notis ad Statium Tom. I. p. 19. propoſui, nunc non piget. *At vetuſtiſſimi Pinarii Nattae nobiles* i. e. ſcilicet ſtatua Nattae cum legum tabulis vetuſtatis nomen commune habet, a nobilitate quidem.

gat ſuſpicio. Verum me dicere, vimque locorum iſtorum, ubi nominibus *uſitatus* et *inuſitatus* ſignentur res, quae crebro aut raro videantur, plane immenſam eſſe, nemini latere poteſt, qui quidem has res aliqua cum cura tractaverit. Secundum habeo, quod reponam, voces *viſitatus et inviſitatus*, uti et verbum *viſitare* pro ſaepius videre, nunquam nusquam mihi hactenus ſedulo attendenti in ſcriptis Tullii noſtri comparuiſſe; quod an non mirandum eſſet, ſi ipſe cum ſui temporis hominibus res, quae hominum oculis ſaepe aut rarius ſe ingerant; *viſitatas inviſitatasve* dicere ſoluiſſet? Poſtremo quoque conſtat, res eiusmodi, quae oculis haud raro uſurpentur, alibi apud Ciceronem aliosque optimae Latinitatis auctores dici *ſaepe uſu venire*, vel *in uſu quotidiano eſſe collocatas;* quemadmodum locutus eſt noſter ex. gr. de Orat. lib. I. *quae ſunt poſita ante oculos, et collocata in uſu quotidiano.* Iam vero quae *crebro uſu venire, in uſu quotidiano verſari, in uſu quotidiano eſſe collocata* dicuntur, haecce
282 etiam *uſitata*, contrariaque *inuſitata* appellari, quid tandem vetat? [238])

Cap. XXIII, 51. *Eſtne quisquam ita deſipiens, qui credat exaratum eſſe Deum dicam an hominem? Si Deum, cur* etc.? Cur iuxta codicem quemdam mallemus *ſi Deus*, ratio haud ſatis ſtringere videtur illa, quod in ſequente membro dicatur *ſi autem homo ille Tages fuit.* Haec enim quum ab illis diſtent longius, non poteſt Latinis auribus non ſuavior accidere vulgata, quam codicis lectio. [239])

238) **Recentiores critici omnes crediderunt Wopkenſió, et iure quidem optimo. Uſus enim complectitur etiam crebram et quotidianam obſervationem.**

239) **Utra ſcriptura a correctoribus facta ſit, dignoſcere haud**

Cap. XXIV, 52. *Quid ipſe Caeſar, quum a ſummo haruſpice moneretur, ne .. transmitteret, nonne transmiſit?* Menda obſediſſe locum videbatur cl. Daviſio, quod vix eſſe putaret, ut *ſummum haruſpicem* dixiſſet Cicero, hominis nomine non prolato. Legebat igitur *a Spurinna haruſpice;* docte quidem et acute, uti ſolet. Non tamen ea loci natura eſſe videtur, ut nomen proprium requirat. Primo enim non ſatisfacit, quod ſcribit vir laudatus vix eſſe, ut haruſpicis ſummi meminiſſet Tullius, niſi nomine illius appoſito; nam haruſpicis illius nomen ſatis celebre erat, ideoqus non opus erat, cur coram Quinto exprimeret illud Tullius, praeſertim quum ante iam ipſe Quiutus haruſpicem nomine ſignificaſſet. Accedit porro, quod vox *ſummo* huic loco egregie conveniat; quippe quae eo ſpectat, ut haruſpicinae vanitatem eo ſignificantius exprimat, quod nimirum non de trivio tantum haruſpices, ſed eorum quidem ſummi falſa monerent, praedicentesque ſic negligerentur, ut nihil incómmodi, maximum etiam emolumentum conſequeretur. [240])

Cap. XXVI, 57. *Quum igitur hoc animal tam ſit canorum ſua ſponte, quid in mentem venit Calliſtheni dicere, Deos gallis ſignum dediſſe cantandi?* Quid ad rem faciat, *Deos gallis ſignum cantandi dediſſe*, neſcire ſe fatetur vir clar., qui vocem *cantandi* obelo 283
confodiendam exiſtimat, ut vox *gallis* ſit ablativus inſtrumenti. At vero omnino ad rem facit, *Deos gallis ſignum dediſſe:* id enim agit Cicero, ut nihil boni aut

difficile eſt. Daviſius elegantiam evertit, qua in oratione aſſimilari proxima, et tum in varietatem transponi ſolent.

240) Et comparari poteſt 1, 14, 24. ubi vocatur *ſummus imperator*, non addito nomine.

mali ex gallorum cantu praeſagiri poſſe oſtendat, quoniam ille his animalibus naturalis eſt, aque naturalibus plane cauſis dependeat. Hinc vanitatem ſententiae Calliſthenis iam deducit, qui putabat extra ipſos gallos divinitus ſignum quodpiam exſtare, quod cum vidiſſent, incitari eos ad cantandum. [241])

Cap. XXXI, 66. *Sed ut in cunis fuerit anguis, non tam eſt mirum, in Solonio praeſertim, ubi ad ſocum angues nundinari ſolent.* Locus haud dubie in mendo cubat, eiusque ſanandi viam haud eandem ingreſſi ſunt docti. Audiamus cl. Daviſium. „Ita ſane, inquit, Reg. „Cantab. aliique mss. ſed qui vim poteſtatemque *nun-„dinandi* probe novit, ille quidem verbum huic loco „non convenire ſtatim perſpiciet. Ea propter Lambi-„nus et amicus Urſini reponunt *nidulari.* Siquidem „vero Pal. tert. quart. et Baleol. exhibeant *nudari*, „haud, opinor, incommode, reſcribas *videri ſolent.* „Certe non abſimilis eſt literarum ductus. Ad rece-„ptam autem lectionem, quae multis codd. nititur, „quamproxime legi queat, *ubi ad ſocum angues meri-„diari ſolent.* Nec forſitan haec diſplicebit coniectura.“ Sed mihi quoque meam ſuſpicionem proferre liceat. Lambini quidem coniecturam vero propinquiorem, quam reliquas lectiones exiſtimo: non tamen ſic placet animo meo, quin mutatione leviſſima ſic potius reſcripſerim, *ubi ad FORUM angues nundinari ſolent.* Vult nempe

241) Daviſii emendatione ex hac quidem parte nihil prorſus efficitur: nam in ea quoque *gallis cantantibus* accipiendum eſt dativo caſu, non ablativo, pro *per gallos* poſito. Hottingerus bene haec verba retulit ad inſtinctum divinum, ſed non accurate explicuit. *Signum cantandi* enim dicitur pro facultate cantandi ad ſignificandum, ut ſenſus ſit, deos gallis dediſſe in cantu, ut ſignificarent res agendas.

Tullius angues in Solonio *res esse quotidianas*, ut loquitur supra cap. 29. quoniam quotidie die publice in 284
foro, ubi venales exstarent, viderentur. [242])

Cap. XXXII, 68. *Itane censes, ante coronam herbae exstitisse, quam conceptum esse semen?* Malit hic forte quispiam, *quam conceptum fuerit semen?* Sane ita doct. Wowerius *potuit* pro *potuisse* legendum censet, apud Minuc. Felicem Octav. cap. 34. . . . *quis audeat repugnare hominem a Deo ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari?* Sed ea non nisi pura puta est παραδιόρθωσις, quam sicco pede praeterire non licuit. Sic enim eodem cap. idem Minucius: *Quis enim dubitat, · · quae coelo continentur, ita ut coepisse, desinere?* et cap. antecedente: *Ita prius eos deseruisse comprehendas, quam esse desertos.* i. e. quam fuerint deserti. Lactantius de Ira Dei cap. 5. initio: *Quod sequitur de schola Epicuri est, sicut iram in Deo non esse, ita nec gratiam.* [243]) Nec dispar ea ratio videtur, qua subiunctivus *prosit* adcommodatur τῷ *sufficiat*, in his Minucii Fel. cap. 35. *Et quamquam imperitia Dei sufficiat ad poenam, ita ut notitia prosit veniam; tamen* etc. ubi non erat, cur clar. Davisius legendum censeret, *uti et notitia prosit ad veniam.* [244])

242) In Gesneri explicatione omnes nunc acquiescunt. Sed quod alii afferunt e Plinio Hist. n. 11, 30, 36. de formicis: *certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur.* negotiis convenit, quae ab anguibus aliena esse videntur.

243) De hac re disputaverunt Heusinger ad Nepot. Them. 7. G. T. A. Krügerus primo fasciculo Disquisitionum grammaticarum, Zumptius in Grammat. 603. quae iterum exigere non huius loci est.

244) Hoc in eum modum dictum est, quo apud Ciceronem ad Fam. 16, 1. *nos ita te desideramus, ut amemus.*

Cap. XLI, 87. *Quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem quam Praeneste vidisse Fortunam.* Legebat vir cl. *Quo Carneadem* etc. idque *quo* explicabat ut esset *quare, quamobrem.* Dubito sane, an sic Ciceronis seculo loquerentur Romani; et quidquid illud sit, non potuit hoc ex Donato ptobari. Simili in loco occurrit relativum *quod,* de Nat. Deor. lib. II. c. 9. *refrigerato .. calore .. exstinguimur, Quod quidem Cleanthes .. docet, quanta vis insit caloris in omni corpore.* ubi Lambinus volebat *Et quidem*, Davisius *Quid quod Cleanthes docet*
285 etc. Sed passim sit, ut pronomen, quod sit ad antecedentia aliquomodo referendum, sic per pleonasmum quendam explicetur in sequentibus.[245] supra lib. I. c. 45. *Quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Acad. lib. II. c. 17. *Quod idem contingit insanis, ut et incipientes furere, sentiant* etc. de Nat. Deor. lib. II. 9. *Quod etiam quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus, ut*

245) Hunc usum bene observavit doctissimus auctor. Conf. p. 143. et 173. et 76. et Animadvers. in Taciti Op. in Actis Soc. Traiect. Vol. 2. p. 90. ubi Wopkensius haec: „post pronomen *quod et id* antecedentibus facile explicanda, saepe ita subaudito quodammodo *nempe* adiicitur explanatio, ut in his Taciti Ann. 4; 4. *quae tum romana* etc. Cic. de Nat. d. 2, 9. in Verr. libr. I, 46." Et exempla quae apposuit, quadrant, praeter eum, de quo hic agitur et de Nat. deor. 2, 9. Ibi enim et de Divin. 2, 41. *quod* non refertur ad id, quod postea explicatur, sed significat idem ac *quo*, i. e. qua in re, quam ob rem, *in wiefern.* Similiter coniungitur cum coniunctionibus, in *quodsi, quod etsi*, aliisque. Cicero enim non dicit: id quod Cleanthes docet, hoc est: sed ad superiora respiciens: quod ad hanc rem pertinet, Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit etc. Graeci ponunt eodem modo ὅ. vid. Matthiae Gram. n. 478.

*ſint hominum ingenia* etc. de Finibus lib. III. c. 2. *Quod cum accidiſſet, ut alter alterum nec opinato videremus, ſurrexit ſtatim.* ubi Lambinum vide, quem tamen falli vereor, dum ſcribat *quod* hic poni pro *ſed* ſeu *autem*, itaque ſtatuere videatur *quod* non pronomen eſſe in his formis, quod tamen revera eſt, ſed coniunctionem. Lactantius lib. I. cap. 1, 5. *Quod quia fieri non potuit, ut homini per ſe ipſum ratio divina innoteſceret,* etc. Livius lib. XXVII. c. 7. *Quod mihi minus ſimile veri viſum eſt, annum integrum Scipionem nihil gerendo in Hiſpania conſumpſiſſe.* ubi omnino conſulendus I. F. Gronovius. Cicero de Fato c. 13. *non ſequitur, ut ne appetitus quidem ſit in noſtra poteſtate. At hoc ſequeretur, ſi omnia perfectis et principalibus cauſis fieri diceremus; ut quum hae cauſae non eſſent in noſtra poteſtate, ne ille* (ſcil. appetitus) *eſſet in noſtra poteſtate.* Hyginus Fab. CLXXXVIII. *Hoc Neptunus ut vidit, in pecora commutatos conſumi.* et cap. CXXII. *Id Aletes . . cum reſciſſet, ex Atridarum genere neminem ſupereſſe,* etc. Non audiendos Munkerum, Scoppium aliosque putem, qui in pronomine ſubaudiunt praepoſitionem *ob* vel *propter.* confer enim, quae iam diximus ſupra ad lib. I. cap. 30. et ad N. Deor. lib. I. c. 15.

286 CAPUT IX.

*Quatuor Tullii loca in lib. secundo de Divinatione adseruntur ac illustrantur.* Vis *pro natura ac facultatibus. Locus de Finibus una cum Xenoph. defenditur.* Φύσει φύεσθαι. *Enallage praepositionis omissae et expressae. Cicero bis vindicatur.* Tractus lunae, *quid sit probatur. Palaephatus emendatur.*

In libro II. Ciceronis de Divinatione reliqua iam loca perlustremus, quae nobis manum iniiciunt. Cap. XLIV, 93. *qui potest eadem vis esse nascentium, quum coeli tanta sit dissimilitudo?* Non satis cerno, cur quis legere mallet, *eadem vis esse in nascentes*, vel, *eadem vita esse nascentium.* nam *vis* hic et alibi idem quod *natura* denotat, ideoque etiam saepissime duo ista tanquam synonyma copulantur. [246]) Supra lib. I. initio: *quaque proxime ad Deorum vim natura mortalis possit accedere.* Academ. II. c. 39. *Corpora nostra non novimus, qui sint situs partium, quam vim quaeque pars habeat ignoramus.* et cap. 17. *illud enim dicimus, non eandem esse vim, neque integritatem dormientium et vigilantium. eandem vim,* id est easdem facultates. Tusc. lib. I. c. 24. *Quid est enim illud, quo meminimus? aut quam habet vim, aut unde natam?* de Fini-

246) Verba *vis*, *οὐσία*, *Wesen* unius sunt formae, quam non dixerim ab altera gente ad alteram delatam, sed ex una eademque notione exortam. Atque *vis* proprie significat facultatem, et qua quid constat, substantiam. Quare saepe cum *natura* coniungitur. Cic. de Leg. I. 12, 34. *quid enim est, quod differat, quum sint cuncta paria? quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit, amicitiae nomen occiderit: cuius est ea vis, ut, simul atque sibi aliquid quam alteri maluerit, nulla sit.* Sallust. Cat. 1, 2. *nostra omnis vis in animo et corpore sita est.*

bus lib. V. cap. 15. *Est enim natura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur.* ubi clar. Davisius vocem *vim* eiiciebat; sed absque causa tamen sontico, ut ego quidem vereor; nam quamvis vox *natura* saepe eiusdem potestatis sit cum voce *vis*, passim tamen etiam sensu quodammodo diverso coniunguntur; [247]) quemadmodum iam antea plus semel monuimus, neminemque fugere potest, quae 287
plurimis in locis *συνονύμως* accipiantur, eadem tamen alibi a se invicem distingui. At vero, inquies, cui bono vox *natura*, si retineatur illa altera *vis?* Dicam, eundem esse hunc pleonasmum, quem non raro reperimus in scriptis priscorum. De Graecis auctoribus tantummodo quaedam dabo, quae iam ad manus sunt. Xenophon lib. VIII. Cyropaed. p. 235. E. [7, 13.] *πιστοὺς δὲ μὴ νόμιζε φύσει φύεσθαι ἀνθρώπους.* Scio, Henricum Stephanum suspectam hic habuisse vocem *φύσει*, sed plane fallitur, [243]) neque enim sic tantum loquutus est Xenophon, sed etiam Aeschines Socrat. Dial. I. §. 10. *ἆρα φύσει φύονται οἱ ἀγαθοί.* Maximus Tyrius Diss. II. p. 25. *ὥστε καὶ καταγέλαστος ἂν γίγνοιτο ἀντεπιχειρῶν ἀδικεῖν ὁ μὴ πεφυκὼς τὸν ἄδικον καὶ τῇ φύσει, καὶ τῇ τέχνῃ, καὶ τῷ ἔθει.* Nemesius de Nat. Hom. cap. II. p. 70. *πρὸς τούτοις καὶ τὸ ἀπορούμενον ἐξ ἀρχῆς ἄλυτον μένει, πόθεν τὸ σῶμα συνέχεται, φύσει πεφυκὼς σκεδάννυσθαι.* Philemon in Fragm. pag. 356.

*Μείζω τὰ κακὰ ποιοῦσι πολλοὶ, δεσπότα,*
*Αὐτοὶ δι᾽ αὑτοὺς, ἢ πέφυκε φύσει.*

Et haec quidem hactenus.

247) Vid. Goerenz. ad hunc locum.

248) Conf. V, 1, 23. δοκεῖς σὺ φύσει πεφυκέναι οὐδὲν ἧττον.

Sequitur paullo poſt: *ut -- confitendum ſit illis, eos qui naſcuntur eodem tempore, poſſe in diſſimiles incidere naturas, propter coeli diſſimilitudinem.* Haud facile coniicerem legendum, *in diſſimiles incidere genituras;* non tantum quia neſcio, an vox *genitura* tam vetuſta ſit, ut ad aureum Latinitatis ſeculum referre poſſit, ſed etiam quia lectio vulgata, ſi bene explicetur, neutiquam tam dura eſſe videtur, ut iſto modo numquam locutus fuiſſet Cicero. *In diſſimiles naturas in-*
288 *cidere,* meo quidem iudicio, nihil aliud dicit, quam diſſimiles in ortu nanciſci naturas, quod ferme idem inferius *diſſimiles naturas habere* dicitur. *Incidere in aliquam rem* eſt eam ſic acquirere, ut aut parum aut nihil omnino induſtriae ad acquirendam ſit adhibitum; quae quidem ſignificatio huic loco apprime bene congruit, ubi de nanciſcendis variis, pro diſſimilitudine coeli, indolis ingeniique qualitatibus ſermo eſt, quam rem praecedens hominis induſtria ſtudiumque non attingit. [249])

Cap. XLVI, 96. *Quid? illud ne dubium eſt, quin multi, quum ita nati eſſent, ut quaedam contra naturam depravata haberent, reſtituerentur et corrigerentur a natura, quum ſe ipſa revocaſſet, aut arte atque medicina.* Vir clar. legebat .. *corrigerentur aut natura, quum* etc. At naturae diſtinctio ab arte atque medicina ſatis abundeque eſt perſpicua, tametſi diſcernendi con-

249) Hottingerus contendit, verbum *poſſe* temere illatum eſſe ab aliena manu: nam eos, qui diverſo coelo gignantur, non poſſe, ſed debere eſſe diſſimiles. At *poſſe*, ut ſaepe alias, id exprimit, quod graecum ἄν. Sic in formula pervagata: *quid poteſt eſſe*, de qua vide Heindorf. ad Cic. de Nat. d. 2. 6, 16. In quo uſu *poſſe* ſemper praecedere videtur ſuo verbo. Verbum *incidere* recte et ſubtilius explicat Wopkenſius quam Hottingerus.

iunctio a membro priore abſit. Et praepoſitio *a* recte praeponitur voci *natura*, omittiturque ante ſequentes ablativos; quandoquidem *natura* hic neſcio quomodo *προσωποποιεῖται* tanquam cauſa, quae per ſe efficiat, quum *ars atque medicina* ſit cauſa media ſive inſtrumentalis, quae a ſuperiore quapiam cauſa dependeat. Adde, ſi lubet, quod maxime ſolennis illa ſit enallage, qua praepoſitio, quae uno membro exprimatur, altero retineatur;[250]) quod quamvis locus hic Tullii non flagitet ut uberius probetur, exempla tamen quaedam ſubiicere non pigebit, propter locum unum et alterum, in quibus ad illam membrorum orationis diſſimilitudinem, pro elegantia ſua nimia, parum feliciter offendit Lam-

250) De Ciceronis uſu in praepoſitione bis ponenda ſubtiliter diſſeruit Wunderus in Variis Lect. e cod. Erfurt. enotatis p. 17. Atque poterat obſervatio, quam ille ad ſententias diſiunctivas et notiones ſeparatas refert, ad univerſam doctrinam nominum coniungendorum revocari, in qua demonſtratur, duo nomina aut externo vinculo cohaerere, aut coaleſcere in unam notionem, ſive aequali genere, ſive communi, qua duae res continentur, ratione. In illa enim compoſitione, in qua utrumque nomen ſuam vim ſeparatim effert, neceſſario bis ponitur praepoſitio, in hac autem unitate ſemel poſita ad utrumque nomen una pertinet. Tantum vero abeſt, ut ex praeceptis Wunderi comprobemus Daviſii emendationem, ut librorum ſcriptorum lectionem a Wopkenſio bene defenſam cenſeamus. Nam ſicuti Daviſius bene reſtituit codicum auctoritate *aut arte atque medicina*, pro *aut medicina*, ita coniectura in verbis *aut natura* non neceſſaria erat. Nam in hac ſententia naturam intelligimus perſonatam, quam quum cauſſam alicuius rei eſſe dicimus, per praepoſitionem *a*, perſonae propriam, inſignimus, ſed *artem atque medicinam* ponimus tamquam cauſſam a re inanimata profectam: de qua diſtinctione dixi in libro de Particulis p. 24. Vol. I. Ablativus igitur in verbis *arte corrigi* non pendet a praepoſitione antecedente.

binus; de cuius tamen eruditissimi hominis acumine, optimisque de Tullio meritis, quae lapsibus illius facile praeponderant, nihil omnino detractum volumus. [251])

289 Supra lib. I. cap. 19. *Ut igitur nunc minore gloria est, -- sic tunc -- in tanta gloria non fuisset, nisi* etc. de phrasi *minore gloria esse*, vide quae ὁ πάνυ I. F. Gronovius ad Livii lib. II. c. 22. Tusc. lib. I. c. 12. *Idque cum multis aliis rebus, tum e pontificio iure intelligi licet.* de Nat. Deor. lib. II. c. 54. *Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur, et mollitur cibus.* Lactantius lib. VI. c. 2, 13. *Haec est religio coelestis, non quae constat ex rebus corporeis, sed quae virtutibus animi.* Seneca epist. 95. *Actiones honestas ex decreto fieri, non tantum praeceptis.* Nihil igitur lacunosum subest hisce, de Fin. lib. I. c. 16. *Quae autem tanta ex improbis factis ad m. v. m. accessio fieri potest, quanta ad augendas cum conscientia factorum, tum poena legum odioque civium.* et lib. V. cap. 24. .. *officiis, quae oriuntur a suo cuiusque genere*

251) Perdiversa atque adeo aliena et falsa sunt haec exempla, neque huc pertinet locus de Divin. 1, 19. in quo duae dictiones diversae coniunguntur *in gloria esse* et *minore gloria esse:* nam adiectivum non potest abesse. Tusc. 1, 12. legendum est: *idque quum multis aliis rebus, tum e pontificio iure et e caerimoniis sepulcrorum intelligi licet.* Sunt enim res e pontificio iure et e caerimoniis desumptae. Sed locus de Nat. deor. 2, 54. ita comparatus est, ut de explicandis verbis *ab his* dubitare liceat, adeoque de integritate eorum. Nam etiamsi explicemus *ab iisdem*, tamen cur ita dicatur, non patet. Seneca scripsit, quemadmodum Schweighäuserus restituit: *actiones honestas* e t *praeceptis fieri, non* t a n t u m *praeceptis.* Et apud Lactantium sequuntur haec: *qui oritur e coelo:* quae caussam omittendae praepositionis monstrant, tamen non omnino excusant: quamquam dictio *aliqua re constare* per se effertur.

*virtutis, nam et amici cultus* etc. *in eo ipſo prodeſt, quod ita fungi officio in recte factis eſt, quae ſunt orta virtutibus.* [252]

Sequitur: ***Ex quo intelligitur, plus terrarum ſitus, quam lunae tractus ad naſcendum valere. Lunae tractus*** dicuntur lunae regiones, ſive coeli plagae, quas luna traiicere ſolet. Prout autem illa in variis harum regionum partibus conſtituta eſſet, quo tempore quis naſceretur, variam quoque naſcentis eſſe indolem atque naturam ſtatuebant Chaldaei aliique, quos impugnat hic Tullius. Sed ipſe vult; ad diſſimilitudinem naturae magis referre, quo terrarum ſitu quis naſcatur, quam quo in coeli tractu luna ſit, dum naſcaris. Si locum ita interpretor, non video quid permoverit viros plurimum reverendos, ut pro ***lunae tractus*** legendum crederent ***lunae ſtatus.*** Nemo autem dubitat, quin ***lunae tractus*** hic poſſint explicari, ut ſint certae coeli partes, in quibus verſetur luna, ut *tractus nubium* apud Hora- 290
tium Carm. lib. IV. oda 2.

*Multa Dircaeum levat aura cycnum,*
*Tendit, Antoni, quotiens in altos*
*Nubium tractus:* ——

Et *coeli tractus* apud Minucium Fel. Octav. cap. 5. *et cum tabe peſtifera coeli tractus inficitur, ſine diſcrimine omnes deperire.* [253]

252) In his locis Ciceronis diverſi ablativi non cohaerent, ſed ſua conſtructione diverſa cum verbo componuntur.

253) Burmann. in Miſcell. Obſervat. Tom. 3. p. 17. *tractum lunae* intelligens ſpatium, quod luna percurrit, de regione et ſitu explicuit. Quod legitur apud Minucium, *quum tabe peſtifera coeli tractus inficitur*, dictum eſt a Virgilio Aen. 3, 158. *corrupto coeli tractu. Tractus* etiam de regione terrae dici, omnes ſciunt. conf. Cic. pr. Planc. 9. Sed *tractus lunae* ſignificare non poteſt regionem terrae

Ibidem: *Si enim esset factitatum, non esset desitum.* Sic fere loquebantur sentiebantque veteres, nihil accidisse unquam prodigiosum, quod iam non amplius accidat; quare etiam falsa esse omnia miracula, quaecunque aliquando facta fuisse traderentur, nisi etiamnunc aliquando fierent. Sed quatenus decretum illud bene valeat, egregie docuit doctor meus, eruditissimus Clericus lib. de Incred. P. I. cap. 3. observante quoque cl. Davisio ad Min. Felicis Octavium. Celebris est locus Palaephati, quem etiam adferunt viri laudati, in praefatione libelli de Incredibilibus; quem ego hic ob oculos ponam, ut mendum, quo sordere videtur, obiter inde eruam. Ὅσα δὲ, inquit, εἴδη καὶ μορφαί εἰσι λεγόμεναι καὶ γενόμεναι τότε· αἳ νῦν οὐκ εἰσὶ, τὰ τοιαῦτα οὐκ ἐγένετο. Mihi quidem haud apparet, quomodo hinc sensus idoneus extorqueri ullis fidiculis possit, nisi hunc in modum rescribamus atque interpungamus: Ὅσα δὲ εἴδη καὶ μορφαί εἰσι λεγόμεναι καὶ ΓΕΓΟΝΕΝΑΙ ΠΟΤΕ, αἳ νῦν οὐκ εἰσί· τὰ τοιαῦτα οὐκ ἐγένετο. *Quotquot autem species atque formae traditae sunt esse aliquando factae, quae nunc non sunt; talia facta non sunt.* Ne offendat coniunctio καὶ ante γεγονέναι: nam illa saepissime apud Palaephatum aliosque scriptores παρέλκει. vide modo reliquam memora-
291 tae praefationis partem: et cap. 15. ἐγὼ δὲ φημὶ καὶ ταυτὴν καταβρωθῆναι. sic passim. [254])

regioni lunae subiectam, neque haec terrarum situi opponi. Recte igitur Ernestius alteram lectionem *tactus* praetulit, et cum solis tactu, qui de Nat. d. 2, 15. dicitur, comparavit.

254) Contra Wopkensium disputant Carpzovius in Observat. philolog. in Palaephat. p. 16. et Fischerus ad h. l. Emendatio enim peior est vulgata scriptura, quae dubitationem non admittit.

## CAPUT X.

*Auguſtinus defenditur. Ellipſis pronominis demonſtrativi ante vocem* ipſe, *in compluribus Tullii locis, ſtabilitur et adſtruitur. Vulgata Ciceronis lectio in lib. II. de Divinatione aliquoties ſuſtentatur.* Potius quam *conſtructum cum infinitivo Graecanico.* Non *omiſſum poſt nequidem.*

Reliqua iam, quae nobis in ſecundo Ciceronis de Divinatione libro obſervatu digna viſa ſunt, perſequamur. Cap. LVI, 116. *Quis enim eſt, qui credat Apollinis ex oraculo Pyrrho eſſe reſponſum,*

*Aio te, Aeacida, Romanos vincere poſſe.*

Locus Auguſtini de Civ. Dei lib. III. c. 17. qui huc adfertur, emendatione iſta haud indigere videtur, quam illi adhibet vir cl. Sic loquitur ille pater. *Pyrrho de rerum futuro eventu conſulenti; ſatis urbane Apollo ſic ambiguum oraculum edidit, ut e duobus quidquid accidiſſet, ipſe divinus haberetur: ait enim, Dico te, Pyrrhe, vincere poſſe Romanos: atque ita ſive Pyrrhus a Romanis, ſive Romani a Pyrrho vincerentur, ſecurus fatidicus* (legendum forſitan, *ſecurus FUIT fatidicus*) *utrumlibet exſpectaret eventum.* Reponebat doct. Daviſius, *utrumlibet ſpectaret eventum.* Nos illud *exſpectaret* conſervandum omnino cenſemus; vult enim Auguſtinus, contrarium oraculo edito eventum exſpectari ab Apolline non potuiſſe. Securus erat vates, uterlibet eventus conſequeretur. Sane verbo *exſpectaret* locus hic tam idoneus eſſe videtur, ut illud *ſpectaret* ne tum quidem anteferrem, ſi codicum aucto- 292
ritate niteretur. [255])

255) Integra ſunt omnia verba. Caeſ. Bell. Gall. 7. 40. *eventum pugnae exſpectabat.*

Cap. LVIII; 119. *Contrahi autem animum Zeno et quasi labi putat atque concidere, et ipsum esse dormire.* Usitatiore loquendi ratione, pronomine addito, scripsisset Tullius, *et id ipsum esse dormire.* Sed vero plurima loca sunt, in quibus pronomen demonstrativum, cuius ellipsin iam supra plus semel in aliis orationis casibus vidimus, ante vocem *ipse* omittatur. Sic de Legibus lib. II. c. 14. *Sed redde caetera.* M. *reddam vero, et ipsa, si potero, brevi.* Quam quidem lectionem cum sanam pronuntiaverit Davisius, Guilielmiumque περιεργίας accusaverit, qui reponeret, *reddam vero, et, id si potero, brevi;* non video sane, qui reprobare illa potuerit, ibidem cap. 5. *Lege autem carens civitas, estne ob ipsum nullo habenda loco?* ut Latinitatem iubere putaret *ob id ipsum:* quemadmodum etiam *istud* pro *ipsum* restituebat lib. II. de Finibus cap. 28. *Iam ipsum absurdum, maximum malum negligi.* et Academ. lib. II. c. 34. *Non enim potest convenienter dici, nihil comprehendi posse, si ipsum* (h. e. id ipsum, nempe nihil comprehendi posse) *comprehendi posse dicatur,* vult idem vir laudatus ex codd. *si quicquam comprehendi posse dicatur.* Producamus tamen loca quaedam alia, praeter ea quae iam produximus, in quibus hanc formam silentio praeteriit vir cl. de Fin. lib. V. c. 1. *cuius etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum revocant, sed ipsum videntur in conspectu meo ponere.* et cap. 14. *Et nunc quidem quod eam tuetur, ut de vita potissimum loquar, est id extrinsecus: in ipsa enim parum magna vis est.* Seneca de Ira lib. I. c. 16. *Ratio nihil praeter ipsum, de quo agitur, spectat.* Florus lib. IV. cap. 10, 4. *et sa-*

*lute Latine data, quum fidem ipso fecisset.* ubi vide clar. Dukerum.[256]) 293

Cap. LX, 124. *quid cuique rei conveniat ex somniis,*

256) *Ipsum* poni pro *id ipsum* alii quoque docuerunt. Vid. I. F. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. 5, 43, 4. Iac. Gronov. ad 21, 55, 11. et Wopkensium sequuti Bremius ad Cic. de Fin. 2, 28. Matthiae in Miscellan. Vol. 1. 2. p. 96. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 5, 12, 2, 14, 34. de Fin. 1, 4, 10. Est igitur: et id ipsum contrahi animum. Nec clarior fit definitio, si cum Hottingero verbum *putat* transponamus. Primum enim Zeno docuit contrahi animum, tum idem fieri in somno affirmavit. Saepe *et ipsum* usurpant Cicero aliique pro *et quidem*, ut de Leg. 2, 14, 34. Tamen quaeritur, num *ipsum* demonstrativi simpliciter ponendi locum obtinere possit, quod in Cic. de Leg. 2, 5, 12. fieri cum Wopkensio existimavit Goerenzius. Sed de locis a Wopkensio allatis Moserus ita censuit nuper: ea vel controversa esse, vel non requirere additum pronomen demonstrativum, vel ut essent vera, placere tamen non posse, quia latinitati adversarentur. Caussam et rationem rei non aperuit. Quam multa scribuntur, e quibus nihil disci potest! *Ipsum*, quo res aliqua vel ab aliis distinguitur, vel a diversa re, ut sit id quod *idem*, vel additur distinctio rhetorica, ut significet *es eben, dies gerade*, per se constare potest, nec pronomen sibi adiunctum habet, ubi notio rei iam posita est, aut aliis verbis constituitur, ut in illis *et ipsa, si potero, brevi* et de Fin. 2, 28. *iam ipsum absurdum maximum malum negligi*, et apud Senecam, *praeter ipsum, de quo agitur.* At ubi notionem rei non antea conceptam tenemus, nullo pacto *ipsum*, quo illa distinguatur, pro ipsa re poni potest. Quare de Leg. 2, 5. *ob ipsum* non accipi posset pro *ob id ipsum, quod lege caret*, nisi praecederet *ob eam ipsam caussam; quod eo careat:* quo praemisso vel addi poterat formula *ob id, ob hoc* et *ob ipsum*, quod est *eben deswegen*, sive ob idem: utrumque enim convenit. ad Att. 12, 14. *quae mihi una caussa est hinc discedendi: nam pro malis recte habebat: quamquam ipsum doleo.* Non item scribi potest Liv. 2, 42, 5. *filius eius, duumvir ad ipsum creatus, dedicavit.* ubi meliores codd. *id ipsum.*

*et quid quamque rem ſequatur, intelligunt.* Male omnino ante iſta *ex ſomniis* virgulam ediderunt, qui duas iſtas voces ad *τὸ intelligunt* referendas exiſtimarunt. Iſto autem modo ſi accipiatur conſtructio, concedendum viro cl., qui eas voces *ex ſomniis* gloſſematis damnandas credidit, quod ſenſum turbarent. Sed tollenda eſt illa diſtinctio, quandoquidem voces illae, quibus haud iuſta *νοθείας* incumbere videtur ſuſpicio, conſtruendae ſunt cum praecedente pronomine *quid;* ut *quid ex ſomniis*, ſit quae pars ſomniorum; quemadmodum infra cap. 65. *id ex ovo*, eſt ea pars ovi, in hiſce: *Tum ille, Nihilne, inquit, de vitello? Id enim ei ex ovo videbatur aurum declaraſſe, reliquum argentum.* [257])

Cap. LXIV, 133. *Ut ſi quis medicus aegroto imperet, ut ſumat*

> *Terrigenam, herbigradam, domiportam, ſanguine caſſam,*

*potius quam hominum more cochleam dicere.* Verbum ultimum inducebant viri inſignes, quod ipſis importunum eſſe, ſtructuramque turbare videretur. Mallem ego quidem reponere *diceret*, eadem ut conſtructio repraeſentetur, quam videmus Tuſc. lib. II. cap. 22. *qui perpeſſus eſt omnia, potius quam conſcios delendae tyrannidis indicaret.* Caeſar de B. Gall. lib. VII. c. 17. *Praeſtare omnes perferre acerbitates potius, quam non civibus Romanis . . parentarent.* quem locum ſummo iure defendit clar. Daviſius ad Tuſc. lib. I. c. 9. edit. priore. Additur quoque coniunctio *ut*, Acad. lib. II. c. 8. *intolerabili dolore lacerari potius, quam ut offi-*

257) Hottingerus ea tantum repetit, quae Wopkenſius hic docte propoſuit.

*cium prodat aut ſidem.* [258]) Si ita in hoc loco *diceret*, aut (ſi offendat enallage, quae tamen ſatis abundeque eſt 294
uſitata) *dicat* reponamus, non video illud verbum ſic importunum eſſe, ut ſpongiam mereatur, quamvis ſano ſenſu abeſſe poſſe non negem. Sed vel infinitivus forte talis eſt, ut illum ſollicitari non liceat: cum enim infinitivi haud raro ſedem occupent ſubiunctivorum, cum coniunctione *ut* conſtructorum, ut vidimus ſupra ad N. Deor. III. 32. in loco Minucii, quem defendimus; tum in hocce quidem infinitivo poſt *potius quam*, imitatur forte Tullius Graecos, qui paſſim ita infinitivum cum voculis πρὶν ἤ, μᾶλλον ἤ, ſimilibusque iungunt.

Cap. LXXI, 146. *quum mendaci homini, ne verum quidem dicenti, credere ſoleamus.* Senſum flagitare putabat vir cl., ut legatur *credere non ſoleamus.* [259]) Mihi

258) Hanc emendationem aſſenſu ac laudo excipiebant recentiores critici, etiam Schützius; neſcio tamen, an ipſi ſibi ad animum non revocaverint verborum conſtruendi rationem, quae haec eſſet; ut ſi quis potius imperet aegroto, ut ſanguine caſſam ſumat, quam ut diceret hominum more cochleam. Ubi imperfecto nullus conceditur locus. In verbis de Fin. 4, 14. *quamobrem utrique idem faciunt, ut ſi laevam partem negligerent, dexteram tuerentur.* quae ratio valet, non pertinet ad iſta verba, in quibus neceſſario aut ſcribendum erat *dicat*, aut prior ſententiae pars immutanda, ne adhaererent ei verba *ut ſumat.* Igitur abiiciendum erit verbum *dicere*, aut ſupplenda, quae ante *potius* exciderint. Suſpicor: *ut ſi quis medicus aegroto imperet, ut ſumat — ſanguine caſſam. Cur potius, quam hominum more cochleam dicere?* In proxime antecedentibus Schützius male fecit, quum verborum ordinem mutaret, et id quod in altera editione Daviſiana, ut videtur, typographus peccavit, Ciceroni imputaret. Scripſit enim *quid igitur me mones?* pro *quid me igitur mones?* quod unice verum ac neceſſarium. Eſt, quid mones me, qui non intelligam?

259) Gruterus, puto, mentionem fecit huius immutationis,

quidem negativum, incolumi ſenſu, deſiderari poſſe videtur: quis enim illud requireret, ſi ſcriptum videremus, *quum mendaci homini ne tum quidem credere ſoleamus, quum verum dicit?* quo tamen eodem, ſi recte videam, iſta lectio, quam iam prae oculis habemus, recidit. Non poteſt negari aliquando coniunctionem adiici. quemadmodum Seneca de Conſtantia cap. 4. *qui pati, ne ſi fiat quidem, non poteſt.* atque pluribus alii in locis. Sed haud minus frequens eſt illius omiſſio. Sic ad Fam. lib. IX. ep. 5. *Conſilii noſtri, ne ſi eos quidem, qui id ſequuti non ſunt, non poeniteret, nobis poenitendum putarem.* ubi vide Manutium, cuius tamen ἀκριβολογία vereor ne nimia ſit. de Finibus lib. V. c. 20. *Itaque ne ſi iucundiſſimis quidem nos ſomnis uſuros putemus, Endymionis ſomnum nobis velimus dari.* ubi conſule Lambinum. adde Acad. lib. II. cap. 40. *noſtro* (ſapienti) *ne quid maxime quidem probabile ſit,*
295 *occurrit,* ſupra cap. 59. *Atqui ne ſi navigare quidem velim, ita gubernarem, ut ſomniaverim.* Exemplorum omnia plena ſunt, ideoque manum de tabula.

---

## CAPUT XI.

*Loca quaedam Tullii in libro de Fato tentantur ac defenduntur. Librarii ſaepe duas periodos in unam conflant, quod exemplo ex Polyaeno et Luciano, qui obiter emendantur, illuſtratur. Verborum* proponere *et* ponere *eſt Latinis promiſcuus uſus. Lactantius cum aliquot Tullii locis defenditur.*

Tranſimus ad librum Ciceronis de Fato. Cap. I, 2. *Quum enim omnes poſt interitum Caeſaris novarum*

ut occaſionem haberet eruditionis ſuae oſtentandae. Nemo alius audivit.

*perturbationum caufae quaeri viderentur, -- omnis fere noftra in iis deliberationibus confumebatur oratio; idque et faepius alias, et quodam liberiore -- die, quum ille ad me veniffet, primo illa -- de pace et de otio.* Quomodo ifta inter fe cohaerent, *idque -- primo illa* etc.? Illud *idque* turbat fane conftructionem, orationisque curfum impedit atque fiftit; quod quamvis a foloecifmi naevo haud immune fit, defendi iis poffe puto, quae difputavimus ad Tufc. lib. V. c. 40. Non tamen inficias iri poteft, exigua admodum facillimaque novatione omnem conftructionis difficultatem poffe tolli, ut nihil dici poffit planius; fi reponamus .. *die. QUO quum ille* etc. vel hoc modo, fi mavis, -- *veniffet. ET primo illa* etc. [260]). Nemo fane ignorat, quam faepe ita dormitarint librarii, ut duas periodos in unam conflarent; cuius rei exemplum adferam unum et alterum, in quibus illius focordiae veftigia fatis perfpicua funt. Hoc modo commififfe reor fcriptores in illum locum Polyaeni Strateg. lib. III. c. 9, 45. -- *ἔσπευσεν ἐπ'* 296
*ἐκείνην τὴν πύλην, ἣν ἤνοιξαν οἱ δεχόμενοι τοὺς πολεμίους ἐσῆγον τῶν δὲ ἐσχάτων ἐσιόντων, ἐξαίφνης ἐπιστὰς συνηκολούθησεν αὐτοῖς, καὶ συνέπεσεν εἰς τὴν πόλιν.* Summus If. Cafaubonus legebat, *ἣν ἤνοιξαν οἱ δεχόμενοι τοὺς πολεμίους. οἱ μὲν τοὺς πολεμίους ἐσῆγον· τῶν δὲ* etc. At, falvo tanti viri iudicio, mihi folummodo diftinctio, non ipfa fcriptura corrigenda videtur; idque hoc quidem modo, ut verba *οἱ δεχόμενοι* et feqq. *τελείῃ στιγμῇ* feparentur ab antecedentibus. -- *feftinavit,* inquit auctor, *Iphicrates ad portam*

260) Hunc locum optime expediit Bremius correcta interpunctione. Nam comma delendum erat poft *die.* Atque *et — et* dicitur pro *quum — tum.* Emendationis nufquam apparet neceffitas.

*illam, quam aperuerant. Illi quum reciperent introducerentque hostes, postremis introeuntibus, repente incumbens eos sequutus est, simulque cum ipsis in urbem irruit.* Non requiritur necessario coniunctio μὲν in membro antecedente, quum in subsequente sit δὲ. sic enim omittitur quoque eodem cap. §. 42. *Οἱ πολέμιοι πρὸς τὸν ἦχον ἄλλος ἄλλῃ διέθεον· ὁ δὲ ῥαδίως ἐκράτησε τοῦ χορίου.* atque ita innumeris aliis in locis [261]). Alterum eiusdem *σφάλματος* exemplum praebet locus Luciani in Phalar. I. p. 733. *τόδε ὅπως μηκέτι τοιαύτης τινος θεραπείας δεήσεται ἡ πόλις, τοῦτ' ἐζήτουν ἔτι κἀγὼ μὲν ὁ ἀρχαῖος, περὶ ταῦτα εἶχον. οἱ δὲ, ἤδη τε* etc. Interpunctionem malam sequutus est interpres, quam tamen sic refingi necesse est. . ἔτι. *Κἀγὼ μὲν ὁ ἀρχαῖος, περὶ ταῦτα εἶχον· οἱ δὲ ἤδη τε* etc. id enim vult Lucianus: *Utque non amplius tali aliqua administratione indigeret civitas, id spectabam praeterea. Atque ego ineptus hisce rebus occupatus eram, quum illi iam* etc. Sed haec hactenus.

Cap. II, 3. *nec enim . . oratoria illa studia deserui, quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum acceperam.* Tentabat eruditissimus Davisius, *quibus etiam te incendere, quamquam flagrantissimum, occoe-*
297 *peram.* Sed praeterquam quod mutatio illa satis magna sit, nec ullum verbi *occoepisse* exemplum exstare

261) At primum omitti non poterat particula in verbis *οἱ δὲ δεχόμενοι*, tum verbum *ἤνοιξαν* necessario secum ducit nomen, *οἱ δεχόμενοι τοὺς πολεμίους*, quod si seiungas, claudicat oratio. Denique in verbo *ἐσῆγον* coniungendo cernitur vitium, non in reliquis. Casaubonus quidem non male emendavit, sed desideratur auctoritas codicum, quorum testimonia Blumius prolaturus est. Exspectemus igitur. Interim coniicere licet: — *ἣν ἤνοιξαν οἱ δεχόμενοι τοὺς πολεμίους· καὶ ἐσῆγον· τῶν δὲ ἐσχ.* etc.

apud Ciceronem noſtrum ſciam, parum mihi videtur commodum illud tempus plusquamperfectum, quum eſſet hic praeſentis potius aut perfecti locus idoneus. Malim igitur lectione vulgatae acquieſcere, quippe cuius ſenſus neutiquam abſurdus ſit; modo ſic intelligatur, ut ſi dixiſſet Tullius, quibus ego itidem te inflammavi, quamvis iam tum illis ſummopere addictus eſſes, quum te in diſciplinam meam traderes. [262])

Sequitur in eodem capite: *hanc Academicorum contra propoſitum diſputandi conſuetudinem.* Ex codice quodam, in quo erat *poſitam*, colligebat vir cl. legendum *poſitum*, non *propoſitum*. Atque etiam infra cap. 6. ſola coniectura legebat, *Quod ut poſitum eſt, ne fieri quidem poteſt;* quum libri tam manu quam typis exarati exhibeant, *Quod ut propoſitum eſt, u. ſ. q. p.* Idem quoque iudicium facit de locis ſequentibus. de Leg. lib. II. c. 19. *ad id quod propoſitum eſt.* etc. cap. 20, *His propoſitis, quaeſtiunculae multae naſcuntur.* de Fin. lib. IV. c. 16. *quae cum proponunt* etc. et cap. 19. *his propoſitis, tenuit prorſus conſequentia.* de Orat. lib. I. c. 6. *ut omni de re, quaecunque ſit propoſita, ab eo ornate copioſeque dicatur.* Lactant. lib. V, 20. *concedamus poſſe fieri, quod proponit philoſophus.* Sed quamvis illum verbi *ponere* uſum et elegantiſſimum et Ciceroni aliisque familiariſſimum eſſe facile concedam; non tamen adduci poſſum, ut alterum illud *proponere* ſic contemnam, ut tot innumeris in locis, ubi mihi ſit obviam, cum altero permutem. Sic infra cap. 8. *Medicus in primis, quod erit ei perſpectum in arte, non ita proponet: Si cui venae ſic moventur, is*

262) *Flagrantiſſimum* intellige aliis iam ſtudiis et per alios. Talem acceperat Cicero, et ad ſua ſtudia perduxit.

298 *habet febrem*: etc. ad quem locum nil monuit cl. Daviſius. Et quis depromendorum ex Tullio exemplorum finis eſſet, ſi rem iſtam perſequi vellemus? Omnes etiam alii ſic loquuti ſunt. Phaedrus lib. I. fab. 5.

*Numquam eſt fidelis cum potente ſocietas.*
*Teſtatur haec fabella propoſitum meum.*

ubi vide interpretes. Quinctilianus Inſtit. Orat. lib. VII. c. 1. *Nam in ſchola certa ſunt, et pauca, et ante declamationem exponuntur, quae θέματα Graeci vocant, Cicero propoſita.* Plura vel lexica ſubminiſtrabunt [263]).

Cap. V, 11. *Sed haec ex naturalibus cauſis vitia naſci poſſunt; exſtirpari autem et funditus tolli, ut is ipſe qui ad ea propenſus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non eſt id poſitum in naturalibus cauſis, ſed in voluntate, ſtudio, diſciplina, Quae tolluntur omnia, ſi vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur.* In editione Daviſianâ locum lacunoſum fecit infauſta omiſſio horum octo verborum, *ſed in voluntate, ſtudio, diſciplina. Quae tolluntur omnia.* Sed talia non tam editori, cuius praeſertim tanta cura fuerit atque elegantia, tribuenda ſunt, quam operariis ineptis ac ſocordibus, quorum a fraudibus vix quisquam ſatis tutus eſt.

Cap. VII, 13. *At ſi iſta comprobabis divina praedicta, et quae falſa in futuris dicentur, in his habebis, ut ea fieri non poſſint; ut ſi dicatur Africanum Carthagine potiturum: et ſi vere dicatur de futuro, idque ita futurum ſit, dicas eſſe neceſſarium.* „Non „intelligo, inquit, qui hoc inter falſa in futuris nume„rarit Cicero, ſiquidem Scipio revera Carthagine *po„titus eſt.*" Forſan verba ſuum non tenent ordinem, lo-

263) Vid. Goerenz. ad. Cic. Acad. 2, 13, 42. de Fin. 4, 16, 43. p. 476. ad 4, 19, 54. p. 487.

„cusque ſic conſtituendus eſt: *At ſi iſta comprobabis* 299
„*divina praedicta, et quae falſa in futuris dicantur,*
„*in his habebis, ut ea fieri non poſſint; et ſi quid vere*
„*dicatur de futuro (ut, ſi dicatur, Africanum Car-*
„*thagine potiturum) id, quia futurum ſit, dicas eſſe*
„*neceſſarium, ea eſt tota Diodori vobis inimica ſen-*
„*tentia.* Has ego coniecturas, addit, dubitans et hae-
„ſitans propono; nam ῥῆσις eſt perplexa, fierique po-
„teſt, ut ex libris noſtris aliquid exciderit." Hactenus vir ille. At falli ipſum omnino arbitror, qui lectionem vulgatam ſic interpretur, ac ſi potiturum Carthagine Africanum inter falſas in futuris numeretur, quum fuerit illud veris accenſendum, uti revera quoque illis tribuiſſe liquebit Ciceronem, ſi verba illius bene exponantur. Solam interpungendi rationem ita mutemus, ut verba *et ſi vere dicatur* etc. non duobus punctis, ſed ſimplici virgula ab antecedentibus diſtinguamus; niſi etiam, quod mihi tamen haud vero ſimile videtur, pro *dicas eſſe neceſſarium*, legendum ſit in futuro, *dices eſſe neceſſarium.* Iam facile patebit, illud voluiſſe auctorem, ut ſi Chryſippus iſta comprobaret divina praedicta, eaque vera et neceſſaria putaret, neceſſe quoque haberet ſtatuere, quae falſa dicerentur in futuris, ea non poſſe fieri: quemadmodum contra, ſi diceretur Africanum Carthagine potiturum, et ſi vere diceretur, idque futurum eſſet, dicere deberet illud neceſſarium eſſe [264]).

264) In hanc eamdem rationem, qua exemplum Africani inter res vere factas ponatur, et verba *ut ſi dicatur A. C. p.* cum ſequentibus coniungantur, Bremius ſcribere iubet *et ſi dicatur:* quo difficultas, ſive vitium non tollitur. Quod Lambinus in altera parte adiecit exemplum Fabii, inde videtur deſumptum, unde Africani exemplum in textum, ſed non apto loco, irrepſit, credo, ex gloſſatorum additamentis. Fortaſſe recte coniecit Wopkenſius *dicas eſſe neceſſarium.*

## CAPUT XII.

300

*Quatuor loca Ciceronis in lib. de Fato adstruuntur et vindicantur: duo quoque coniectura tentantur.* **Individua** *sc. corpora.* Continere in se efficientiam. *Lactantii editio Cellariana naevo purgatur. Glossematis forma.* **Ut** *cum subiunctivo, pro infinitivo cum accusat. Cicero in transitu defenditur. Coniunctione copulat Cicero orationis membra, quae potuisset pronomine relativo; qua quoque occasione locus Tusc. Disp. adseritur.*

Eiusdem libri de Fato, cap. IX, 17. *Sed in factis immutabilitatem apparere; in futuris quibusdam, quia non apparent, ne inesse quidem videri.* Non moveor auctoritate libri illius scripti atque editi, qui *appareret* dat, pro *apparent:* nec satis esse causae puto, cur cum viro cl. legeremus *apparet.* Nihil enim est, cur verbum illud ad *immutabilitatem* potius, quam ad *futura* referatur[265]); nam quae sequetur in repetitione verbi *apparere* durities, si illud *apparent* conservemus, illam tolerandum esse docere videntur ista, quae diximus ad Nat. Deor. lib. II. c, 54. Sin omnia velimus analogia grammatica exactius metiri, reponendum potius erit *appareat*, quam *apparet*, quae etiam mutatio propius accedit ad characteras vulgatae lectionis; sed nec indicativus ille in oratione indefinita plane inusitatus est, quod etiam docuit clar. Cortius ad Sallust. Iugurth. cap. LXIII, I. Sequitur ibidem: *Ut cum duo individua per inanitatem ferantur*, etc. Lambinus excidisse putabat vocem *corpora.* Sed saepius, talibus substantivis omissis, adiectiva substantivorum faciem quamdam

265) Et recte quidem. Non valent ea, quae Bremius opponit. Nam dum futura ipsa non apparent, in iis, quae praedicta sunt, non inesse videtur immutabilitas.

induunt; quod cum in multis aliis, tum in hoc quoque *individui* nomine locum habet. infra cap. XI. *ipſius individui hanc eſſe naturam, ut pondere et gravitate moveatur.* de Nat. Deor. lib. I. cap. 18. *cum infinita ſimillimarum imaginum ſpecies ex innumerabilibus individuis exſiſtat.* vide quoque ibid. cap. 24. et alibi. Iam porro labe quadam infecta ſunt, ſiquid ego video, verba iſta, quae in hoc capite ſubſequuntur: *Sed intereſt inter cauſas fortuito antegreſſas, et inter cauſas cohibentes in ſe efficientiam naturalem.* Haud dubie legendum, *inter cauſas CONTINENTES in ſe efficientiam naturalem.* neque enim *cohibere*, ſed *continere* in eiusmodi locis opportunum, atque uſitatum verbum eſt.[266]) ſic infra cap. 11. *motus enim voluntarius eam naturam in ſe continet, ut ſit in noſtra poteſtate.* et cap. 14. *quorum cauſas natura ita continet.* cap. 16. *quae cauſa in rerum natura continebatur.* cap. 10. *cauſas enim efficientes quod non habebit.* de Divin. lib. I. c. 56. *eodemque modo nihil eſt futurum, cuius non cauſas efficientes natura contineat.* Lactantius de Opif. Dei cap. 19, 7. *Hoc dicere ſatis eſt, quod etiamſi aſtra efficientiam rerum continent, nihilominus omnia a Deo fieri, qui aſtra ipſa et fecit et ordinavit,* ſic legimus in editione Cellarii, ſed aliae *certum eſt,* poſt *omnia a Deo fieri* inſerunt, quas omnino putem ſequendas[267]). 301

266) At non tantum continent efficientiam, ſed *cohibent* etiam ac retinent eam, quae inde exit, recondita antea.

267) In ſcriptis libris non leguntur verba *certum eſt:* neque vero Heumanno credamus, qui *quod* omittendum cenſuit. Illud *quod etiamſi* quamquam alias non in media oratione locum habet, ſed, ab initio poſitum, ad ſuperiora reſpicit, tamen infinitivus nectitur cum antecedente verbo. Quare interpungendum eſt ita: *hoc dicere ſatis eſt; quod etiamſi — fieri* etc.

Cap. X, 22. *Nam qui poteſt pelli alia* (atomus) *ab alia, ſi gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis, ut Epicuro placet.* P. Manutius duo iſta *corpora individua* gloſſam intruſam putat, quia, his ſublatis, ſenſus recte conſtat. At ratio illa, quamvis criticis paſſim viſa fuerit idonea, eſt tamen elumbis, ut libere iudicem, atque ſiculnea. Quis enim in ſtili elegantia unquam fuit adeo nimius, cui
302 tales aut eorundem aut ſynonymorum verborum repetitiones non aliquando exciderint[268]? Sane innumerabilia loca ſunt, in quibus, etiam non contradicentibus commentatoribus, ſic loquutus eſt Tullius; quem non oportet ad ſuperſtitionem et ineptias usque facere accuratum, dum gloſſatorem fingas, ſupra quam percipi poſſit, nugacem ac cerebroſum. In his, exempli gratia, cap. 5. *Sed haec ex naturalibus cauſis vitia naſci poſſunt; exſtirpari autem et funditus tolli, ut is ipſe, qui ad ea propenſus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non* etc. in his, inquam, quis verba *ut is ipſe.. avocetur,* deſideret, ſi abeſſent? de Divin lib. I. c. 23. *qui* (ſanguis) *referveſcere videretur, ſic ut tota domus ſanguine redundaret.* at cur non potius, *ſic ut tota domus illo redundaret?* Reſpice ad ea, quae iam antea vidimus ad Divin. lib. I. c. 50. et de Nat. Deor. lib. II. c. 45.

Eodem cap. *Ut enim etc. ſic Chryſippus metuit, ne ſi non obtinuerit omne quod enuntietur, aut verum eſſe aut falſum, non teneat omnia fato fieri* etc. Non licet dubitare, quin haec tam Latinitatem quam ſenten-

268) Id dictioni, quam atticam vocare ſolent, proprium eſt, ideoque etiam Ciceroni uſitatiſſimum. Exempla, quae hic afferuntur, partim ad aliud genus pertinent. Agitur enim potius de nomine eiusdem notionis in altera parte ſententiae ſubſtituto.

tiam bonam referant: an tamen a Cicerone sic scriptum fuerit, id quidem ut dubitemus, facit vulgata ista lectio, cum qua multi quoque codices conspirant, *non teneat, omnia fato fieri possint.* Hinc enim haud aegre coniicere est, fuisse olim a manu Tullii, *non teneat, UT omnia fato fieri possint* [269]. Usus autem ille coniunctionis *ut* in Latino sermone satis communis est, ut pro infinitivo cum accusativo constructo adhibeatur; quod iam observavit And. Bosius ad verba Corn. Nepotis Hannib. cap. 1. *Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit.* Digna tamen res est, quae etiam Tullii nostri auctoritate comprobetur. Academ. lib. II. cap. 15. *quomodo autem sumis, ut . . sequatur, ut etiam difficulter internosci possit.* et cap. 17. *concedatur tibi, ut . . aliquid alicui sic sit par.* supra de Fato cap. 7. *in his habebis, ut ea fieri non possint.* de Fin. lib. IV. c. 3. *Quomodo autem conservabitur, ut simile sit omnium naturarum illud ultimum?* de Nat. Deor. lib. I. c. 34. *retinendum hoc esse, Deus ut beatus immortalisque sit.* Tusc. lib. V. c. 11. *Quare demus hoc sane Bruto, ut beatus sit sem-* 303

269) Bremius quid sibi in nota ad h. l. adiecta voluerit, non satis perspicio, quamquam eum video de grata aliqua oblivione Ciceronis dixisse, et hanc sententiam rursus repudiasse. Quam brevis fuisset sapientissimi oratoris cogitatio! Anacoluthorum caussam qui agebant, ante omnia cavere debebant, ne inconsiderantiam et alienationem animi virtutum nomine commendarent, sicuti in loco de Orat. 2, 6, 23 et hic quoque factum est. Primum demonstrandum erit, num praeter unum Palat. alii etiam codices exhibeant verba *non teneat,* et quinam isti sint. Nam verbis his omissis, recte procedit oratio: *metuit, ne — non omnia fato fieri possint.* Tum quaeratur de reliquae discrepantiae origine.

*per sapiens . . . nos tamen teneamus, ut sit idem beatissimus.* Atque haec quoque sufficiunt defendendae lectioni isti de Fin. lib. III. cap. 6. *ne quis sic existumet, ut duo sint ultima bonorum.* ubi Lambinus ex vetustis libris rescribebat, *ne quis sequi existumet, ut d. s. u. b.*[270]

Sequitur ibidem: *Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus et plagam, quum declinat atomus intervallo minimo.* Lambinus legendum coniiciebat . . *plagam, quo declinat atomus intervallo minimo:* at infaustis illud avibus; solet enim Tullius coniunctionibus connectere περιοχὰς, quas potuisset pronominibus relativis, si voluisset. Acad. lib. II. c. 30. *contraria autem ea dico, cum alterum ait, alterum negat,* de Leg. lib. III. c. 5. *est autem animi quaedam sanitas - - cum*

270) De hac re vid. Gesner. ad Quinctil. 7, 1, 35. Stallbaum. ad Ruddimann. Tom. II. p. 234. Gernhard. ad Cic. Lael. 16, 56. Wunderus in Iahnii Annal. philolog. V. 2. p. 151. qui bene perspexit, *ut* cum coniunctivo non semper indicare consilium, aut finem, aut consequentiam, et docte disposuit universi usus capita, sed ea, quae gravissimum in se habent momentum, non satis declarasse videtur. Nam particulam *ut* proprie significare *wie*, etiam in sententiis, quae consilium et finem continent, nemo non cognitum habebat, sed illud demonstrandum erat, quo modo factum sit, ut Latini ea, quae nos per coniunctionem finalem exprimere solemus, per coniunctionem modalem significarent. Quod facile intelligetur, si modo in vernaculo vocabulo *dass* mutatam formam demonstrativi *das* agnoscamus. Tum vero negari quum non possit, Latinos etiam in sententiis, quae finem et consilium pure exprimunt, posuisse *ut*, quaeritur, quo pacto eaedem per modalem formam designari potuerint. Nam sensus verborum, *ante senectutem curavi, ut bene viverem,* aliquantum differt ab his, *curavi, quomodo viverem*: quod negare videtur Wunderus vertens, *wie ich gut leben könnte.* Neque concedi potest, Latinos omnia ea, quae per consequentiam cohaerent, ita animo concepisse, tamquam a consilio quodam proficiscerentur. Sed de his alibi plura.

. . *perturbatio mentis aufertur.* Tusc. lib. IV. c. 13. *corporis temperantia, quum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas dicitur.* et cap. 28. *Sed omnis eiusmodi perturbatio animi placatione abluatur illa quidem, cum doceas, nec bonum* etc. lib. V. cap. 10. *neque ulla huic verbo, cum beatum dicimus, subiecta notio est.* de Finib. lib. II. cap. 2. *Atqui haec patefactio quasi rerum apertarum, cum quid quidque sit aperitur, definitio est.* Hinc quoque dubia omnino fit ratio, cui innititur coniectura acutissima cl. Bentleii, in his Tusc. lib. III. cap. 31. *caput esse censet in consolando, detrahere illam opinionem moerenti, si* (pro 304
*qua*) *se officio fungi putet iusto atque debito.* ubi vir ille doctissimus legendum coniiciebat, - - *moerenti, se officio fungi pio et iusto atque debito* [271].)

---

## CAPUT XIII.

*Edita lectio ter in Tullio vindicatur. Futurum indicativi pro futuro aut praes. subiunctivi. Tria Luciani loca defenduntur. Duplex futurum notabile* erit effectura. *Enallage activi et passivi illustratur. Tullius cum Caesare defenditur.* Ferri *pro moveri.*

Cap. XII, 27. eiusdem libelli de Fato: *An aliter haec enuntiatio vera esse non potest, capiet Numantiam Scipio, nisi ex aeternitate causa causam serens hoc erit effectura?* Ad hunc locum „Hoc, inquit Davisius, ne Latine quidem dicitur: omnes tamen edi„tiones obsidet. Legendum, *hoc erat effectura*, prout

271) Coniecturam, quam Wopkensius acutissimam vocat, Orellius miram appellat.

„recte legitur in Elienſi noſtro." Sic vir ille doctus. At vero futurum illud, quod ſollicitat, nihil omnino habet, quod Latinae linguae rationi aut elegantiae repugnet. Primo enim futurum indicativi ſaepiſſime ponitur pro futuro aut praeſenti ſubiunctivi. vel ut ſupra cap. 5. *quae tolluntur omnia, ſi vis et natura ſati ex divinationis ratione ſirmabitur*, pro *ſirmetur*, et hoc ipſo cap. *ut vere dicantur, quae ita dicentur, veniet* etc. infra cap. 18. *qui autem cauſas antecedentes non dicent perſectas, neque principales, in eos nihil valebit.* Acad. lib. II. c. 46. *quarum eſſe nulla poteſt, niſi erit gratuita.* et cap. 7. *aut ita qui ſentiet, non apertiſſime inſanit*[272])? Hinc nihil mutandum ibidem cap.
305 36. *etſi quamcunque eliget, inſipiens eliget.* ubi vir clar. Latinitatem poſtulare dicebat, *quamcunque elegerit*, quod mihi quidem non ita liquet[273]). Atque hunc eundem futuri indicativi uſum Graecis quoque familiarem fuiſſe, iam obſervavit Viger. Idiot. ſect. V. c. 2. cuius annotatis exempla quaedam addam, quo maiore cum fiducia ad defendenda quaedam Luciani loca obiter excurram. Sic igitur Xenophon lib. I. Cyropaed. p. 22. [5, 2] *λέγων ὡς - - κινδυνεύοιεν, εἰ μή τις αὐτοὺς φθάσας ἀσθενώσει, ἐπὶ ἓν ἕκαστον τῶν ἐθνῶν ἰόντας καταστρέψασθαι: dicens periculum eſſe, niſi quis antevertendo eos debilitaret, ne nationes alias adorti, ſingulas ſibi ſubiicerent.* et lib. II. p. 51. *Sic ergo vobis eſt exiſtimandum, homines belli ſocietate iunctos,*

272) Conf. not. ad pag. 132 et 133 et Bremius ad Ciceronis locum. Haec futuri vis et natura nunc plurima quidem ex parte ſatis cognita eſt, nec quiſquam eam vicariam appellabit.

273) Immo falſum eſt. Nam ſenſum verborum ita conſtituere oportet: etſi aliquam eliget ſententiam, tamen inſipiens eam eliget.

*si secum singuli statuant*, ὡς εἰ μὴ αὐτός τις προθυμηθήσεται, οὐδὲν ἐσόμενον τῶν δεόντων, ταχὺ πολλά τε καὶ καλὰ διαπράττονται: *nisi quisque suo loco sit alacer, . . brevi et multa et praeclara gesturos.* Theognis in sententiis vs. 216. *Polypi mentem obtine versipellis,*

ὃς ποτὶ πέτρῃ
Τῇ προσομιλήσει, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.

*qui ad petram cui adhaeserit, talis visu apparet.* sic etiam vs. 232. et alibi. Aelianus V. H. lib. I. c. 15. - - πρὶν ἢ φιλήσει αὐτὴν, *antequam osculum ei dederit.* Faber legebat φιλήσῃ, Kühnius φιλήσειν vel φιλῆσαι, sed vulgatam lectionem recte adservat Perizonius. D. Iacobus II. 10. Ὅστις γὰρ ὅλον τὸν νόμον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἑνὶ γέγονε πάντων ἔνοχος. His ego facile adducor, ut doct. Iensium lapsum esse credam, quum futurum illud indicativi sollicitaret in tribus his locis Luciani. Saturnal. pag. 608. edit. Amst. *nam hinc sibi plerique victum parant ad satietatem*, οἷς ἵλεως καὶ φορὸς ὁ κύβος ἐπινεύσει, *quibus benigna et prospera* 306
*annuerit tessera.* Dial. Mort. p. 272. μηδὲ πρότερόν γε σὺ ἀποθάνοις, ἢ προπέμψεις πάντας τοὺς κόλακας: *neque tu prius moriaris, quam omnes istos assentatores praemiseris.* in Harmon. p. 587. εἰ τούτοις φημὶ ἐπιδείξαιο τὰ αὐλήματα, καὶ οὗτοι ἐπαινέσονταί σε, ἅπασιν Ἕλλησι νόμιζε ἤδη γεγενῆσθαι γνώριμος ἐν οὕτω βραχεῖ: *si inquam his tuae modulationis specimen exhibeas, et hi te laudabunt, puta te tam brevi tempore Graecis omnibus iam innotuisse.* quam enallagen confer cum iis, quae observavimus ad lib. II. de Divin. c. 17. et lib. III. Tusc. c. 16. Haec iam sufficiant de futuro indicativi, cui lux quaedam in Tullii loco

proposito accendenda erat. Pergamus ad aliud quid observatu haud minus dignum, quodque maxime offendiculo fuisse viro cl. videtur. Quid enim statuendum, de duplici futuro isto, *erit effectura?* an non futuri temporis participium *effectura* flagitat alius temporis verbum substantivum? Non sane, vetat enim sermonis Latini ratio, qua passim sic eiusdem temporis verba copulantur. Ita ex. gr. de Divin. lib. II. c. 26. *potuit accidisse alia quoque laetitia.* Seneca epist. XCIX. *quae ad te saepius revertetur, si erit acerbitate ventura.* Plura affatim dedit Sanctius Min. lib. I. c. 14. pag. 114. et 115. uti et cap. 15. p. 134[274]).

Cap. XVII. *Sed applicat se ad eos potius, qui necessitate motus animos liberatos volunt.* Legit vir cl. cum M. Casaubono *motus animi*, vel *motus animorum*; quemadmodum supra *motus animorum voluntarios* meminit Tullius. At si per *necessitatem motus* quo animi liberati dicuntur, intelligamus non eam, qua non possit absque motu esse animus, quo sensu absurdissimo lectionem hanc ursisse videntur eruditi, sed eam necessitatem, qua non possit animus aliter moveri
307 ac moveatur; non videtur tam incommodus loci sensus, ut admitti plane nequeat. [275])

Cap. XX. *Hoc modo hanc caussam disceptari oportet; non ab atomis errantibus - - petere praesidium.* Observanda est passivi et activi enallage; quae forte inducere posset quempiam inconsiderate elegantem, ut aut *disceptare*, aut *peti* legendum iudicaret. Illud autem

274) Cic. de Leg. 1, 15, 43. *si natura confirmatura ius non erit.* ubi vid. Goerenz.

275) Absurdum, quod in verbis *necessitas motus* inesse putabat Davisius, nullum est. Atque respicitur magis libertas ipsius animi.

quo minus fiat, plura huius formae exempla prohibent. Supra cap. XI. *id fuit defendi melius, quam introducere declinationem.* de Divin. lib. I. c. 35. *Itaque ſigna convelli, et ſe ſequi iuſſit.* de Legib. lib. I. c. 21. Q. *Quamnam igitur ſententiam dicemus?* M. *Requiri placere terminos, quos pepigerit, iisque parere.* ubi tamen editor praeclariſſimus *pareri* ſcribendum putat. Seneca de Ira lib. III. c. 27. *Quanto ſatius eſt ſanari iniuriam, quam ulciſci?* Sulpic. Severus lib. II. H. S. c. 11, 4. *multis increpitos, renuntiare iſtiusmodi matrimoniis, et filios ex hiſce ſuſceptos extrudi iubet.* Caeſar de B. Civ. lib. I. c. 32. *quod .. omnia permiſceri mallent, quam imperium exercitusque dimittere.* ubi vir cl. rurſus, in curis ſuis ſecundis, reponit *permiſcere* [276]).

Ibidem: *Nam ſi atomis, ut gravitate ferantur, tributum eſt neceſſitate naturae, quod omne pondus, nulla re impediente, moveatur et feratur neceſſe eſt.* Lambinus utrobique inſerit voculam *deorſum*, dum legit, *ut gravitate deorſum ferantur .. moveatur et feratur deorſum neceſſe eſt.* Pariter quoque ſupra cap. 9. *ut cum duo individua per inanitatem ferantur, alterum* etc. legebat idem vir doctiſſimus, *per inanitatem deorſum ferantur.* Sed in aliis locis eandem quoque lacunam cernere licet, in quibus ad eam connivet Lambinus. ſupra cap. 10. *ſi ſemper atomus gravitate ferretur naturali ac neceſſaria, nihil liberum nobis eſſet,* et 308
cap. 11. *De ipſa atomo dici poteſt, quum per inane moveatur gravitate et pondere, ſine cauſa moveri... ipſius individui hanc eſſe naturam, ut pondere et gra-*

276) Apud Livium 21, 45, 3. ex auctoritate codicum reſtituendum eſt: *Gallis parci quam maxime iubet, principumque animos ſollicitare ad defectionem.*

*vitate moveatur, eamque ipſam eſſe cauſam, cur ita feratur.* Lucretius lib. V. vſ. 426.

*Sed quia multa modis multis primordia rerum*
*Ex infinito iam tempore percita plagis,*
*Ponderibusque ſuis conſuerunt concita ferri.*

Haec quidem in ſcriptis quibusdam Ciceronis; virorumque eruditiſſimorum commentationibus, cedro quamvis digniſſimis, obſervare viſum fuit.

# I n d e x

verborum et rerum, quae in his Lectionibus Tullianis et in notis explicantur aut illuſtrantur.

# Index scriptorum.